BERNARDI SANNIG
UNIVERSA PHILOSOPHIA SCOTISTARUM.


SCHOLA
PHILOSOPHICA
SCOTISTARUM
Seu
CURSUS
PHILOSOPHICus
COMPLETUS
AUCTORE
F. BERNARDO
Sannig Silesio
Ord. Min. S.
FRANCISCI
Reform. SS. Theol.
Lectore Iubilato
Provinciæ Boemiæ
et totius Ordinis
Patre.

SCHOLA PHILOSOPHICA SCOTISTARUM,

SEU

CURSUS PHILOSOPHICUS

COMPLETUS,

AD MENTEM

DOCTORIS SUBTILIS JOANNIS DUNS SCOTI,

AUTHORE

P. F. BERNARDO SANNIG,

Ord: Minorum S. FRANCISCI Reformatorum,

SS. Theologiæ LECTORE JUBILATO, & Sacrorum Canonum PROFESSORE Actuali in Conventu S. MARIÆ ad Nives, SCRIPTORE Religionis, Provinciæ Bohemiæ, & Totius Ordinis PATRE, EX-COMMISSARIO GENERALI Cismontano, & Iteratò Ministro Provinciali Provinciæ BOHEMIÆ.

TOMUS I.

CONTINENS

Prologum in Universam Philosophiam.
Dialecticam.
Tractatum in Prooemialia Logicæ.
Tractatum de Ente Rationis.
Tractatum de Distinctionibus.
Tractatum de Universalibus.
Tractatum de Prædicamentis.
Tractatum in Libros Perihermenias.
Tractatum in Libros Priorum.
Tractatum in Libros Posteriorum.
Tractatum in Libros Topicorum.
Tractatum de Ethica.

VETERO-PRAGÆ,

Typis Catharinæ Czernochianæ Viduæ, Anno M. DC. LXXXIV. 45


Serenissimus Dominus Dom
Josephus, Jacobus, Ignatius,
Joannes, Antonius Eustachius
Archidux Austriæ

SERENISSIMO

ARCHIDUCI

AUSTRIÆ

JOSEPHO, JACOBO, IGNATIO, JOANNI, ANTONIO, EUSTACHIO.

AUGUSTISSIMI

ROMANORUM IMPERATORIS, ET MONARCHÆ

LEOPOLDI I.

AC AUGUSTÆ

ELEONORÆ, MAGDALENÆ, TERESIÆ NEOBURGICÆ

IMPERATRICIS FILIO,

Fortunatiſſimóque tot Regnorum, ac Provinciarum

HÆREDI,

Maximi FERDINANDI III. CÆSARIS Exoptatiſſimo

NEPOTI,

Potentiſſimi, ac Victorioſiſſimi FERDINANDI II.

PRONEPOTI,

Ex invictiſſimorum Auguſtæ DOMûs AUSTRIACÆ Heroum Sanguine Sereniſſimo,
Et vetuſtiſſimæ Sereniſſimæque DOMûs NEOBURGICÆ
DUCALI PALATINA STYRPE,
PROPAGATO REGIO PRINCIPI.

Glorioſo Ottomanicæ potentiæ, in ipſas uſque Turcomaniæ cavernas Futuro

EXTURBATORI,

Invictiſſimo S. Rom. Imp. hoſtium aliquando

DOMITORI,

Feliciſſimo Suæ Auſtriadum Proſapiæ, Regnorúmque

DILATATORI.

Ampliſſi-

Amplissimo Orthodoxæ Fidei, veríque cultûs Divini Optatissimo

PROPAGATORI,

ET

DEFENSORI,

Zelantissimo Religionum, & singulariter Seraphici Ordinis Desideratissimo

PROTECTORI,

AC

DOMINO DOMINO

SUO CLEMENTISSIMO,

Nomine Provinciæ Bohemiæ FF. Min. Refor. Ord. S. FRANCISCI

Hoc Opus Philosophicum
Dedicat, dicátque

Dum manet cum jugi ad DEUM prece

SUÆ SERENITATIS

Pragæ, in Conventu B. Mariæ ad Nives, Anno 1684. Die 15. Augusti.

Submississimus Vasallus

Fr. Bernardus Sannig. Provinciæ Boëmicæ Minist. Provincialis.

FACULTAS
REVERENDISSIMI P. MINISTRI GENERALIS.

FRater PETRUS MARINUS Sormanus de Mediolano, Lector Jubilatus, Ex-Guardianus Jerosolymitanus, ac Totius Ordinis Seraphici P. N. S. FRANCISCI Minister Generalis, & Servus. Dilecto Nobis plurimùm in Christo P. F. BERNARDO SANNIG, SS. Theologiæ Lectori Jubilato, Provinciæ Boëmiæ, ac Totius Ordinis Patri, & Scriptori, Salutem in Domino sempiternam.

Cùm juxta Apostolicas, nostrique Ordinis Constitutiones revisum, & approbatum fuerit quoddam Opus Scholasticum, cui Titulus est, SCHOLA PHILOSOPHICA SCOTISTARUM, seu CURSUS PHILOSOPHICUS COMPLETUS, *à Te compositum : Idcircò tenore præsentium cum salutaris obedientiæ merito facultatem Tibi impertimur, quatenus servatis servandis illud typis mandare possis, ac valeas, vale, &c. Datum Romæ in Conventu Nostro Ara-Cælitano, Die 13. Aprilis, An. 1683.*

Fr. PETRUS MARINUS
Minister Generalis.

De Mandato suæ Reverendissimæ Paternitatis

Fr. Clemens Caprettus à Mediolano
Secretarius Generalis Ordinis.

MANDA-

MANDATUM
Ejusdem Reverendissimi P. Generalis.

De prælegenda Schola Philosophica, & Theologica Fratris Bernardi Sannig, in Scholis Provinciæ Bohemiæ.

Cum sicut Nobis relatum est, in omnibus Studijs Scholasticis nostræ Provinciæ Reformatæ Bohemiæ ab omnibus Lectoribus per Decretum Capitulare ejusdem Provinciæ, introducta fuerit prælectio Scholæ Philosophicæ, *&* Theologicæ; seu Cursus Philosophici & Theologici, *editi à Patre Bernardo Sannig, cum maximo commodo, & progressu Studentium: Idcircò Nos Fr. Petrus Marinus Sormanus, Minister Generalis Totius Ordinis Seraphici P. N. S. Francisci certò scientes, suprà dictam Lecturam ijsdem Studijs esse, & fore omnibus maximè idoneam, & proficuam; utpote consonam Doctrinæ Nostri Doctoris Subtilis, & clarissimâ methodo traditam; præsenti Decreto decernimus; ut in suprà dictis Scholis ejusdem Provinciæ Boëmiæ perpetuò continuetur ab omnibus Lectoribus, tam Philosophicis, quàm Theologicis Lectio suprà dicta Cursus Philosophici, & Theologici, à memorato P. Sannig Typis mandati. Et ita statuimus, ac declaramus. Datum Romæ in Conventu Nostro Ara-Cælitano, die 13. Apr. 1684.*

Fr. Petrus Marinus, Minister Generalis.

FACULTAS
Admodum Rev. P. Ministri Provincialis Provinciæ Boëmiæ.

Cum Admodum Reverendus Pater Bernardus Sannig, Lector Jubilatus Totius Ordinis, & Provinciæ nostræ Pater, ac Custos actualis, nec non Ex-Commissarius Cismontanus, Scholam Philosophicam Scotistarum, seu Cursum Integrum Philosophicum, *ad majorem Studiosorum nostrorum Fratrum profectum in Scholis nostris prælegendum, quemadmodum jam actu prælegitur Cursus Theologicus ab eodem in lucem editus, ex mandato Venerabilis Diffini-*

finitorij Almæ Reformatæ nostræ Provinciæ Bohemiæ in Comitijs Provincialibus Oppaviæ Anno 1681. die 28. Julij celebratis, pro singulari fœcundi Ingenij sui felicitate eruditè, & solidè elaboraverit; facultatem typis mandandi præsentium vigore impertior, ut præfatus Author doctrinali suâ luce imbuat non tantùm domesticos; verùm etiam scientiæ suæ radios latiùs diffundat in exteros. Dedi in Conventu nostro Pragensi Beatissimæ Virginis ad Nives An. 1683. die 1. Novembris.

Fr. Archangelus Mascul,
Minister Provincialis.

CENSURA
Theologorum Ordinis Fratrum Minorum Reform.

Jussa venerantes Admodum R. P. nostri Ministri Provincialis, Superioris dignissimi, accuratè, & sedulò Opus, cui titulus Schola Philosophica Scotistarum, seu Cursus Philosophicus completus, *Authore Admodum Reverendo P. Bernardo Sannig Ord. Min. Reform. Lectore Jubilato, Provinciæ Bohemiæ, & Totius Ordinis Patre, Cismontanæ Reformatæ Familiæ Ex-Commissario Generali non minùs ingeniosâ, clarâ, subtili, atque solidâ methodo, quàm antehac Opus Theologicum seu Cursum Theologicum completum, conscriptum perlegimus eo libentiori animò, quò cæteris fortunatiores effecti subtilem hanc in legendo doctrinam alios antecedimus, ità quoque fructum citiùs reliquis in discendo haurire valeremus. Nihil est invenire in hoc Opere, quod aut Orthodoxæ Fidei, aut bonis moribus adversetur; quin imò puriores imitatur mores, dum in illo proceditur clarè, & efficaciter in probando, dexterè & suaviter in arguendo, in respondendo succinctè & faciliter, ubique solidè, subtiliter, atque modestè. Dignum proinde judicamus, ut Opus hoc subtili Scholæ utilissimum, ad mentem Doctoris Subtilis elaboratum publicam videat lucem. Datum Pragæ in Conventu S. Mariæ ad Nives FF. Min. Reform. Die 10. Decemb. An. 1683.*

Fr. Bernardinus Ungar SS. Theol. Lector Generalis, ejusdémq; in Conventu ad Nives Professor actualis.

Fr. Sebastianus Schambogen, SS. Theol. actualis Lector Generalis Ibid.

CENSU-

CENSURA

Theologi Consistorialis Pragensis, ex Ordine Fratrum Minor. Conventual.

SCholæ Philosophicæ Scotistarum, *seu* Cursûs Philosophici *ad Mentem Doctoris Subtilis Joannis Duns Scoti Tomum primum Authore Rev. Patre Bernardo Sannig, Ord. Min. S. Francisci Reform. SS. Theologiæ Lectore Jubilato, & Sacrorum Canonum Professore actuali in Conventu S. MARIÆ ad Nives, Scriptore Religionis, Provinciæ Boëmiæ & Totius Ordinis Patre, ac Ex-Commissario Generali Cismontanæ Familiæ diligenter perlegi, cumque in eo nil repererim contra Fidem, aut bonos mores, sed observaverim solidissimam doctrinam censeo publicâ luce dignum. Datum Pragæ in Conventu Sancti Jacobi, Die 17. Maij, Anno 1684.*

Fr. Blasius Antonius de Comitibus
à Mediolano Minor Conventualis.

APPROBATIO
ORDINARII.

T*Omum primum Scholæ Philosophicæ Scotistarum, absque omni nævo morali, utì ex legitimis censuris mihi exhibitis constat elaboratum & compositum à P. Bernardo Sannig Ord. S. Francisci Reform. Provinciæ Bohemiæ approbo, & juxta Concilij Tridentini Canones facultatem impertior, ut*

PRAGÆ, Die 17. Maij. Anno 1684.

Imprimatur.

Wenceslaus Bilek à Bilenberg
Officialis.

PRIVI-

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

Super impressione Librorum Auctorum Ord. S. Francisci Regularis, & Strictioris Observantiæ.

PRivilegio Cæsareæ Majestatis cautum est; nè quis per Universum Imperium Libros à Patribus Ordinis S. Francisci Regularis & strictioris Observantiæ editos, aut edendos imprimat, recudat, aut alibi recusos, intra Sacri Imperij, Regnorúmque, ac Dominiorum hæreditariorum Domûs Austriacæ fines adducat, vendat, vel distrahat, absq; consensu, & facultate eorundem Patrum, sub pœna confiscationis Librorum, & mulcta viginti Marcharum auri puri. Ita sancitum est Decretum in Civitate Ratisbonensi, pridie nonas Decembris, Anno 1636. Signatum

FERDINANDUS.

Infrà
Ad Mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium.

Joannes Walderode.

à latere: P. H. A. Stralendorff.

INhærendo Decreto Cæsareo FERDINANDI III. Augusti, edito super impressione Librorum ab Auctoribus Regularis, & Strictioris Observantiæ edendorum, consensum & facultatem do Domino Georgio Czernoch, Civi & Typographo Pragensi, faciendi primam editionem Tomi mei primi Scholæ Philosophicæ Scotistarum. Datum PRAGÆ in Conventu S. MARIÆ ad Nives, Die 13. Maij. 1684.

Fr. Bernardus Sannig.

AD

AD

LECTOREM.

EN Amice Lector, SCHOLAM meam PHILOSOPHICAM, quam nuper in editione Scholæ Theologicæ promiſeram, veluti introductoriam Iſagogen ad eandem ritè capeſſendam à Studioſâ Juventute Scotiſtica, in cujus gratiam potiſſimè eſt elaborata, ac concinnata; accedente ad hujuſmodi editionem ſpeciali Decretò Capitulari Provinciæ meæ Reformatæ Boëmiæ, ut hâc viâ Religioſis Juvenibus ejuſdem Provinciæ, utpote frequentiſſimis Chori, aliorumque Divinorum, & meditationum, ſpiritualiumque exercitiorum, Seraphicæ Religioni, & arctiori Reformationi conſvetorum, occupatis, meliùs conſulatur, per ejuſdem prælectionem, reſiduò tempore ſanè modicò inſtituendam. Studui in hoc Curſu Philoſophico conficiendo ſummæ claritati, tum quoad methodum tradendi doctrinam; tum quoad terminos familiares Latinos propoſitionum aſſignandos, negligendo phraſtica quorundam Scholaſticorum vocabula, ac exoticas, obſcuras, veterique conciſò Philos: ſtylò exaratas locutiones, quibus Scientia Philoſophica veluti quibuſdam Sphingis enigmatibus involuta manet, cum ingenti ſanè Novellorum Philoſophorum, debiliori ſpeculativâ præditorum jactura, ac detrimento: malui planò, ac naturali ſtylò philoſophari, ut Tyrones ſtudentes arcana Philoſophiæ eò expeditiùs intelligerent; quàm dictionibus fucatis, ac plùs æquò metaphyſicatis nudaam veritatem obſcurare, more Chymicorum, qui doctrinam de præparando lapide Philoſophico, ſeu auro vero conficiendo, alijſque ſecretis naturæ penetrandis, ita peregrinis palliant vocabulis, atque lectionibus, ut Lector oleum & operam in eorum praxi perdat. Et quoniam pro Lycæo ſcribo Scotiſtico; idcirco pleraſque, quantùm poſſibile fuit, concluſiones ad genuinam Principis Scholæ meæ Scotiſticæ, Doctoris videlicet Subtilis Scoti mentem propoſui, probavique argumentis, vel in Doctrina ejuſdem Doctoris, vel Stagyritæ fundatis; afferendo quoque ſelectiores rationes Illuſtrium

b Scotiſta-

Scotiſtarum: hos pro Concluſionibus ſolo duntaxat cognomine citatui, nè chartas ad nauſeam more quorundam Recentiorum Scriptorum replerem, allegationibus Librorum, Tractatuum, Diſputationum, Quæſtionum, Capitum &c. Scopus namque meus eſt, hoc Opere Studioſis noſtris ingerere potiùs fundamentalem Doctrinam Scoticam, cum ſuis argumentis Concluſionum probativis; & notabilia ſubſtantialiter elucidare, quàm Authorum Paragraphos, & Capita coacervare. A fuſa, confuſa, & moroſa adverſariorum Scholæ Scotiſticæ impugnatione abſtinui, ne Tyronum mentem confunderem nimiâ mole, & varietate reſolutionum; ſatiùs judicando, ſi in ſententia Scoti eos fundamentaliter erudiero; ex quo deinde facili negotiô Thomiſtarum, Nominalium, Neutriſtarum, aliorumque oppoſitiones diluere poterunt. Intexui eidem ſcripto Philoſophico quandoque etiam S. Scripturæ, & SS. PP. textus; quia Philoſophiam Chriſtianam, atque ad Theologiam ordinatam ſcribo. Fruere itaque Benevole Lector hôc meô Labore Scholaſtico, & prudentiæ tuæ æquâ bilance excuſa Authoris defectum, ac inſufficientiam, ſi quam in eo inſperſam deprehenderis; utpote qui concepit, & peperit hunc fœtum Scholaſticum in medio occupationum Regiminis, aliorumque ſui Ordinis obſtetricantibus undique multis curis agibilium: quem partum ſecundùm omnia, & ſingula ejus lineamenta, membra, ſymetrias, ac partes, ſubijcio correctioni, ac emendationi S. Matris Eccleſiæ, à qua nec latum unguem, etiam in Philoſophicis, recedere intendo.

SYNO-

SYNOPSIS HISTORICA SCRIPTORUM,

Tum Philoſophorum, tum Theologorum, ex Ordine Fratrum Minorum,

Qui

ab Authore in hoc Opere Philoſophico, & altero Theologico; ac ab alijs Doctoribus paſſim allegantur.

A.

FR. *Adamus Bockfeldius*, fuit natione Anglus, in Provincia Angliæ profeſſus, ac mortuus. Scripſit Commentaria in Libros Topicorum. In Libros de Cælo & Mundo. In Libros de Generatione & Corruptione. In Libros Meteorum: Et in Libros Metaphyſicæ.

Fr. *Adamus Gaddamus*, fuit Anglus natione, Provinciæ Angliæ Alumnus, Profeſſor, & Doctor celebris Oxonienſis Univerſitatis. Multa compoſuit Opera; ſed hodie extant impreſſi ſoli Libri 4. Sententiarum. Manuſcripta verò ejuſdem alia aſſervantur in Bibliotheca Lovanienſi PP. Societatis: & alia in Bibliotheca PP. Franciſcanorum ibidem.

Fr. *Adamus Hibernicus*, ſic dictus ob nationem, â qua prodijt: fuit famoſus quoque Doctor Oxonienſis: floruit Anno 1320. ſcripſit in Quatuor Libros Sententiarum. Et Quæſtiones Quodlibetales.

Fr. *Adamus de Mariſco*, fuit natione Anglus, de Oppido Somerſeti; Profeſſor Oxonienſis, cognomento *Doctor illuſtratus*: extitit condiſcipulus S. Antonij Paduani ſub Abbate Vercellenſi: claruit maximâ famâ doctrinæ uſque ad annum 1260. Præter Opera plura parænetica, & ſcripturiſtica, compoſuit etiam Commentarios in Magiſtrum Sententiarum. Et Librum unum Quæſtionum Theologicarum. Et Lectiones ordinarias.

Fr. *Adamus Sasboldus* (vulgò *Sasbouth*) fuit natione Batavus, natus Delphis Anno 1516. in Belgio Religionem S. Franciſci eſt Profeſſus. Præter plurima Opera ſcripturiſtica, & Concionatoria, etiam Commentaria ſuper Quatuor Libros Sententiarum elaboravit.

Fr. *Adamus Wodehamenſis*, fuit natione Anglus de Oppido Wodenhamo, & ibidem Frater Minor effectus: mortuus eſt Babuvellæ propè Buriam Anno 1338. fuit Diſcipulus P. Guilielmi Occam; & tandem Doctor Oxonienſis, ac Lector publicus. Scripſit præter Commentaria in Scripturam, & Poſtillas, aliaque Opera, etiam Libros 4. in Magiſtrum Sententiarum.

Fr. *Ægidius Luniacus*, fuit natione Gallus. Scripſit Commentaria in I. Sententiarum.

Alexander V. Sum. Pont. creatus Anno 1405. poſtquam priùs fuiſſet Archi-Epiſcopus Mediolanenſis, & S. E. Cardinalis. Priùs in Ordine Minorum vocabatur Petrus Philargi: cui ob eximiam eruditionem acclamatum eſt nomen *Doctoris refulgentis*: fuit natione Cretenſis. Scripſit Commentaria in 4. Libros Sententiarum Magiſtri. Et Quodlibeta.

F. *Ægidius Zamora*, fuit natione Hiſpanus. Edidit Summam de Caſibus.

Fr. *Albertus de Sartiano*, Italus Ethruſcus, Vicarius Generalis Ordinis: obijt Mediolani 1450. ſcripſit Tractatum de Pœnitentia. Et Tract. de Euchariſtia. Et alia miſcellanea.

Fr. *Albertus Tarviſinus*, natione Italus. Edidit Summam Pontificiam: creatus deinde Epiſcopus Tarviſianus.

b 2 Fr. *Ale-*

Synopsis Historica Scriptorum.

Fr. *Alexander Alemannus*, fuit natione Germanus de Saxonia; *Doctor illibatus* vocatus. Scripsit Commentaria in 4. Libros Sententiarum.

Fr. *Alexander ab Alexandria*, fuit natione Italus, natus in Ducatu Mediolanensi, professus in Provincia Genuensi Anno 1313. Barcinonæ in Hispania electus est Generalis Minister totius Ordinis. Scripsit in Magistrum Sententiarum. Et Summam Quæstionum S. Bonaventuræ in 4. Libros Sentent. Et Quæstiones Quodlibetales. Et Tractatum de Usuris. Et in Libros de anima, ac alios Aristotelis. Et in Metaphysicam; præter plures postillas in varios S. Scripturæ libros. Obijt Romæ in Generalatu Anno 1314. & sepultus est in Ara cæli.

Fr. *Alexander Ariostus* Gallus, Provinciæ Franciæ. Scripsit Enchiridion Confessariorum.

Fr. *Alexander Halensis*, seu *de Hales*, seu *de Ales*, fuit natione Anglus, Parisijs extitit Professor publicus S. Bonaventuræ, & S. Thomæ Aquinatis Anno 1254. & titulò *Doctoris irrefragabilis* ibidem insignitus: fuit Princeps Theologorum sui temporis; unde meritò Innocentius Papa IV. mandavit Summam Theologicam in 4. Volumina distinctam ex suis scriptis confici, quam deinde à septuaginta solertissimis Theologis examinatam, ac approbatam Alexander IV. Sum. Pontifex omnibus Academijs docendam proposuit. Scripsit præter Postillas, & Commentaria in omnes S. Scripturæ Libros, aliaque scripturistica Opera, etiam Summam Theologiæ in libris 4. digestam. Et Summulam resolutionum. Et quæstiones in 4. libros sentent. Et summam de virtutibus. Et compendium S. Theologiæ in libris 7. Et lecturas sent. libros quatuor. Et de Sacramento Pœnitentiæ. Et Quæstiones de anima. Et quæstiones de charactere. Et in Metaphysicam tract. de verbis exoticis: & tract. pro Immaculata Conceptione. Obijt Parisijs Anno 1245. & sepultus est in magno Conventu Parisiensi Fratrum Minorum.

Fr. *Aloysius Cæsaraugustanus* Capucinus, Provinciæ Aragoniæ. Edidit Lucubrationum Theologicarum juxta mentem S. Bonaventuræ tomos duos.

Fr. *Alphonsus à Scalona*, Hispanus, mortuus in Indijs Occid. Edidit commentarios eruditos in Decalogum pro Indis convertendis.

Fr. *Alvarus Pelagius*, fuit natione Hispanus, Doctoris subtilis Scoti auditor: floruit circa annum 1340. Extitit Episcopus Coronensis in Achaja, & Silvensis in Portugallia. Mortuus est Hispali, & ibidem in Ecclesia Fratrum Minorum subterratatus. Scripsit præter illud insigne opus de Planctu Ecclesiæ; & Apologiam contra Marsilium Patavinum; & speculum Regum; & Collyrium adversus hæreses; etiam summam Theologiæ, & 4. libros in libros sententiarum.

Fr. *Amandus Herman*, Germanus de Nissa Silesiorum, Provinciæ Bohemiæ. Edidit nuper Cursum Universæ Philosophiæ in folio.

Fr. *Amantius de Valle*, fuit natione Gallus, professus in Provincia Aquitaniæ. Scripsit commentarios in lib. 1. sentent. Scripti Oxon. Scoti, & alia quæ perierunt.

Fr. *Andreas de novo Castro*, fuit natione Lotharingus, Provinciæ Franciæ Alumnus, vocatus *Doctor ingeniosissimus*. Scripsit Commentaria in 4. libros sentent.

Fr. *Andreas Perusinus*, Italus de Uviano. Scripsit de Prædestinatione. Et speculum de Conceptione B. MARIÆ Virginis. Et Analysim purissimæ Conceptionis B. MARIÆ.

Fr. *Andreas Rochmarinus*, fuit natione Polonus, Provinciæ Min. Poloniæ filius. Scripsit Commentaria in lib. 1. sententiarum.

Fr. *Andreas de Vega*, fuit natione Hispanus, Provinciæ S. Jacobi, Professor Salamantinus. Edidit Opus bipartitum æstimatissimum de justificatione juxta Concilij Tridentini doctrinam.

Fr. *Angelus à Clavasio*, Italus, Ligur, Vicarius Generalis Ordinis, & Nuntius Apostolicus à Sixto IV. destinatus: Vir in Utroque Jure, & Theologia petitissimus. Obijt Cunij Anno 1495. scripsit Summam Casuum conscientiæ.

Fr. *Angelus à S. Francisco*, Hibernus, scripsit quæstionum Teologicarum resolutionem.

Fr. *Angelus de Neri*, fuit natione Italus de Florentia; priùs Conventualis, deinde Observantiæ Regularis. Parisijs publicè interpretatus est Magistrum Sententiarum,

in quem

in quem etiam scripsit Tractatus aliquot, & opuscula. Jacet sepultus Aretij in Conventu S. Joannis.

Fr. *Angelus Vulpes*, Italus, Conventualis. Scripsit Summam, & Commentaria Theologica.

Fr. *Antonius Andreas*, Hispanus, Provinciæ Aragoniæ; discipulus Scoti, cognomento *Doctor dulcifluus*. Scripsit Commentarios in artem veterem Aristotelis, scilicet Isagogen Porphyrij; Prædicamenta; & Postprædicamenta, in librum sex principiorum Gilberti Poretani, in libros Periherm, in librum divisionum Boëtij; in octo libros Physicorum, in duodecim libros Metaphysicæ, & in 4. libros sententiarum.

Fr. *Antonius Aretinus*, Gallus, Doctor Parisiensis. Edidit Commentaria in libros sententiarum.

Fr. *Antonius Bonitus*, *à Gucharo*, fuit Italus, Provinciæ Principatûs filius. Scripsit Elucidarium de Conceptione incontaminata Virginis gloriosæ: & Manuale casuum conscientiæ. Obijt circa annum 1510. priùs Episcopus Montismuranij, deinde Acernensis.

Fr. *Antonius Bruodinus*, Hibernus, Provinciæ Bohemiæ incorporatus. Scripsit quædam fragmenta in Theologiam Scoti.

Fr. *Antonius Cordubensis*, Hispanus, Provinciæ Castellæ. Scripsit Quæstionarium Theologicum libris 5. comprehensum: & Commentaria in 4. libros Magistri sententiarum. Et summam casuum conscientiæ. Et de potestate Papæ, ac alia utilia plura Opera.

Fr. *Antonius Delphinus*, fuit natione Italus, de Casali majori oriundus, Vicarius Generalis PP. Conventualium. Scripsit præter Commentaria in aliquos S. Scripturæ libros, etiam varios Tractatus scholasticos, de fine ultimo; de virginitate; de prædestinatione; de potestate Ecclesiæ; de cultu sacrarum Imaginum; de cæli rotunditate; de Meteoris; de libero arbitrio; de rerum eventu; de Divina Providentia; de peccato originali; de matrimonio; de cælibatu Religiosorum; & opuscula quædam Logicalia. Interfuit Concilio Tridentino sub Pio IV. obijt Bononiæ 1560.

Fr. *Antonius de Fantis*, fuit natione Italus, patriâ Tarvisinus. Scripsit Mare magnum Scoticæ subtilitatis: Et speculum rationale: Et Commentaria in 1. & 2. sententiarum Scoti.

Fr. *Antonius Hiquaeus*, fuit natione Hibernus, patriâ Tuomoniensis. Edidit tria magna volumina in quartum sentent. Scoti, præter alia opera varia. Obijt Romæ 1641.

Fr. *Antonius à Mare*, Italus de Urbe Genuensi, scripsit summam Theologiæ.

Fr. *Antonius à Matelica*, Italus, Picenus, scripsit Præter varia Concionatoria, & scripturistica, etiam Commentarios in 4. libros sententiarum, & Summam casuum conscientiæ.

Fr. *Antonius Patavinus*, Italus: scripsit Quæstiones quodlibetales.

Fr. *Antonius Sasscolinus* Italus, de Florentia, fuit Generalis Ordinis Convent. deinde à Clemente VII. creatus Episcopus Minertinæ in Calabria. Edidit Tractatum dictum *Scientiæ Illuminacula*.

Fr. *Antonius Syrretus*, seu *Syrrectus*, Gallus Provinciæ Turoniæ, scripsit Isagogicas formalitates ad Scoti Theologiam, opus eruditum, Scotistis perutile, undè & *Magister Formalitatum* est appellatus.

Fr. *Antonius Trombetta*, Italus, de Padua, Provinciæ S. Antonij, Professor Universitatis Patavinæ, fuit creatus Archi-Episcopus Athenarum, deinde ad Urbinatensem Episcopatum translatus, & à Julio II. ad Concilium Tridentinum evocatus specialiter, ob doctrinæ præstantiam: scripsit Quæstiones in Metaphysicam, & de futuris contingentibus, & Expositiones ad formalitates Scoti ab Antonio Syrrecto editas. Obijt Paduæ anno 1518.

Fr. *Antonius Valentinus*, Hispanus de Valentia: edidit scholia in librum 1. sententiarum Petri Lombardi. Creatus Episcopus Cajetanus anno 1341.

Fr. *Antonius Vasquez*, Hispanus. Edidit Confessioriarium generale an. 1623.

Fr. *Arnoldus Paludanus*, Leodius natione, Provinciæ Flandriæ: edidit Tractatum de foro animæ, id est, potestate Confessar.

Fr. *Arnoldus Royardus*, Gallus; creatus fuit Archi-Episcopus Salernitanus, deinde trans-

de translatus ad Episcopatum Sarlatensem. Scripsit Opus Theologicum moralium distinctionum; & super 4. libros sententiarum, præter postillas, & sermones.

Fr. *Ascensius* Gallus Aquitanus, scripsit Commentarios in 4. libros sententiarum.

Fr. *Astesanus*, Italus de Asta, in utroque Jure versatissimus, Provinciæ Januensis. Scripsit anno 1317. magnum volumen de Casibus conscientiæ, vulgò dictum, Summa Astesana.

Rursus quidam alius *Fr. Astesanus*, paulò post memoratum Doctorem scripsit Commentarios in lib. sententiarum.

B.

FR. *Balduinus*, natione Holandus de Haga Comitis, priùs Justi Lipsij discipulus, evasit celebris Theologus, & Ecclesiastes: scripsit præter plura alia egregia Opera Concionatoria, Historica & Spiritualia, etiam Manuale Theologicum, & Donum Sapientiæ, in qua de cognitione, natura, & prædestinatione DEI. SS. Trinitate, & S. Scriptura agit: & Paradisum deliciarum, ubi de DEO, & Creaturis tractat. Obijt Bruxellis anno 1634.

Fr. *Balthasar Pachecus*, Hispanus de Ledesma, Provinciæ S. Michaëlis: scripsit varia; quoad Scholastica, edidit librum in 2. Decalogi præceptum.

Fr. *Baptista Fernandez*, Hispanus, Provinciæ Burgensis: scripsit Demonstrationes Catholicas, quibus nititur veritas nostræ Christianæ Religionis.

Fr. *Baptista Salvis*, Italus, Ligur, Provinciæ Januensis: scripsit anno 1499. Summam Casuum conscientiæ, quæ vulgò *Baptistiniana* appellatur.

Fr. *Bartholomeus ab Apona*, Italus, Provinciæ S. Francisci, Socius S. Bernardini: hujus operâ potissimè Joannes Palæologus, & Joseph Patriarcha Constantinopolitanus Ecclesiæ Romanæ uniti fuêre, & ad Concilium Florentinum comparuêre: instruxit annis 12. Græciam in Fide Romana: scripsit Summam Casuum conscientiæ: & interrogatorium pro Confessariis.

Fr. *Bartholomeus Bartholomei*, scripsit anno 1581. Commentaria in Logicam.

Fr. *Bartholomeus de Chaymis* Italus, de Mediolano; fuit Legatus Sixti IV. ad Regem Ferdinandum Hispaniarum: scripsit Confessionale in 4. partes divisum, mortuus est circa annum 1496.

Fr. *Bartholomeus Glanvillus*, Anglus, vir eruditissimus: scripsit ingens volumen Philosophiæ naturalis, quod intitulatur, *de proprietatibus rerum libri undeviginti*: & de Mundo, ac cælestibus: & de rerum accidentibus. Composuit quoque postillas S. Scripturæ, sermones, allegorias, & tropologias in utrumque Testamentum &c. claruit anno 1360.

Fr. *Bartholomeus Guerrero*, Hispanus, Provinciæ S. Michaëlis: scripsit de controversia Immaculatæ Conceptionis Virginis MARIÆ.

Fr. *Bartholomeus Mastrius*, Italus de Meldula, unà cum socio Bonaventura Bellnto Siculo de Catanea Conventuales ediderunt hóc nostró sæculô Commentaria in Logicam, in octo libros Physicorum, in lib. de generatione & corruptione, in lib. de Meteoris. Deinde Mastrius solus typis mandavit duos Tomos Metaphysicæ. Et varios in totam Theologiam speculativam, ac moralem:

Fr. *Bartholomeus Pisanus*, vir eruditus ac Ordinis Historicus: scripsit 30. ingentia volumina, inter quæ quoque sunt quædam Opera scholastica, ut Summa Casuum conscientiæ: & Tractatus de Sacramentis, de Mysterijs Christi, &c.

Fr. *Bartholomeus de Xano*, Italus, Legatus Eugenij IV. ad Græcos pro Concilio Florentino: scripsit Summam Casuum conscientiæ.

Fr. *Basilius Polimacensis*, Gallus, tertij Ordinis S. Francisci: scripsit in Metaphysicam secundùm Raymundum Lullium; & Commentaria in artem Raymundi Lulli: obijt Parisijs anno 1645.

F. *Benedictus Bencovicz*, Dalmata, Provinciæ Dalmatiæ: edidit notas in Opera Scoti Logicalia.

Fr. *Bentivenga de Bentivennis*, Italus, de Aquasparta: factus fuit Episcopus Tudertinus; & à Nicolao III. creatus Cardinalis Episcopus Albanensis, atque Major Pœnitentiarius. Scripsit Veritatis Theologicæ volumen.

Fr. Ber-

Fr. *Bernardinus Aquilanus*, Italus de Aquila; peritissimus in utroque Jure, & S. Scriptura, Concionator Apostolicus, Ordinis Procurator ad Romanam Curiam. Scripsit præter diversa Opera in diversis materijs; etiam Quodlibetum Scholasticum. Obijt Aquilæ anno 1503.

Fr. *Bernardinus Rheginus*, Italus, Calaber, Lycheti discipulus. Edidit Comentarios in lib. 1. Scripti Oxoniensis. Obijt anno 1536.

S. Bernardinus Senensis, Italus, S. Ordinis Vicarius Generalis; in S. Theologia, & utroque Jure eruditissimus, plurima Opera doctissimè scripsit, ex quibus scholastica sunt, de Conceptione B. V. MARIÆ. Et de virtutibus & vitijs. Et contractibus, ac usuris. Est inter Sanctos relatus.

Fr. *Bernardinus Ursatus*, Glemonensis, peritissimus Astrologus. Scripsit varios Tractatus in Astologiam.

F. *Bernardinus Westweis*, Germanus, Provinciæ Coloniæ. Scripsit varios libros controversiarum contra Hæreticos: ac alia Opera.

Fr. *Bernardus de Verger*, Gallus, Provinciæ Aquitaniæ. Edidit librum controversiarum adversus Rivetum hæreticum Ministrum.

Fr. *Bertrandus Lagerius*, Gallus. Scripsit contra Hæreticos sui temporis: deinde creatus fuit Episcopus Adjacensis: inde translatus ad Episcopatum Glandacensem; tandem Cardinalis tit. S. Priscæ effectus. Obijt Avinione anno 1392.

Fr. *Bertrandus de Turre*, Gallus, Provinciæ Aquitaniæ; sæpius Legatus ad varios Principes: scripsit Commentaria in 4. libros sentent. aliaque complura opera Prædicatoria: factus est Archi-Episcopus Salernitanus, deinde creatus Cardinalis, ac Episcopus Tusculanus: obijt Avinione anno 1334.

S. P. Bonaventura, Doctor Seraphicus dictus, Italus natione, Balneo Regij in Heturia natus, discipulus Alexandri de Ales, & condiscipulus S. Thomæ Aquinatis; Generalis totius Ordinis pluribus annis, Cardinalis S. R. Ecclesiæ, clarus miraculis. obijt Lugduni anno 1274. & sepultus apud Franciscanos; ejus funeri hactenus omnium hujus temporis celeberrimo in Europa, interfuêre Gregorius Papa X. Græcorum Imperator per Græcos Proceres, Orientis verò Latinus Imperator Balduinus in persona, Jacobus Rex Aragoniæ, duo Patriarchæ Constantinopolitanus & Antiochenus, omnes Cardinales Concilij Lugdunensis, quod tūc celebrabatur, cum Episcopis, Abbatibus, Legatis Regum & Principum: orationem funebrem dixit, & funeralia eodem tempore peregit Petrus Tarantasius Archi-Episcopus Lugdunensis, Cardinalis S. R. Ecclesiæ, & Episcopus Ostiensis, deinde Papa Innocentius V. creatus. Canonizatus est à Sixto V. & inter maximos Ecclesiæ Doctores relatus, scripsit plurima sanè opera, ex quibus scholastica sunt sequentia, super 4. lib. sentent. & de Opere sex dierum, & sententiæ sententiarum, & Summam de essentia DEI, & compendiosum principium in lib. sentent. & Tractatum Logicæ de signis universalibus, & quæstiones super lib. de generatione, & quæstiones super lib. Topicorum, & quæstiones super lib. Meteor. & compendium Theologicæ veritatis, de essentia, invisibilitate, & immensitate DEI, & alia.

Fr. *Bonaventura Baro*, natione Hibernus Clomnensis, edidit præter varia opuscula miscellanea, Universam Philosophiam, & Theologiam Scoti vindicatam ab Adversarijs.

Fr. *Bonaventura Columbus*, Italus, Niciensis, Ordinis Conventualium, edidit nuper Universam Philosophiam ad mentem Scoti.

Fr. *Bonaventura Corzaga*, Italus, edidit Commentaria in prædicamenta Aristotelis circa annum 1576.

Fr. *Bonaventura Manenti*, Italus, Brixiensis, ex Ordine Conventualium, scripsit observationes in Tartaretum, & in quodlibeta Scoti.

Fr. *Bonaventura Paravicinus*, Italus, Provinciæ Bononiensis, scripsit 37. Lectiones super 4. virtutes Cardinales anno 1626.

Fr. *Bonaventura Pafferus*, Italus, Neapolitanus, Ordinis Convent. Professor publicus Metaphysicæ, Universitatis Bononiensis, edidit Tractatum de Scientia DEI; & alia circa annum 1590.

Fr. *Bonaventura Pius*, Generalis Ordinis Conventualium, deinde Episcopus Aquensis., scripsit opuscula in Scoti doctrinam.

Fr. *Bonaventura Rapiccia* Italus, Astensis, scripsit librum de casibus conscientiæ.

Fr. *Brinkelcyus Brinchmus*, scripsit distinctiones Theologicas lib. 1. & lecturam sent. lib. 4. & determinationes lib. 1. & alia opera miscellanea.

C.

FR. *Cælestinus Suessionensis*, Tertij Ordinis S. Francisci, Provinciæ Aquitaniæ, scripsit Theologiam moralem.

Fr. *Cesar Lanza*, Italus de Patavio, scripsit commentarios in prædicabilia Porphyrij, & alias multas quæstiones.

Fr. *Calistus à Neuberga*, Germanus, scripsit anno 1546. repertorium Juris utriusque.

Fr. *Carolus Rapinæus*, Gallus, Provinciæ S. Dionysij, edidit nucleum Philosophiæ Scoti anno 1625. & alia Opera historica ac regularia.

Fr. *Christianus Honsius*, Germanus, Provinciæ Coloniensis, edidit moralia de confessione; & alia opera.

Fr. *Christophorus Bandellus*, acerrimus insectator hæreticorum, scripsit librum contra hæreses sub Alexandro IV.

Fr. *Christophorus à Capsfontium*, Gallus de Britannia min. totius Ordinis mei Minister Generalis factus anno 1571. & deinde à Gregorio XIII. creatus Archi-Episcopus Cæsariensis, obijt Romæ, scripsit varia opera; quoad scholastica edidit assertionem Catholicam de libero arbitrio, & meritis bonorum operum, & Catholicam defensionem de perpetua Virginitate B. V. MARIÆ, & Sponsi ejus Joseph, & librum defensionis Fidei circa realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistia, & lib. novarum illustrationum Christianæ Fidei adversus Atheos &c.

F. *Clarus*, Italus, Florentinus, S. Theologiæ, & Juris Pontificij Doctor, deinde Minor effectus, scripsit Summam Casuum conscientiæ, & tractatus varios in Jure Canonico; vixit anno 1308.

Fr. *Claudius Frassen*, Gallus, scripsit Universam Philosophiam, & Theologiam universam.

Fr. *Clemens Brancasius*, Italus, Provinciæ terræ laboris, scripsit de DEO Trino, & Uno ad mentem Scoti tomos duos.

Fr. *Clemens Dolera*, Italus, Ligur, Minister Generalis Ordinis mei; deinde à Paulo IV. creatus Cardinalis tit. S. Mariæ in Ara cæli, ac Episcopus Fulginatensis, scripsit Opus Theologicum Catholicarum institutionum, *Christianam Theologiam* intitulatum, obijt Romæ anno 1568.

Fr. *Conradus de Asculo*: Italus, Picenus, scripsit Commentarios in lib. Ethicorum.

Fr. *Conradus Clingius*, Germanus, Doctor facundissimus, & Ecclesiastes Eufordiensis contra Hæreticos, scripsit locorum communium S. Theologiæ sylvam contra Hæreticos anno 1570. ac alia multa opera.

Fr. *Constantius Buccafocus*, Italus, Sarnanus, Conventualis, factus Cardinalis & Episcopus Vercellensis à Sixto V. edidit Commentaria in Universalia Scoti, scripsit etiam scholia in formalitates Ant. Sirrecti, & doctrinam de secundis intentionibus, & summam Theologiæ, & lib. 1. locorum communium S. Theologiæ, & directorium in Logicam, Physicam: & Theologiam ad mentem Scoti, ac plura alia opera, obijt Romæ 1595.

Fr. *Cornelius Adriani*, Belga, scripsit de 7. Sacramentis, & alia: obijt Brugis anno 1581.

Fr. *Cornelius Birag*, Italus de Mediolano, scripsit de generatione & corruptione.

Fr. *Cornelius Martini*, Italus, Ferrariensis, Conventualis, scripsit Commentaria in Prol. Scoti super sententias circa annum 1550.

Fr. *Cornelius Mussus*, Italus, Conventualis, scripsit præter plura Opera scripturistica, ac concionatoria, etiam de Fide, & de mysterijs Salvatoris nostri, puta Generatione æterna ejus, Incarnatione, Morte, Resurrectione, Ascensione &c. de Ecclesia Catholica &c.

Fr. *Crescentius Æsinus* Italus, factus Generalis Ordinis, deinde ab Innocentio IV. creatus Episcopus Assisiensis, composuit Summam Juris, fuit coætaneus pluribus Socijs S. Francisci.

Fr. *Da-*

D.

FR. *Damianus de Capella*. Edidit tractatum de Philosophia.

Fr. *Damianus Guer*, Hispanus, Provinciæ Valent. Edidit anno 1598. Commentaria in 4. lib. Sententiarum Scoti.

Fr. *Didacus de S. Francisco*, Hispanus, Provinciæ S. Pauli. Composuit variarum materiarum Theologicarum Tom. I. præter alia Operæ.

Fr *Didacus Vatadu*, Hispanus. Edidit Epitome Magist. Sentent. & Opera alia.

Fr. *Dionysius à Terre de Mystinis*, Italus, Provinciæ S. Francisci; promotus fuit ad Episcopatum Nepesinum: & Sutrinum. Scripsit Comntarios in Logicam an. 1614.

Fr. *Donatus à S. Agatha*, Italus, Provinciæ Æmiliæ. Scripsit tract. adversus hæret.

Fr. *Durandus Campanus*, Gallus. Scripsit Summam Confessariorum. Et in quartum Sententiarum.

E.

FR. *Eleutherius Albergonus*, Italus, Mediolanensis, Conventualis. Edidit Resolutionem doctrinæ Scoticæ; & alia Opera Concionatoria.

Fr. *Elias Bassæus*, Capucinus, Provinciæ Gallo-Belgicæ. Edidit Flores totius Theologiæ practicæ tum Sacramentalis, tum moralis.

Fr. *Elias Bourdeille*, Gallus: à Nicolao V. creatus Episcopus Petragoricensis; deinde trans'atus ad Episcopatum Turonensem; tandem factus Cardinalis tit. S. Luciæ. Scripsit de authoritate Papæ plures tractatus, aliaque opera. Obijt Turonis clarus miraculis anno 1484.

Fr. *Elias Nabinalis*, Gallus, Provinciæ Aquitaniæ; à Clemente VI. designatus Archi-Episcopus Niconen. & Patriarcha Jerosolym. ac tandem Cardinalis tit. S. Vitalis, ac Episcopus Ostiensis sub Urbano V. Scripsit Commentaria in 4. lib. Sententiarum, ac alia opera. Obijt Avinione anno 1363.

Fr. *Emanuel Rodericus*, Lusitanus, in Jure Pontificio, & Theologia versatissimus. Scripsit præter varias materias regulares, etiam Summam Casuum conscientiæ. Et librum unum opinionum communium circa Casus conscientiæ.

F.

FR. *Florentius Conrius*, Hibernus, Provinciæ Hiberniæ; creatus Archi-Episcopus Tuomensis. Composuit volumen unum de gratia Christi. Et compendium doctrinæ S. Augustini circa gratiam. Obijt Matriti 1631.

Fr. *Fortanerius Vassellì*, Anglus, primùm Vicarius Generalis Ordinis; deine Minister Generalis ejusdem: tandem electus Archi-Episcopus Ravennat. & ab Innocentio VI. creatus Cardinalis anno 1361. obijt Paduæ. Scripsit præter plura alia opera Biblica, & Concionatoria, etiam lectionum Theolog. librum unum. Et Quodlibeta disputata.

Fr. *Franciscus Antonius Blondus à S. Severino*, Italus, Conventualis, promotus est in Episcopum Ortonensem. Scripsit Disputationes Scoticas circa prædestinationem, & reprobationem. Et opus de Censuris, ac Irregularitate.

Fr. *Franciscus Ant. Casimirius*, Conventualis. Edidit anno 1597. Scotum elucidatum in secundum Sententiarum.

Fr. *Franciscus de Alcocer*, Hispanus, Provinciæ, S. Jacobi. Vixit anno 1580. Edidit Summam Casuum conscientiæ; & alia opera.

Fr. *Franciscus ab Aqua putrida*, Italus, de Neapoli, Provinciæ terræ laboris. Floruit anno 1340. scripsit Diadema Philosophicum, in quo arcana naturæ recondita aperit. Et compendium conclusionum universæ Philosophiæ.

Fr. *Franciscus Asculanus*, Italus, *Doctor Succinctus* appellatus, scripsit in 4. lib. Sentent. Et Reportata. Et alia plura.

Fr. *Franciscus à S. Augustino Macedo*, Lusitanus: scripsit collationes doctrinæ D. Thomæ, & Scoti. Et controversias contra Hæreticos, ac complura alia opera erudita, vir omniscius hôc nostrô sæculô.

Fr. *Franciscus Bordonus*, Italus, Parmensis, tertij Ordinis S. Francisci. Edidit varia Opera

Opera, præsertim Canonica, & Civilia pro Regularibus Inquisitoribus; Judicibus, & Causidicis.

Fr. *Franciscus à Candia*, dictus *Doctor fertilis*: scripsit uberes Commentarios in 4. lib. Magistri Sententiarum.

Fr. *Franciscus à Castillo Velano*, Hispanus, Matrit. Provinciæ Castellæ. Edidit tract. de Præservatione B. V. Mariæ ab originali labe. Et tract. de Incarnatione. Et tract. de Fide, Spe, & Charitate.

Fr. *Franciscus à S. Clara*, Anglus: scripsit librum Theologicum de DEO, natura, & gratia.

Fr. *Franciscus Coriolanus*, Capucinus: scripsit Summam Theologiæ ad instar Summæ Angelicæ, ex operibus S. Bonavent. compactam; & plura alia opera miscellanea.

Fr. *Franciscus Felix*, Hispanus Matrit. Provinciæ Castellæ. Edidit tract. de fine ultimo; de beatitudine; de actibus humanis; de conscientia; de habitibus & virtutibus; de visione DEI; de peccato actuali; originali; & habituali; de gratia; justificatione; & merito &c.

Fr. *Franciscus Feuardentius*, Gallus, postquam illustravit scholijs Irenæi Mart. Ildephonsi Toletani Archi-Episcopi; & scripsit plurima commentaria in S. Scripturam; demum etiam plures libros contra Hæreticos edidit.

Fr. *Franciscus de Fraxino*, Hispanus, Provinciæ Castellæ. Edidit Commentaria in Universalia Porphyrij; & prædicamenta Aristotelis.

Fr. *Franciscus de Herrera*, Hispanus, Provinciæ S. Jacobi. Composuit tract. de Angelis: & volumen magnum de peccatis: & Commentaria in 1. & 2. Sentent. & Manuale Theologicum; & plura alia Opera mixta.

Fr. *Franciscus Horantius*, Hispanus, Legatus Apostolicus ad classem Catholicam Philippi II. Regis Hispaniarum dirigendam contra Elisabetham hæreticam Angliæ Reginam. Composuit Locos Catholicos: & librum de justificatione contra hæreticos: interfuit Tridentino, & ibi coram Synodo tota peroravit in Festo Omnium SS. Obijt Episcopus Ovetensis anno 1584.

Fr. *Franciscus Lychetus*, Italus, Brixiensis, sagacissimi ingenij vir; factus fuit Generalis Ordinis, postquam scripserat Commentaria in 1. 2. & 3. scripti Oxoniensis: & in Quodlibeta Scoti anno 1517.

Fr. *Franciscus de Marchia*, Italus, Picenus. Scripsit Commentaria in lib. natural. Aristotelis: & in lib. Metaph. & in lib. Sententiarum.

Fr. *Franciscus Marcaz de Minorica*: edidit artem generalem ultimatam Ven. Magistri, ac Doctoris Illuminati Lulli Majoricensis, tertij Ordinis S. Francisci, notis marginalibus illustratam, & melius distributam.

Fr. *Franciscus de Mayronis* (vulgò Mayronius) Gallus, Scoti discipulus, *Doctor illuminatus* nuncupatus; fuit Doctor Sorbonicus, & primus circa annum 1315. invexit in Universitatem Parisiensem *actum Sorbonicum*, quò in æstate defendens sine præside à quinta matutina Gallici, & Germani horologij, usque ad septimam vespertinam absque omni alimento assumpto, continuatim respondet. Prima dies hujus concertationis Franciscano, ultima Dominicano decreta est; unde vulgò in Gallijs dicitur, *Franciscanus aperit, Dominicanus claudit Sorbonam.* Edidit plurima Opera super varias materias: pro foro verò scholastico composuit Commentaria in 4. libros Sententiarum, Et Reportata in 2. Sentent. & Reportata in 4. Sentent. & Epitome in lib. natural. Aristotelis: & Conflatile, id est, varias quæstiones de distinctionibus, relationibus, signis naturæ, & formalitatibus: & tractatum de univocatione entis: & tract. de primo principio: & tract. de Divin. Nominũ explicatione: & tract. de formalitatibus: & tract. de Indulgentijs: & tract. de Angelis: & tract. de pœnitentia: & tract. de baptismo, de humilitate; de suffragiis mortuorum: & commentarios in lib. S. Anselmi: & Commentarios in lib. S. Dionysij, & S. Augustini; & plura Opera prædicatoria, aliaque. Obijt Placentiæ anno 1325.

Fr. *Franciscus Morenus*, Hispanus, Provinciæ Angliæ. Edidit duos Tomos de Immaculata Conceptione.

Fr. *Franciscus Navarriensis*, in utroque Jure doctissimus: reliquit Summam de Casibus conscientiæ.

Fr. *Fran-*

Fr. *Franciscus Ortisius*, Hispanus, Provinciæ Castellæ: floruit circa annum 1595. sedecim in diversis materijs cōposuit volumina. Pro scholis reliquit varios Tractatus de homicidio voluntario; de matrimonio; baptismo; dispensatione; absolutione, &c.

Fr. *Franciscus de Ovando*, Hispanus, Provinciæ S. Michaëlis. Scripsit breviloquium Scholasticæ Theologiæ. Et Commentaria in 4. lib. sentent.

Fr. *Franciscus Panigarola*, Italus, Mediolanensis, celeberrimus Ecclesiastes, & ideo *Italicus Chrysostomus* vocatus; promotus est ad Episcopatum primo Christopolitanum; deinde Astensem; pro foro concionatorio plurima composuit volumina sermonum, & scripturistica. Pro scholis congessit Paraphrases in lib. Physicorum Aristotelis. Et volumina 5. in Scotum, & alia.

Fr. *Franciscus de Pitigianis*, Italus, Hetruscus de Aretio, Provinciæ Tusciæ. Edidit Summam Theologiæ speculativæ, & moralis. Et Commentaria scholastica in 3. & 4. Sententiarum Scoti. Et Criminalem Canonicam. Et libros 8. physicorum suis Commentarijs illustravit.

Fr. *Franciscus de Platea*, Italus, Bononiensis, optimus Canonista. Scripsit tract. de restitutionibus; & de Censuris; & de Usuris; & de actu matrimoniali; aliaque; floruit anno 1442.

Fr. *Franciscus de Roy*, Gallus, Provinciæ Franciæ. Scripsit expositiones super axiomata Aristotelis.

Fr. *Franciscus Rubens* scripsit Commentaria in 1. Sententiarum Scoti.

Fr. *Franciscus Samson*, Italus, Brixianus; electus est Generalis Ordinis An. 1475. Edidit Commentaria in Ethicam Aristotelis. Et quæstiones in 8. libros Physicorum. Obijt Florentiæ anno 1499.

Fr. *Franciscus Sanlhoratius* edidit Romæ anno 1619. medullam Aristotelis.

Fr. *Franciscus Spinetti*, Italus de Aqua putrida. Scripsit quæst. in 4. Sentent.

Fr. *Franciscus Stephani*, scripsit Commentarios in 4. Sentent. S. Bonaventuræ.

Fr. *Franciscus Tantius*, Belga, Brugensis. Scripsit in Magistrum sententiarum circa annum 1602.

Fr. *Franciscus Titelmanus*, ex districtu Leodiensi oriundus, versatissimus in Lingua Chaldaica, Hebraica, & Græca. Edidit plurima Opera Ecclesiastica in S. Scripturam, & alia: pro scholasticis reliquit libros 6. de consideratione Dialectica. Et compendium Philosophiæ naturalis. Et plures tractatus de Sacramentis &c.

Fr. *Franciscus de Toros*, Hispanus, Tarraconensis, Provinciæ Aragoniæ. Scripsit de mysterio Immaculatæ Conceptionis.

Fr. *Franciscus de Valentia*, scripsit in Metaphysicam Aristotelis.

Fr. *Franciscus Vicedominus*, Italus, Ferrariensis. Composuit multas homilias; & tandem vocatus ad Concilium Tridentinum edidit Disputationes de rebus Fidei, quas in Concilio habuit cum Hæreticis; peroravit ibi quoq; in eadem S. Synodo Dominicâ XXIV. post Pentecosten; passim vocabatur ob insignem eloquentiam *Suggesti deliciæ*, & *cithara suæ ætatis*: mortuus est anno 1572.

Fr. *Franciscus Vita*, Italus, de Sicilia. Scripsit de Justificatione; & de Sacramento Eucharistiæ: interfuit Tridentino Con.

Fr. *Franciscus Ximenius*, Catalanus, Episcopus Elnensis, & Patriarcha Hierosolymitanus. Scripsit de natura Angelica librum insignem. Et alia Opuscula.

Alter Fr. Franciscus Ximenius de Cisneros, Hispanus, Archiepiscopus Toletanus, & Cardinalis Gubernator Hispan. edidit utilissimum Opus, scilicet Biblia in quatuor linguis, Hebraica, Chaldaica, Græca, & Latina, editum Compluti. Fundavit Universitatem Complutensem, & in opinione sanctitatis occubuit Compluti.

Fr. *Franciscus Zenus*, Italus, Provinciæ Mediolanensis; Vicarius Generalis Ordinis. Edidit Thesaurum Theol. Et scripsit super quartum Sententiarum.

G.

FR. *Galianus de Mantua*, Italus. Scripsit Summam Casuum conscientiæ.

Fr. *Gaspar de Fonte*, vulgò *de la Fuente*, Hispanus, Toletanus, Provinciæ Castellæ: edidit Quæstiones Dialecticas. Et Physicam ad mentem Scoti. Et magnum volumen de Immaculata Conceptione.

F. *Gaspar Saßgerus*, Germanus. Scripsit præter alios libros complures, etiam Tract. de Sacrificio Missæ. Et examen novarum doctrinarum. Et de Sanctorum imploratione. Et de libertate Evangelica. Et de iustitia fidei. Et de septem Sacramentis. Et de Fide, Spe, & Charitate. Et de præceptis, & legibus. Et de potestate Ecclesiastica, &c.

Fr. *Gaspar Sgerra*, Italus, Panormitanus, Conventualis. Scripsit de Deo Uno, & Trino Opuscula Scotica.

Fr. *Gaspar de Vergera*, Hispanus. Scripsit de Immaculata Conceptione.

Fr. *Gaudentius Bontempo*, Capucinus. Scripsit Theologiam ad mentem S. Bonav.

Fr. *Georgius Benignus*, Ragusæus; factus est Archiepiscopus Nazarenus. Edidit quæstiones de natura Angelica. Et volumen grande de Dialectica. Floruit an. 1400.

Fr. *Georgius de Pera*, Italus, edidit quæstiones in Metaphysicam.

Fr. *Georgius Petrocha*, Italus, Mantuanus. Scripsit Theologica varia Opuscula; assumptus est ad Episcopatum Albæ Pompejæ in subalpinis.

Fr. *Georgius Ruiz*, Hispanus, Provinciæ Conceptionis. Scripsit Commentaria in 4. Sentent. lib. anno 1613.

Fr. *Gerardus Burgundus*. Scripsit Commentaria in Logicam Aristotelis an. 1330.

Fr. *Gerardus*, Gallus, Provinciæ Aquitaniæ. Scripsit in 4. lib. sententiarum Scoti, & alia Opera.

Fr. *Gerardus Odonis*, Gallus, Ruthenensis, electus est Minister Generalis Ordinis 1329. deinde constitutus Legatus à Joanne 22. in Siciliam, Angliam, & Bosnam; ac demum creatus Patriarcha Antiochenus. Scripsit in moralibus, & quæstiones varias in Logicam, & Commentarios in lib. 10. Ethicorum, & in 4. lib. sentent. aliaque concionatoria, & scripturistica Opera.

Fr. *Godefridus de Fontibus*, Anglus, cognomento *Doctor venerandus*, scripsit in Magistrum sententiarum libros 4. & Quodlibeta multa.

Fr. *Gratianus Brixianus*, Professor Academiæ Patavinæ: scripsit lecturam eruditam super lib. 2. sentent. Scoti, & commentaria in 3. & 4. sentent. & Quodlibeta Scoti.

Fr. *Gratianus Monfortius*, Capucinus, evulgavit axiomata Philosophica, & librum Controversiarum Fidei.

Fr. *Gualterus Brinkelius*, Anglus, cognomento *Doctor Sophista*, Professor Oxoniensis, scripsit super Magistrum Sententiarum lib. 4. & distinctiones scholasticas lib. 1. & determinationes lib. 1. & in varia opera Aristotelis acuratos Comentarios; floruit 1310.

Fr. *Gualterus Brugensis*, Flander: edidit Comentaria in lib. sententiarum: & Quodlibetica Theologica: & Tract. de pœnitentia; aliaque Opera Concionatoria: creatus fuit Episcopus Pictavorum; mortuus est 1307.

Fr. *Gualterus Cattonus*, Anglus, expertissimus in Philosophia, Theologia, Astrologia, omnibusque scientijs: factus est Pœnitentiarius Joannis XXII. scripsit super Magist. sentent. lib. 4. & Resolutiones quæstionum lib. 1. & contra Astrologos Judiciarios lib. 1. aliaque. Obijt Avinione 1343.

Fr. *Guido Bonatus*, Italus, Florentinus, consumatissimus Astrologus, scripsit lib. de rebus Astrologicis, & tract. de projectione partium. Obijt anno 1300.

Fr. *Gulielmus Alnevicus*, Anglus, Lector Oxoniensis, Episcopus designatus fuit in regno Neapolitano: scripsit super Magist. sententiarum lib. 4. & in Physicam Arist. lib. 8. & in Sophismatum Elenchos lib. 1. aliaque. Obijt Avinione anno 1322.

Fr. *Gulielmus Antonius Branczek*, Boëmus, & Collega *Ernestus Schaff*, Germ. Prov. Boëm. Lectores, nuper edidêre simul universam in compendio Philosophiam.

Fr. *Gulielmus Brutonus*, in Cambria natus: varia docta Opera in S. Biblia composuit: & pro scholasticis scripsit lib. de divisionibus Boëtij: & in Isago. Porphyrij: & in prædicamenta Aristotelis: & in lib. Perihermenias: & in Elenchos libros duos: & rursus quæstiones Elenchorum: & in sex principia lib. 1. Obijt Grimmesbij an. 1356.

Fr. *Gulielmus Cattonus*, Anglus: scripsit eruditè super Magist. sententiarum lib. 4. & Quæstionum Theologicarum lib. 1. floruit anno 1530.

Fr. *Gulielmus de Centuaria*, Italus de Cremona, Professor in Universitate Ticinensi; promotus ad Episcopatum Placentinum; deinde translatus est ad Papiensem: edidit Commentaria in 4. libros sententiarum. Obijt Cremonæ anno 1404.

Fr. *Gulielmus Chaubes*, scripsit introductionem ad Logicam: & declarationem in lib. 1. sententiarum.

Fr. Gui-

Fr. *Guilielmus de Conches*, alij volunt, *de Combis*, Italus, scripsit 33. libros super opere sex dierum, continentes raram doctrinam de creaturis omnibus mundi.

Fr. *Guilielmus de Falgario*, Gallus, Tolosanus; fuit Vicarius Generalis Ordinis; deinde Episcopus Vivariensis. Commentarios S. Bonaventuræ ad Ordinem redegit, & illustravit; aliáque scholastica concinnavit. Floruit anno 1290.

Fr. *Guilielmus Forleo*, Britannus, Conventualis. Edidit Commentaria in 4. Sententiarum libros; aliáque. Floruit sub Paulo II. & Sixto IV.

Fr. *Guilielmus Fulgurus*. Opera S. Bonaventuræ in compendium redegit.

Fr. *Guilielmus Herincx*, Belga. Scripsit universam Theologiam: nuper promotus Episcopus Iprensis.

Fr. *Guilielmus Lemterus*, Anglus, Doctor Oxoniensis: Composuit Collationes in Magist. sentent. Et fecit Quæstionum Theologicarum lib. 1. ac alios tractatus.

Fr. *Guilielmus de Mara*, Anglus; Professor Oxoniensis. Scripsit super Magistrum sententiarum libros 4. Et lecturas scholasticas. Et reprehensorium D. Thomæ. Et defensorium S. Bonaventuræ. Et additiones in eundem. Et Quodlibeta sophistica. Floruit circa annum 1300.

Fr. *Guilielmus Occam*, Anglus, Scoti discipulus, & deinde acerrimus oppugnator, vocatus *Doctor singularis*, Nominalium Princeps. Scripsit super Magistri sententiarum libros 4. Et compendium Theologiæ lib. 1. Et de Sacramento Altaris lib. 1. Et de corpore Christi lib. 1. Et de prædestinatione Sanctorum lib. 1. Et de scientiarum ingressu lib. 1. Et Quodlibeta magna lib. 1. Et super Porphyrium lib. 1. Et summam Logices ad Adamum lib. 4. Et defensorium Logices lib. 1. Et de 20 generibus lib. 1. Et in prædicamenta Aristotelis lib. 3. Et in libros Perihermenias lib. 2. Et super Elenchos lib. 2. Et Dialecticam novam lib. 1. Et Quæstiones in lib. Physicorum 8. Et quæstiones de anima lib. 1. Et de 4. causis librum unum. Et de forma prima librum unum. Et de forma artificiali librum 1. Et de pluralitate formæ librum unum. Et de materia prima librum unum. Et de privatione librum 1. Et de subitanea mutatione librum unum. Et Quæstiones Poster. Et Commentarios in Metaphysicam. & Commentarios in omnia opera Aristotelis. Et de perfectione specierum; ut tacem plurima alia opera miscellanea. Jacet Monachij apud suos Minores sepultus.

Fr. *Guilielmus de Oona* Anglus, dictus *Doctor fundatus*. Scripsit in 4. libros sententiarum. Et Quæstiones Quodlibetales; Et in omnes libros Aristotelis.

Fr. *Guilielmus de Tortona*. Scripsit Commentaria super Logicam.

Fr. *Guilielmus Varro*, Anglus, Professor Oxoniensis, & Parisiensis; fuit Magister Scoti nostri subtilis Doctoris; & ipse *Doctor Fundatus* nominatus. Scripsit in Magist. sententiarum libros 4. Et lecturas Theologicas. Et Quodlibeticas quæstiones lib. 1. Et Quæstiones ordinarias lib. 1. Et Comentaria in omnes Aristot. libros. Claruit an. 1270.

Fr. *Guilielmus Van-Sichen*, Belga. Scripsit nuper integrum cursum Philosophicũ.

Fr. *Guilielmus Vorilongus*, Gallus. Scripsit in 4. libros sententiarum juxta Doctrinam S. Bonaventuræ, & Scoti anno 1484. Et repertorium propositionum, quæ sunt contra Scotum. Objit Romæ 1501.

Fr. *Guilielmus Wodfordus*, Anglus, præter complura Opera scripturista, ac varia miscellanea, etiam scripsit contra Hæreticos Wiclephistas. Et librum unum de Eucharistia. Et de Sacerdotio novi Testamenti. Et in Physicam Aristotelis libros 8. Mortuus est anno 1397.

H.

FR. *Hanibal Rosselius*, Italus, Calaber, Provinciæ S. Francisci in Umbria. Scripsit plurimos tractatus Theologicos, & Philosophicos; qui sex magnis Tomis comprehenduntur, præter duo magna volumina Concionum. Objit 1600.

Fr. *Haymon de Feversham*, Anglus, anno 1239. in Capitulo Generali Bononiensi, cui præsedit ipsemet Summus Pontifex Gregorius IX. electus est Minister Generalis; priùs autem fuerat Legatus Pontificius ad Imperatorem Græcorum: hic jussu Gregorij præfati correxit Breviarium Romanum, & in eam fermè, quâ nunc est, formã reduxit. Scripsit, præter sermones, & alia, etiam in 4. libros sententiarum Magistri. Objit Anagniæ anno 1244.

Fr. *Henricus Brych*, Germanus. Scripsit summam Decretalium in 5. libros distinctam.

Fr. *Hen-*

Fr. *Henricus Cremonensis*, Italus, redegit in Epitome 4. libros sententiarum. Et lib. natural. Aristotelis juxta principia Scoti.

Fr. *Henricus de Huda*, Anglus, Provinciæ Anglicæ. Scripsit Commentaria in 4. libros sententiarum.

Fr. *Henricus Villalupensis*, Hispanus de Villalobos, insignis Canonista, & Theologus. Composuit duos Tomos continentes 41. tractatus Theologiæ Moralis. Objit Salamanticæ anno 1663.

Fr. *Henricus Werlius*, Germanus, Provinciæ Coloniensis, & ejusdem Universitatis Doctor. Scripsit in quatuor libros sententiarum. Et de potestate Ecclesiast. librũ unum. Et quæstiones in Universalia Porphyrij: vixit tempore Concilij Florentini.

Fr. *Hieronymus Acettus*, Italus, Provinciæ Brixiæ. Scripsit elaboratam expositionem quæstionum Scoti in prædicamenta Aristotelis anno 1600.

Fr. *Hieronymus Gadius*, Italus, Bononiensis. Scripsit Commentaria in Quodlibeta Scoti.

Fr. *Hieronymus Gallus*, Italus, Insuber, Provinciæ Mediolanensis. Scripsit tomos duos in tertium librum Scoti scripti Oxoniensis. Objit Mediolani anno 1644.

Fr. *Hieronymus Girellus*, Italus, Brixiensis, Conventualis. Scripsit de primo cognito. Et de speciebus intelligibilibus. Et expositionem clarissimam in disputationes Averrois, contra Algazelem. Objit Brixiæ anno 1523.

Fr. *Hieronymus Picenus*, Italus, aliàs Asculanus dictus, à Gregorio X. creatus Nuncius Apostolicus ad Michaëlem Paleologum Græcorum Imperatorem, & à Nicolao III. destinatus Legatus ad Reges Hispaniæ, & Galliæ, ac ad Rudolphum Imperatorem, Fit Cardinalis anno 1288. & tandem evehitur etiam ad summum Pontificatum, vocaturque Nicolaus IV. successit autem priùs S. Bonaventuræ in Generalatu anno 1274. scripsit in 4. libros sententiarum; & plura Opera Concionat. Objit Romæ 1292.

Fr. *Hieronymus Rodericus*, Lusitanus, Provinciæ S. Jacobi; utile opus Canonicum de quæstionibus Regularibus compilavit.

Fr. *Hieronymus Tamarit*, Hispanus, Provinciæ Valentiæ. Scripsit Flores Theologiæ in 1. librum sententiarum; & majori ex parte etiam in secundum.

Fr. *Hieronymus à Valentia*, Italus, Provinciæ Januensis. Scripsit Quodlibeta Theologica.

Fr. *Hieronymus de Valera*, Indus, Provinciæ 12. Apostolorum in Indijs Orientalibus Minister Provincialis, subtilis ingenij Scriptor. Scripsit Commentaria in Logicam juxta Scoti mentem Limæ 1610.

Fr. *Hugo Cavellus*, Hibernus, Provinciæ S. Jacobi alumnus. Commentarios in 4. libros sententiarum Scoti recognovit, & purgavit à mendis, auxit scholijs, & illustravit indicibus. Edidit ejusdem Scoti Commentaria, seu Reportata Parisiensia. Et Quæstiones Quodlibetales. Et quæstiones in Metaphysiam. Et quæstiones in lib. de anima.

Fr. *Hugo Narbonensis* scripsit Commentaria in secundum Sententiarum.

Fr. *Hugo de Novo Castro*, Anglus, vocatus *Doctor Scholasticus*. Scripsit super Magistri sententiarum lib. 4. Et Reportata super eundem &c. Floruit anno 1284.

Fr. *Hugo Sietstads*, Germanus. Scripsit in 4. lib. sententiarum S. Bonaventuræ circa annum 1452.

Fr. *Hungarus*, Ungarus, Pestensis. Præter Concionatoria, edidit quoque Commentaria in præcepta Decalogi anno 1516.

I.

FR. *Jacobus Alexandrinus*. Scripsit Commentaria in Physicam Aristotelis. Et alia prædicatoria.

Fr. *Jacobus de Alva*, Italus, Provinciæ Janvensis. Compilavit per quæstiones, & Conclusiones omnes libros Philosophiæ.

Fr. *Jacobus Bargius*, Italus, Convent: Scripsit Commentaria in primum sentent:

Fr. *Jacobus de Blanchis*, Italus, de Alexandria. Scripsit Commentaria de cœlo, & mundo. Et de generatione, & corruptione. Et opusculum per quæstiones in omnes libros Aristotelis.

Fr. *Jacobus Cesa*. Scripsit tract. de Immaculata Conceptione.

Fr. Ja-

Fr. *Jacobus Faber*, Italus, Comensis Provinciæ Mediolenensis. Scripsit tract. de Medio Demonstrationis.

Fr. *Jacobus Landensis*, Italus, Provinciæ Mediolanensis. Scripsit summam Casuum Conscientiæ.

Fr. *Jacobus Malafossa*, Italus, Professor Patavinus, & Taurinensis. Edidit enarrationem in 1. & 2. & 3. sententiarum Scoti. Et expositionem in Metaphysicam Aristotelis. Fuit Orator in Concilio Tridentino.

B. P. Jacobus de Marchia, Italus, Picenus, gravissimus insectator, & profligator Hæreticorum in Bosna, Croatia, Italia, Hungaria, & alibi; prædicator Cruciatæ contra Turcas sub Callisto III. & Paulo II. in Beatorum numerum fuit ab Urbano VIII. relatus. Scripsit varia opera Concionatoria; ac pro scholis reliquit Commentaria in 4. lib. Magistri sententiarum. Et Quodlibeta. Et doctrinam Scoti in tabulas redactã.

Fr. *Jacobus à Spinello*. Scripsit Commentaria in 4. libros sententiarum.

Fr. *Jacobus Vagarellus*, Italus de Padua. Scripsit additiones ad summam Angelicam. Et tractatum doctum contra Hebræos.

Fr. *Jesualdus*, Italus, Panormitanus, Capucinus. Scripsit summam Casuum Conscientiæ.

Fr. *Ignatius Lupus*, Italus, Bergomensis. Scripsit Commentaria in censuras, & casus reservatos; & alia.

Fr. *Ildephonsus Bricenno*, Indus, Chilensis; creatus fuit Episcopus Nicaraguæ. Scripsit tomos duos Controvers: in primum sententiarum; & alia Opera.

Fr. *Illuminatus Moronus*, Italus, Bergomensis. Edidit centum responsa super difficultates Canonicas, & Juridicas de censibus; alienatione bonorum Ecclesiasticorum; contractibus; Legatis; bonis dotalibus; quarta funerali; Indulgentijs, Jubilæo, &c.

Fr. *Joannes Amalinus*, Gallus, Provinciæ Aquitaniæ. Ordinavit Commentaria Scoti in sententias.

Fr. *Joannes Anglicus*, Professor Parisiensis. Scripsit Commentaria super Magistrum sententiarum; & alia Opera plura.

Alius Fr. Joannes, Anglus. Conscripsit summam Casuum conscientiæ.

Fr. *Joannes Antonius Delphinus*, Italus de Casali majori. Scripsit varia; pro scholis verò tractatum de potestate Ecclesiæ. Et de Matrimonio, ac cælibatu libros duos. Et alios libros de prædestinatione; peccato originali; libero arbitrio; de justificatione; de cultu Sanctarum imaginũ; de Divina Providentia, &c. interfuit Trident. Conc.

Fr. *Joannes de Argamenus*, Hispanus, Provinciæ S. Jacobi. Scripsit tractatum de valore Indulgentiarum.

Fr. *Joannes Baptista Mexicanus*, Indus. Scripsit summam Casuum conscientiæ.

Fr. *Joannes de Barnic*, Anglus, Doctor Oxoniensis. Scripsit Commentarios in Magistrum sententiarum. Et lecturas scholasticas lib: 1. Et ordinarias quæstiones lib. 1. Et quæstiones de formis lib. 1. Et super prognosticis Astrologorum lib. 1. Claruit 1340.

Fr. *Joannes de Bassolijs*, vulgò *Bassolius*, Scoti discipulus, dictus *Doctor ordinatus*. Scripsit in quatuor libros sententiarum. Et miscellanea Philosophica, ac Medica.

Fr. *Joannes Bexenhand*, Germanus de Moguntia. Scripsit reportorium in S. Bonaventuram.

Fr. *Joannes de Bernal*, Gallus de Burdegala. Scripsit in formalitates Scoti an; 1584.

Fr. *Joannes Bonetus*. Composuit formalitates ex Scoti doctrina. Scripsit etiam in Metaphysicam Aristotelis Commentaria. Et tractatũ de conceptione jussu Clementis V.

Fr. *Joannes Bosco*, Belga. Scripsit Theologiam Sacramẽtalem, Scholasticã, & moralẽ.

Fr. *Joannes Breard*, Gallus, Doctor Parisiensis. Scripsit controversias contra duos Ministros hæreticos.

Fr. *Joannes à Cimbia*, Holandus edidit Thesaurum Theologorum.

Fr. *Joannes Canonicus*, Anglus, Professor Oxoniensis, auditor Scoti, Juris Pontificij & Cæsarei peritissimus. Scripsit super Magistrum sententiarum libros quatuor. Et lecturas Magistrales. Et quæstiones disputatas. Et octo libros in Physicam Aristotelis. Et quæstiones Dialecticas lib. 1. Floruit anno 1329.

Fr. *Joannes Cantianus*, Anglus, fuit Legatus Innocentij IV. in Angliam. Scripsit de Casibus Juris lib. 2. Claruit anno 1248.

B. P. Joannes Capistranus, Italus, de Oppido Capistrano in Aprutio; discipulus S. Bernardini Senensis; bis Vicarius Generalis Ordinis; deputatus Inquisitor generalis

Fidei

Fidei ab Eugenio IV. & Nicolao V. & Callisto III. interfuit Concilio Florentino, & ibi in maxima æstimatione à Patribus Concilij habitus: in Hungaria, Polonia, Boëmia, Moravia, Silesia, Austria, & alibi repressit hæreticos, ac convertit: Imperatorem Turcarum ad Albam Regalem profligavit suis fortissimis cruce signatis militibus. Scripsit plurima planè illustria Opera in diversis materijs. Pro Scholasticis extant sequentia; Tractatus de dignitate Ecclesiæ. De Electione Papæ. De Authoritate Papæ; & Concilij. Et de Excommunicationibus ipso jure; De matrimonio. De usuris, & contractibus. De blasphemia, & perjurio. De restitutionibus, De Censuris. De pœnis inferni, & purgatorij. De processione Spiritûs Sancti contra Rochizanam. Librum de Casibus conscientiæ. Item tractatum contra Judæos, & Hæreticos. Tractatum de Canonibus extractis ex Jur. Compendium resolutionum super totum corpus Decretalium; & alia complura: relatus est inter Beatos à Gregorio XV.

Fr. *Joannes Colomensis*, Germanus de Colonia. Scripsit in quatuor libros sententiarum. Et tabulam in Opera Scoti. Et quæstiones Magistrales in ejusdem scriptum Oxoniense. Et Quodlibeta. Et in Metaphysicam. Et in libros de anima. Et in libros Posteriorum.

Fr. *Joannes de Combis*, Gallus, Provinciæ S. Bonaventuræ. Scripsit compendium totius Theologicæ veritatis.

Fr. *Joannes Dovetus*, Gallus, Professor Parisiensis. Contexuit in unum formalitates Scoti, Syrrecti, Trombetæ, & Bruliferi Minoritarum. Vixit anno 1579.

Fr. *Joannes Duns Scotus*, cognomentô *Doctor subtilis*; Princeps, & Fundator scholæ celeberrimæ Scotisticæ. Plurima edidit doctissima volumina; quæ distinctè refert Wadingus, & à me pariter registrantur infrà *in Prologo universæ Philosophiæ q. 2.* quò dirigo Lectorem.

Fr. *Joannes Edæus*, Anglus. Scripsit in Logicam Aristotelis librum unum. Et in Physicam ejusdem libros 8. Et in Magistrum sententiarum libros 4. Et opuscula Theologica lib. 1. præter Conciones, & lecturas in S. Scripturam. Obijt anno 1406.

Fr. *Joannes de Erfodia*, Germanus de Thuringia. Scripsit tabulam juris originalium nominum. Et summam Casuum. Et summam Confessariorum. Et Commentaria in lib. sententiarum. Floruit anno 1350.

Fr. *Joannes Faber*, Germanus scripsit disputationes contra Lutheranos.

Fr. *Joannes Fanensis*, Italus, Picenus. Scripsit contra Lutheri deliramenta; præter Commentaria in Regulam Fratrum Minorum, ac alia.

F. *Joanes Ferus*, Germanus, vir multiplicis eruditionis. Scripsit præter insignia Commentaria in plerosque S. Scripturæ libros, etiam Examen ordinandorum, ubi variæ quæstiones Theologicæ resolvuntur. Objit Moguntiæ 1554.

Fr. *Joannes de Fonte*, Gallus. Scripsit determinationes in 4. lib. sentent.

Fr. *Joannes Forestus*, Anglus. Scripsit de authoritate Ecclesiæ, summíque Pontificis librum unum.

Fr. *Joannes Forsanus*, Theologus Parisiensis. Edidit resolutiones in 4. libros sententiarum Scoti.

Fr. *Joannes Fucher*, Aquitanus; postquam in Indorum noviter detectorum conversione 40. annis laboràsset; scripsit de Judice Ecclesiastico. Et de Immunitate Ecclesiarum. Et itinerarium Catholicorū ad convertendos Infideles; aliáq; Opera miscellanea.

Fr. *Joannes Genesius de Qualca*, communiter dictus *Joannes de Parma*; creatus est Minister Generalis Ordinis: deinde ab Innocentio IV. deputatus Legatus Pontificius ad Joannem Imperatorem Græcorum; & rursus à Nicolao IV. ad Græcos. Mortuus est Camerini anno 1289. miraculis plenus. Scripsit in libros sententiarum. Et de beneficijs Creatoris; & plures alios libros.

Fr. *Joannes Guallensis*, Anglus. Emisit in lucem teste Bartholomæô Pisanô viginti circiter volumina: pro Scholasticis verò libros sententiarum quatuor. Et de relationibus librum unum. Et de esse, ac essentia librum unum. Claruit anno 1270.

Fr. *Joannes Guentus*, Anglus, Doctor Oxoniensis. Scripsit Commentarios in 4. libros sententiarum Magistri. Et librum unum quæstionum disputatarum. Objit an. 1348.

Fr. *Joannes della Haye*, Gallus, Parisiensis, Provinciæ Bœticæ in Hispania Alumnus. Edidit, præter insigne illud opus scripturisticum *Biblia Magna* 5. voluminibus comprehensum, Opus de Casibus reservatis.

Fr. *Joan-*

Fr. *Joannes ab Incarnatione*, Lusitanus, Provinciæ Portugalliæ; edidit duos Tomos in libros quatuor Sententiarum; & de actibus humanis.

Fr. *Joannes Major*, scripsit Commentaria in primum Sententiarum; & in quartum librum Sententiarum.

Fr. *Joannes Mambri*, Hispanus, de Catalonia: edidit Quæstiones in lib. Physic.

Fr. *Joannes Mapelius*, Italus, Mediolanensis: scripsit Quæstiones Quodlibetales.

Fr. *Joannes Marcheleus*, Anglus: scripsit pro Immaculata Conceptione librum unum; & librum unum variarum Quæstionum.

Fr. *Joannes Maria, Sfonza*, Italus, Conventualis; scripsit in Metaphysicam.

Fr. *Joannes Maria Zamorus*, Italus, Utinensis, Capucinus: scripsit nuper de Perfectione commendatissima B. V. MARIÆ; & Commentaria Theologica de DEO Trino, & Uno.

Fr. *Joannes Marius Scribonius*, Gallus, provinciæ S. Dionysij: edidit Summam totius Veritatis Theologicæ.

Fr. *Joannes Merinerus*, Hispanus, Madritensis; electus Minister Generalis Ordinis, ac Episcopus Civitatensis, ac Vallisoletanus: scripsit Commentarios in Universam Aristotelis Dialecticam. Item Commentarios in Universam Physicam; ac selectas materias Theologicas.

Fr. *Joannes de Monte Casali*, Italus, Provinciæ Januensis: scripsit Commentaria in Magistrum Sententiarum; & Quæstiones Philosophicas. Floruit anno 1300.

Fr. *Joannes Nasi*, Germanus, Herbipolensis; creatus fuit Episcopus, & deinde Suffraganeus Brixinensis designatus, infestissimus hostis Lutheranorum, contra quos edidit Centurias mendaciorum insignium, quæ ab Hæreticis scripta sunt; ac plurima alia Opera controversistica, & Concionatoria.

Fr. *Joannes de Noto*, Italus, Siculus: scripsit Summam Casuum conscientiæ.

Fr. *Joannes Occam*, Anglus (non ille princeps Nominalium) scripsit Directorium Juris.

Fr. *Joannes de Ovando*, Hispanus, Cacerensis: scripsit Commentarios in 3. Sententiarum, & alia plura Opera miscellanea.

Fr. *Joannes Parmensis*, Italus (non ille Magnus Minister Ordinis) scripsit Commentarios in 4. lib. Sententiarum; & alios plures libros medicinales, ac scripturisticos.

Fr. *Joannes Paulus Palanterius*, Italus, Conventualis: scripsit Lecturam in 4. lib. Magistri; & Prælectiones in lib. 1. Posteriorum; & de anima. Obijt Neapoli 1614.

Fr. *Joannes Pecchamus*, Anglus, discipulus S. Bonaventuræ, Professor publicus Oxoniensis, & Parisiensis; factus est Archi-Episcopus Cantuariensis à Nicolao III. scripsit præter Collectanea Bibliorum, & Postillas varias, Sermones, collationes, Operaque plurima miscellanea; etiam super Magistri Sententiarum libros 4. & Quæstiones Quodlibetales; & Lecturas Oxonienses; & de Summa Trinitate, ac plurimos Titulos Juris Canonici. Tradidit etiam Mathematices rudimenta; Theoricam Planetarum; Perspectivam communem; de Sphæra librum unum &c. Obiit Cantuariæ anno 1292.

Fr. *Joannes Pellens*, Leodiensis, Hebraicæ, Græcæ, ac Latinæ Linguæ peritissimus: scripsit de Virtutibus Theologicis.

Fr. *Joannes Piccardus*, Gallus: edidit Thesaurum Theologorum; & Opus Resolutionum aurearum in lib. Aristotelis; & Resolutiones aureas in Scotum; & Subsidium in Summam Angelicam.

Fr. *Joannes Pineda*, Hispanus, Provinciæ S. Jacobi: scripsit plurima Volumina scripturistica, & alia, pro scholasticis reliquit Commentaria in Metaphysicam: & Tract. de peccatis; virtutibus moralibus, & Theologicis. Floruit anno 1588.

Fr. *Joannes de Pyrano*, Anglus; scripsit Commentaria super Sententias.

Fr. *Joannes Poncius*, Hibernus, Corcagiensis: edidit nuper integrum Cursum Philosophiæ, & Theologiæ, ac Commentaria in 3. Sententiarum lib.

Fr. *Joannes Rada*, Hispanus, Aragonensis, Provinciæ S. Jacobi; electus fuit Archi-Episcopus Tranensis in Apulia; deinde translatus ad Episcopatum Pactensem in Sicilia. Scripsit Controversias doctas Theologicas inter S. Thomam, & Scotum super 4. Sentent. Obijt in Calabria anno 1608.

Fr. *Joannes Ricca*, Italus, de Syracusa: scripsit Commentaria in Magistrum Sententiarum; & libros de pœnitentia anno 1396.

Fr. *Joannes Ricutius*, Germanus: scripsit Viennæ Austriæ plura Opera Histostrica, & naturalia; pro Theologis verò Commentaria in Sancti Augustini librum de Civitate DEI. Floruit 1518.

Fr. *Ioannes à Ripa*, Italus, Picenus, dictus *Doctor Difficilis*: scripsit in aliquot Aristotelis libros; & Quæstiones de formalitatibus, de virtutibus, de vitijs; & in libros Sententiarum, præter Sermones de Sanctis.

Fr. *Ioannes Rodingtonus*, Anglus: scripsit super Magistrum Sententiarum lib. 4. & in textum Sententiarum librum unum; & determinationum Theologicarum lib. unum; & Quæst. disput. librum unum; & Quæstionum ordinariarum librum unum; & Quodlib. major. librum unum; & Quæstionum extraordinariarum librum unum; & Quodlib. minor. librum unum; & Replicationum scholasticarum librum unum. Mortuus est anno 1348.

Fr. *Ioannes de Rupe scissa*, spiritu propheticô clarus, inter alia Opera plura etiam scripsit Commentaria in quatuor libros Sententiarum.

Fr. *Ioannes Saxo*, Germanus, peritissimus Jurista, & Theologus: scripsit Summam Juris; & Summam de Casibus, & alia. Floruit anno 1350.

Fr. *Ioannes Serranus*, Hispanus, Provinciæ Carthaginensis, factus est Episcopus Acernensis: scripsit de Sacratissimo Sacrificio Missæ; & pro Immaculata Conceptione libros quinque.

Fr. *Ioannes Tissingtonus*, Anglus, Doctor Oxoniensis, fuit unus ex illis Illustribus Doctoribus, qui Wiclephum primò hæresis damnarunt Oxonii anno 1381. scripsit Scutum pro Eucharistiæ defensione libr. 1. & de Sacramento Altaris lib. 1. & pro auriculari Confessione lib. 1. & Certamina scholastica lib. 1. & contra Confessionem Wiclephi lib. 1. Obiit Londini anno 1395.

Fr. *Ioannes à Trevio*, Italus de Vale Spoletana: scripsit Compendium Theologiæ.

Fr. *Ioannes Vallo*, Italus, ex Apulia: scripsit in formalitates Scoti.

Fr. *Ioannes Vigerius*, Italus, Ligur: scripsit Lecturam in 1. Sententiarum scripti Oxoniensis Scoti.

Fr. *Ioannes Winchelsæus*, Anglus, Doctor Oxoniensis, & publicus Professor Theologiæ: scripsit Quodlibeta Theologica lib. 1. & Lecturas scholasticas lib. 1. & super Aristotelis Logicam lib. 1.

Fr. *Ioannes Ximenes*, Hispanus, Provinciæ S. Joannis Baptistæ; præter alia complura Opera, edidit quoque Manuale Theologicum; & Juridicum contra lupanaria, à Principibus permissa, anno 1619.

Fr. *Ioannes Zelaya*, Hispanus: scripsit Quæstiones in 3. Sententiarum.

Fr. *Ioannes Zwigneus*, Provinciæ Burgundiæ: scripsit Lecturam super Sententias.

Fr. *Iodocus Brabant*, Belga: scripsit de Virtutibus Theologicis; & Quæstiones de frequenti usu Sacramentorum.

Fr. *Iosephus Angles*, Hispanus, Provinciæ S. Jacobi: scripsit Flores Theologicarum Quæstionum in 4. Sententiarum Magistri. Item in 2.

Fr. *Iosephus Codicus*, Italus, Siculus, Doctor & Lector Parisiensis: scripsit Comentaria in Logicam Aristotelis. Obiit Neapoli anno 1545.

Fr. *Iosephus Lealis*, Italus, de Verona: scripsit Pædias Scotisticas in Philosophiam.

Fr. *Irenæus Brassavolus*, Italus, Ferrariensis, creatus fuit Episcopus Castrensis: scripsit Quæstiones universales Scoti; & de secundis Intentionibus; & super formalitates Scoti.

Fr. *Iulianus Verrochius*, Italus, Florentinus, fuit insignis Astrologus, Theologus, & Orator: scripsit Annotationes in Dialecticam Aristotelis.

Fr. *Iulius Prunianus*, Italus, Ferrariensis, Conventualis: scripsit in Universalia Porphyrii; & in Prædicamenta, ac Posteriora Aristotelis; & in universam Philosophiam; & in Formalitates Scoti; ut taceam varias Homilias, Commentaria S. Scripturæ, aliasque materias. Obiit anno 1595.

Fr. *Lau-*

L.

FR. *Landulphus Carraciolus*, Neapolitanus, Professor & Doctor Parisiensis, Scoti auditor; effectus est Episcopus Stabiarum in regno Neapolitano; deinde Archiepiscopus Amalphitanus. Scripsit in 4. lib. Magistri sententiarum. Et Quodlibeta Scholastica; ac plura Opera in Scripturam, & sermones varios.

Fr. *Landulphus ignoti nominis*, in 1. & 2. sententiarum Commentaria elaboravit.

Fr. *Laurentius Brixianus*. Edidit tractatum de formalitatibus Scoti.

Fr. *Laurentius Fasanus* Neapolitanus, Provinciæ terræ laboris. Composuit arcana ferè omnia Theologiæ, & Philosophiæ. Et quæstiones disputatas; ac ultimas voluntates Doctoris Subtilis.

Fr. *Laurentius Portell*, Lusitanus, Provinciæ Algarbior: præter Dubia Regularia, etiam edidit responsiones Casuum moralium tomos 2.

Fr. *Laurentius Spatha*, Italus, Bononiensis; electus Generalis PP. Conventualium; deinde Episcopus Calvensis. Scripsit Elucidationes Theologicas.

Fr. *Leonardus Borianus*, Gallus, Provinciæ Aquitaniæ. Edidit librum controversiarũ.

Fr. *Leonardus de Rubeis*; fuit electus Generalis Ordinis; deinde ornatus purpurâ. Fecit Comentaria in 4. lib. sententiarum. Et summam Theologiæ moralis. Et tractatum de modo extinguendi schismatis Pontificij, quod vigebat suo tempore.

Fr. *Levinus de Monpursio*, Italus, Provinciæ Paduanæ. Scripsit universam Philosophiã.

Fr. *Lucas Wadingus*, Hibernus, Chronologus famosus Ordinis Seraphici. Scripsit, præter plurima Opera tum historica Ordinis Seraphici, tum alia; etiam notas in Opera omnia Scoti. Et de Immaculata Conceptione.

Fr. *Ludovicus Carvaialius*, Hispanus, Bœticus. Scripsit Theologiam restitutam. Et Theologicarum scientiarum lib. 1. ac alia miscellanea Opera.

Fr. *Ludovicus Caspensis*, Hispanus, Capucinus. Scripsit Cursum Theologicum.

Fr. *Ludovicus Cavalli*, Gallus, Provinciæ Franciæ Parisiens: Edidit manuale Theologicum: & resolutionem doctrinæ Scoticæ illustravit notis.

Fr. *Ludovicus de S. Leone*. Scripsit in primum Scoti.

Fr. *Ludovicus Rodriquez*, Hispanus, Provinciæ S. Jacobi. Scripsit Commentaria in Logicam Scoti.

Fr. *Ludovicus à Turre*, Italus, Veronensis, Commissarius Apostolicus delectus pro Jubilæo Alexandri VI. per universam Italiam publicando. Scripsit pro Immaculata Conceptione. anno 1500.

M.

FR. *Marcellinus de Ponte Bavesino*, Capucinus. Scripsit plura Opera controversistica contra Hæreticos.

Fr. *Marcus Antonius Galitius*, Italus, Brixiensis, Capucinus, ad mentem S. Bonaventuræ composuit Dialecticam. Et de physico auditu. Et de cœlo, ac mundo. Et de anima. Et de generatione, ac corruptione.

Fr. *Marinus Maurus*, Italus, Venetus. Scripsit Sum̃am secundùm mentem S. Thom.

Fr. *Martinus Alnevicus*, Anglus. Scripsit Commentarios in lib. 4. Sententiarum. Et disputationum librum unum.

Fr. *Martinus Meurisse*, Gallus, Doctor Parisiensis, factus est Episcopus Medaurensis. Scripsit tres libros in Metaphysicam Scoti. Et tractatum de Trinitate, aliáque.

Fr. *Matthæus de Aqua Sparta*; electus fuit Minister Generalis Ordinis; deinde S.R.E. Cardinalis, ac Episcopus Portuensis; item Legatus Apostolicus Romandiolæ, & Rector Lombardiæ. Scripsit præter plura alia opera etiam Commentaria in 4. lib. sententiarum. Et quæstiones Quodlibetales.

Fr. *Matthæus Ferchius*, Italus, Conventualis, Professor Patavinus: varios composuit tractatus; pro Scholis Epitome in 4. lib. sententiarum.

Fr. *Matthæus Sylvagius*, Italus, Catanensis. Scripsit inter cætera etiam Commentaria in lib. natur: Aristotelis.

Fr. *Maurinus Lebret*. Edidit Commentaria in lib. sententiarum Scoti. Et parvum Scotum.

Fr. *Mauritius de Portu*, Hibernus; creatus fuit à Julio II. Archiepiscopus Tuomensis. Scripsit Theoremata, de mente Scoti. Et Quæstiones ejusdem in Porphyrium.

phyrium. Et lib. 4. Sententiarum scripti Oxoniensis castigavit; uti & Reportata. Scripsit etiam epitomata informalitates Scoti. Et universam Scoti doctrinam postillis illustravit. Et annotationes in Metaphysicam fecit. Interfuit Concilio Lateranensi sub Julio II. Obijt 1513.

Fr. *Maximilianus Volaterranus*, edidit lecturam doctam in scriptum Oxoniense. Floruit 1405.

Fr. *Michaël Carenas*, Italus; factus est Minister Generalis. Scripsit præter Sermones, & Commentaria in S. Scripturam, etiam in 4. lib. Sententiarum.

Fr. *Michaël de Medina*, Hispanus, Provinciæ Castellæ; interfuit Tridentino. Edidit multa Opera super diversas materias. Pro scholasticis verò tractatum de Indulgentijs contra hæreticos. Et Tractatum de Purgatorio; de Pœnitentia; de Cælibatu Ecclesiastico; ac de Fide recta libros septem.

Fr. *Michaël de Villaverde*, Hispanus. Scripsit Tractatus in universam Philosophiam.

Fr. *Monaldus Justinopolitanus*, Dalmata; factus est Archi-Episcopus Beneventanus. Scripsit de peccato Originali, & personali. Et Summam Casuum conscientiæ. Et Summam Juris Canonici. Et quæstiones in 4. libros Sententiarum. Floruit anno 1332.

N.

FR. *Nicodemus Florentin*, Impressit Summam Casuum conscientiæ.

Fr. *Nicolaus Auximanus*, Italus, Picenus. Composuit quoque Summam Casuum. Et Epitome Juris Canonici.

Fr. *Nicolaus de Boido*: scripsit distinctiones in 4. lib. sententiarum.

Fr. *Nicolaus Bonetus*, fecit Commentaria super 4. lib. sententiarum. Et præcipuos libros Aristotelis, maximè Metaphysicam est interpretatus.

Fr. *Nicolaus Crassellus*, Italus, de Padua. Scripsit Quodlibeta Theologica. Et Summam Casuum. Et tract. de usuris, & restitutione.

Fr. *Nicolaus Fachnhamus*, Anglus, Doctor Oxoniensis. Multa scripsit; præsertim de valore Missæ; de suffragijs viatorum, &c.

Fr. *Nicolaus Herbron*, Gallus, Conventualis. Scripsit plura Opera. Pro scholasticis Paradoxa Theologica.

Fr. *Nicolaus Lockman*, Germanus, Saxo: scripsit super Magistrum Sententiarum lib. 4. & quæstionum variarum librum unum. Interfuit Concilio Basileensi.

Fr. *Nicolaus de Lyra*, præter uberrimos Commentarios in universa Biblia, aliaque plurima Opera, etiam pro scholis reliquit Commentarios in 4. lib. sententiarum. Et plura Quodlibeta Theologica. Obijt plenus meritis in Ecclesia Parisijs anno 1340.

Fr. *Nicolaus de Nyse*, Gallus, Provinciæ Franciæ; composuit Commentarios in 4. lib. sententiarum; aliaque Opera prædicatoria complura.

Fr. *Nicolaus Occamus*, Anglus, Doctor Oxoniensis. Scripsit super Magistri sententiarum lib. 4. Et opus de Verbo Divino. Et Quodlibeta scholastica; & alia. Floruit anno 1320.

Fr. *Nicolaus Orbellus*, Gallus, Provinciæ Turonensis. Multa scripsit; sed præsertim Opera Theologica, quæ intitulat Commentarios in 4. lib. sententiarum: & opus super summulas Petri Hispani: & de scientia Matemathica: & libros 2. de generatione, & corruptione: & duos de cœlo, & mundo: & 3. Meteorum: & 12. Metaph. & 10. libros Ethicor.

Fr. *Nicolaus Vigerius*, Holandus. Scripsit varia controversistica Opera contra Hæreticos. Obijt anno 1628.

O.

FR. *Octavianus Praconius*, Italus de Sicilia, Conventualis: scripsit summam de Sacramentis.

Fr. *Octavianus Ravennas*, scripsit Commentaria in 4. lib. sententiarum Scoti.

Fr. Paci-

P.

FR. *Pacificus Navariensis*, scripsit Summam Casuum conscientiæ.

Fr. *Paulus de Mercatello*, Conventualis: scripsit Commentaria in 1. & 2. Sententiarum Scoti.

Fr. *Paulus à Perusio*, Italus, fuit in utroque Jure doctissimus Professor Universitatis Perusinæ: scripsit tractatus varios in Jure Canonico.

Fr. *Paulus Resinger*, Germanus: scripsit Repertorium super omnia Opera P. Alexandri Hallensis, seu de Ales.

Fr. *Paulus Scriptor*, Italus, de Bononia: scripsit lecturam copiosam in lib. 1. Sententiarum Scoti.

Fr. *Paulus Suevus*, Germanus: edidit explanationem in 1. Scoti, & Summulas Logicæ.

Fr. *Paulus Trimavella*, Gallus de Narbona: scripsit Quæstiones in 4. lib. Sentent.

Fr. *Pelbardus Oswaldus*, Hungarus de Temesuar: scripsit aureum S. Theologiæ Rosarium quadripartitum, juxta quatuor libros Sententiarum Scoti, & S. Bonaventuræ; præter sermonum complures tomos. Claruit anno 1504.

Fr. *Petrus Alvernus*, Italus: scripsit Quæstiones Quodlibetales; & Quæstiones in Metaphysicam.

Fr. *Petrus de Alva & Astorga*, Hispanus: scripsit radium solis pro Immaculata Conceptione, Opus egregium.

Fr. *Petrus Aquilanus*, cognomentò *Scotellus* & *Doctor Sufficiens*; excitatissimus in Scoti doctrina; factus est Episcopus S. Angeli: scripsit quæstiones in 4. lib. sententiarum Scoti: & compendium supra Magist. & librum dictum *Scotellus*: & Commentaria in lib. Aristotelis de anima.

Fr. *Petrus Aureolus*, Gallus, Doctor & Lector Parisiensis, Provinciæ Aquitaniæ; Archi-Episcopus Aquensis; cognomentò *Doctor Facundus*: scripsit præter prædicabilia varia, etiam de Immaculata Conceptione lib. 1. & compendium S. Theologiæ: & Commentarios in 4. lib. sentent. floruit 1345.

Fr. *Petrus Bellochius*, Italus de Amona, Provinciæ Marchiæ: edidit nuper plura; sed præsertim pro scholis praxim moralis Theologiæ: & tract. de confessarijs: & aphorismos legales Juris Canonici, & Civilis: & collectanea omnium Decretalium: & novissimam omnium summarum summam generalissimam de Casibus conscientiæ.

Fr. *Petrus à Boves*, Gallus: composuit Directorium præcipuarum quæstionum Theologicarum: & Commentaria in 1. sententiarum.

Fr. *Petrus de Canada*, edidit Summam Casuum conscientiæ anno 1587.

Fr. *Petrus Capuleus*, Episcopus Conversanus: edidit Commentaria in 1. & 2. sententiarum S. Bonaventuræ. 1624.

Fr. *Petrus de Castillione*, Italus: scripsit brevem lecturam in lib. sententiarum: & Quodlibeta anno 1452.

Fr. *Petrus de Castrobel*: scripsit Commentarios in varios libros Philosophorum.

Fr. *Petrus de Colle*, Germanus; interfuit Concilio Basileensi; & scripsit de authoritate Concilij: & quæstiones notabiles in Magistrum sententiarum.

Fr. *Petrus Crabbius*, Germanus. Collegit Concilia Oecumenica, & Provincialia in duos tomos; mortuus est anno 1554.

Fr. *Petrus de Cruce*, Hispanus: scripsit de Entibus rationis ad mentem Scoti.

Fr. *Petrus Franciscus Vercellensis*, Italus: scripsit lecturam in Summam Francisci Toleti: & lecturam in quosdam tractatus Summæ Angelicæ.

Fr. *Petrus Fermoselus*, Hispanus, Provinciæ Bæticæ. Edidit Commentaria in Logicam P. Titelmanni.

Fr. *Petrus Galatinus*, Italus de Apulia: scripsit Opus insigne de Theologia, in quinque partes distinctum; continens plurimos libros Theologicos; præter complura Opera Concionatoria, scripturistica, & alia.

Fr. *Petrus Insulensis*, Flander, cognomentò *Doctor notabilis*: scripsit Commentaria in 4. lib. sententiarum; præter sermones varios.

Fr. *Petrus Marchant*, è Tractu Leodiensi, Provinciæ S. Joseph in Flandria: edidit varios Tractatus. Pro Moralistis Theologis Tribunal sacramentale in 2. tomos.

Fr. *Petrus Besnaniensis*, Polonus: edidit decisiones totius Theologiæ speculativæ, & mo-

& moralis lib. 6. & Commentaria in librum 1. sententiarum Scoti; præter institutiones sacras litterales, & morales in Dominicas, & Festa Deiparæ.

Fr. *Petrus Quesvellus*, Anglus, eximius Jurisconsultus, & Theologus. Reliquit Directorium Juris in foro conscientiæ, & Judiciali; ubi agit de SS. Trinitate, & Fide Catholica; de 7. Sacramentis; de criminibus &c.

Fr. *Petrus Reginaldus*, Gallus, Provinciæ Franciæ: scripsit Commentaria in 4. lib. sententiarum.

Fr. *Petrus Salpini*, Gallus; scripsit de Hierarchia Angelica, & Ecclesiastica; & de Divinis nominibus.

Fr. *Petrus Saxo*, Germanus, eruditissimus Scripturista, Canonista, Theologus, Philosophus ac Ecclesiastes. Edidit anno 1319. præter plures Sermones, etiam Summam Casuum conscientiæ.

Fr. *Petrus Steemberghe*, Belga, Provinciæ Germaniæ inferioris. Edidit Apologiam contra hæreticos circa res Fidei.

Fr. *Petrus à Tebar Aldam*, Indus, Limensis, Provinciæ 12. Apostolorum. Scripsit Excellentias DEI, Virginis Mariæ, & Beatorum, divisas in duos tomos. Factus est deinde Philippi IV. Hispan. Regis Confessarius.

Fr. *quidam Petrus Thomas*, scripsit Tractatum formalitatum Scoti; & Commentaria in 4. lib. sententiarum: & in libros Aristotelis.

Fr. *Petrus de Trabibus*; scripsit Commentarios in lib. 1. sententiarum.

Fr. *Petrus Trigosus*, Hispanus, Capucinus; scripsit Commentaria in S. Bonavent.

Fr. *Petrus Vignam*, Germanus, Silesius de Wratislavia: edidit tractatum de Nomine Jesu adorando.

Fr. *Petrus de Zalamea*, Hispanus, Provinciæ S. Michaëlis; scripsit Summam Casuum conscientiæ.

Fr. *Philippus Faber*, Italus, Faventinus, Conventualis, Professor Universitatis Patavinæ: scripsit Quæstiones præcipuas Philosophiæ juxta mentem Scoti; & Commentaria in 4. lib. sententiarum; & disputationes Theologicas de pœnitentia; de peccato; de purgatorio; de suffragijs; & de Indulgentijs: & contra Atheos disputationes 4.

Fr. *Philippus Borcatius*, Italus; scripsit Commentaria in Scotum: & lib. Aristotelis.

Fr. *Prosper Urbanus*, Italus, Picenus. Composuit Summam Theologiæ Alexandri de Ales.

R.

FR. *Radulphus Radiptorius*, Anglus, Doctor Oxoniensis, vulgò ob miram eloquentiam acclamatus *Apollo facundus*; præter varios Commentarios in vetus, & novum Testamentum, scripsit etiam super Magistrum sententiarum libros quatuor: & Commentariorum libros 4. & lecturas scholasticas, librum unum: & quæstiones ordinarias, librum unum. Claruit anno 1350.

Fr. *Ranulphus Jokeslius*, Anglus, Doctor & Lector Oxoniensis Universitatis publicus: scripsit super Magistrum sententiarum lib. 4. & super omnia Opera Aristotelis.

Fr. *Raymundus Anonymus*, scripsit Summam de Sacramentis.

Fr. *Raymundus Augerij*, Gallus: scripsit Commentaria in Politica Aristotelis.

Fr. *Raymundus Lullus*, ex Insula Majorica, tertij Ordinis S. Francisci. Obijt Martyr (errores qui ab Eymerico libris ejus attribuuntur, non sunt hujus; sed alterius Raymundi neophyti Religiosi) hic doctissimus Vir non obstantibus pluribus itineribus, scripsit plurima sanè Opera quæ numerum 340 excedunt apud Wadingum; ex quibus sunt plurimi Philosophici, Juridici, Theologici, & Controversistici, à quorum titulis hic ob numerositatem eorundem supersedeo studens brevi relationi scriptorum Theologorum, & Philosophorum Ordinis.

Fr. *Raymundus Rigaldus*, Gallus: scripsit Commentaria in 4. lib. sententiarum; & quæstiones morales.

Fr. *Reginaldus Langhamus*, Anglus, Doctor Cantabricensis; scripsit in Magist. sententiarum lib. 4. Et determinationum lib. 1. Et Quæstiones disput. lib. 1.

Fr. *Reginaldus Umber*, Italus, Provinciæ S. Francisci; scripsit super lib. sententiarum: scribitur fuisse Archi-Episcopus Rhotomagensis, & Cardinalis.

Fr. *Richardus Coningtonus*, Anglus; scripsit contra Occamum pro Joanne XXII. & præter

præter varia Concionatoria, etiam super Magistrum Sententiarum. Et Quodlib. librum 1. Floruit anno 1330.

Fr. *Richardus Cornubiensis*, Anglus, Doctor Oxoniensis & Professor. Composuit Commentarios super Magistrum Sententiarum.

Fr. *Richardus de Mediavilla*, Anglus, Doctor Oxoniensis, Canonista eximius, Professor Parisiensis, ubi etiam *Doctoris Solidi* agnomen accepit. Scripsit multa eruditè, præsertim in Scripturam Sacram, & super Magistrum sententiarum libros 4. De Conceptione Immaculata Deiparæ. Et Quodlibeta Theologica. Et super Decretales. Et de ordine Judiciorum. Floruit circa annum 1300.

Fr. *Richardus Rufus*, Anglus, Doctor & Lector Parisiensis, vulgò dictus *Doctor admirabilis*. Composuit Commentarios 4. super Magistrum sententiarum. Claruit anno 1250.

Fr. *Richardus Ruis*, Anglus, vel Hispanus, subtilis Scriptor. Composuit libros 4. super Magistrum sententiarum.

Fr. *Robertus de Bascea*, Aquitanus. Scripsit in 4. libros sententiarum.

Fr. *Robertus Chamberlinus*, Hibernus, de Ultonia, prius Doctor Samanticensis; ut Fr. Minor scripsit de scientia DEI; & de futuris contingentibus.

Fr. *Robertus Concio*, Theologus Parisiensis: Compilavit 4. libros Commentariorum super Magistrum sententiarum.

Fr. *Robertus Contorsus*, Anglus, Doctor Sorbonicus Parisiensis, vulgò *Doctor amenus* vocatus. Composuit inceptorium super librum 1. sentent. librum unum. Et abbreviationes super easdem sententias. Et Quodlibeta scholastica. Et disputationes Magistrales lib. 1. Floruit anno 1340.

Fr. *Robertus Crucius*, Anglus. Scripsit super Magistrum sententiarum libros 4. Et quæstionum difficilium librum unum. Et in Physicam Aristotelis libros 8. Et in Ethicam libros 10. ac alia. Claruit anno 1300.

Fr. *Robertus Elephat*, Anglus, Doctor Parisiensis. Scripsit Quæstiones super Magistrum sententiarum. Et Lecturas Theologicas librum 1. Et conclusiones ordinarias lib. 1. Floruit anno 1340.

Fr. *Robertus Finninghamus*, Anglus; præter alia diversa, etiam composuit Opus de Casibus Decretorum, & Decretalium lib. 2. Et de casibus Papæ reservatis lib. 1. Et de Extravagantibus lib. 1. Et de Excommunicationibus lib. 1. Claruit anno 1460.

Fr. *Robertus Leccestrinus*, Anglus, præclarus Theologus. Scripsit multa Opera; pro scholis verò Commentaria in Magistri Sententiarum libros 4. Et Quodlibeta varia. Et distinctionum librum unum. Obijt anno 1348.

Fr. *Robertus de Russia*, Ruthenus natione; præter alia, etiam composuit Commentaria in 4. libros sententiarum. Claruit circa annum 1279.

Fr. *Rogerius Bacconus*, Anglus, Doctor Oxoniensis, dictus *Doctor mellifluus*; hic novit exactissimè Linguam Græcam, Hebraicam, & Latinam; calluit eminenter Poësim, Rhetoricam, omnesque Scientias liberales, Mathematicam, Medicinam, Philosophiam, Theologiam, ac Jurisprudentiam; versatissimus in historis sacris, & profanis. Composuit super varias scientias plurimos tractatus, & tomos; præcipuè super Mathesim, Astrologiam, Alchimiam, Medicinam, Perspectivam, Philosophiam, Theologiam, &c.

Fr. *Rogerius Conwayus*, Camber. Scripsit diversa; pro scholasticis verò Lecturas lib. 1. Et de determinationibus scholasticis lib. 1. Et quæstiones Theologicas lib. 1. Obijt Londini. 1630.

Fr. *Rogerius Royseth*, Anglus: Scripsit Commentarios super sententias.

Fr. *Rogerius Rugosus*, Anglus, Doctor Theologiæ. Scripsit Commentaria in 4. libros Magistri sententiarum; ac alia opuscula Theologica.

S.

FR. *Salvator Bartoluctius*, Lector Publicus Patavinæ Universitatis. Scripsit expositionem formalitatum Scoti. Et Syllabum generalem in 4. libros sententiarum Scoti. Floruit anno 1486.

Fr. *Samuel de Cassinis*, Italus, Genuensis: inter plura alia scripsit quoque librum Isagogicum in apices Scoti, ad investiganda Aristotelis principia. Et librum Isagogicum

cum complectentem 7. libros Logicales; & librum tertium Isagogicum ad physicos apices assequendos; & Commentaria in 8. libros Physicorum.

Fr. *Seraphinus à Moravia*, edidit Tractatum de Immaculata Conceptione: & Tractatum de Indulgentijs.

Fr. *Seraphinus de S. Petro*, scripsit in Jus Canonicum.

Fr. *Simon Andreas*, Italus, Venetus, Conventualis: scripsit librum de Gratia Christi; & librum de fecundis intentionibus; & Quæstiones Metaphysicas.

Fr. *Simon Tunstedus*, Anglus: scripsit in Aristotelis meteora libros quatuor.

Sixtus IV. Summus Pontifex, prius vocatus Fr. Franciscus à Ruvere, Italus, Ligur; primò Lector publicus Patavinæ Universitatis; deinde Vicarius Generalis Ordinis, ac Minister Generalis ejusdem, renunciatus est Cardinalis, ac tandem electus Summus Pontifex; erexit Bibliothecam Vaticanam: scripsit adhuc quà Minor lib. de Sanguine Christi; & Tract. de potentia DEI; & Tract. de futuris contingentibus; & de Conceptione Immaculata Deiparæ: scripsit etiam Opus, in quo ostendere nititur, Scotum, & D. Thomam in Sententijs præcipuis convenire; quod fuit ultimum, & in ejus confectione assumptus fuit ad Papatum.

Sixtus V. Pontifex Max. priùs vocatus Fr. Felix Perettus, Picens: de oppido Monte Alto, Conventualis: ordinavit & recognovit Opera S. Ambrosij; edidit Opera S. Bonaventuræ, deinde ex Vicario Generali ejusdem instituti creatus est Episcopus S. Agathæ Tit. Cardinalis S. Hieronymi, ac demum Papa anno 1585.

Fr. *Stanislaus Vopolinus*, Polonus; scripsit Controversias de Sacramento Altaris contra hæreticos.

Fr. *Stephanus Brulifer*, Gallus, Doctor Parisiensis: fecit Reportata in 4. lib. Sententiarum S. Bonaventuræ; & lib. de SS. Trinitate; & Tract. de formalitatibus ad mentem Scoti, ac alia scholastica, & concionatoria concinnavit.

T.

FR. *Theobaldus de Viganone*, Italus, Narniensis, confecit compilationem in primũ, & secundum Sententiarum.

Fr. *Theodoricus Andrea*, Gallus, Tolosanus: scripsit Commentaria in libros Physices, & Metaphysices.

Fr. *Theodorus Smising*, Germanus Westphalus; edidit Tomos duos disputationum Theologicarum de DEO Uno, & Trino: obijt Lovanii 1626.

Fr. *Thomas Bungeius*, Anglus, Doctor Oxoniensis; illustris Mathematicus: scripsit super Magistrum lib. 4. & Quæstionum Theologicarum librum unum; & de Magia naturali lib. unum; aliaque Opera: claruit anno 1290.

Fr. *Thomas Dochingus*, Anglus: plurima monumenta litteraria scripsit in S. Scripturam: item in Magistrum Sententiarum libros 4. & Quæstiones ordinarias lib. 1. & in posteriora Aristotelis libros duos.

Fr. *Thomas Hallensis*, Anglus: scripsit Disputationes scholasticas lib. 1. anno 1340.

Fr. *Thomas Illiricus*, Picens: diversos libros composuit; inter quos quoq; est Tractatus de Conceptione Immaculata; & Conclusiones circa electionem Summi Pontificis.

Fr. *Thomas Lamazares*, Hispanus; scripsit Cursum Philosophicum.

Fr. *Thomas Vandinus*, Italus, Bononiensis: edidit Tract. de Indulgentiis; & de Purgatorio; ac alios.

V.

FR. *Uswaldus de Asco*: scripsit in 4. libros Sententiarum Budæ anno 1505.
Fr. *Wexillus Ware*, Anglus: scripsit in 4. libros Sententiarum.

AU-

AUTHORES IIDEM

Ex Ordine Fratrum Minorum, secundùm Ordinem Cognominum dispositi, indiciò hujus Indicis reperientur descripti in Synopsi historica superiori.

A.

B.

Faber,

F.

G.

H.

I.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

Vallo

W.

X.

Z.

INDEX QUÆSTIONUM IN HOC TOMO PRIMO CONTENTARUM.

PROLOGUS.
In Universam Scholam Philosophicam Scotistarum.

TRACTATUS UNICUS
De Dialectica Scholæ Philosophicæ Scotistarū.

DISTINCTIO I.
De Termino in Communi, ejusq; Divisione.

DISTINCTIO II.
De Termino complexo, ejusq; multiplici divisione in varias Propositiones.

Quæ-

N.

O.

P.

Q.

Rada

R.

S.

T.

V.

W.

X.

Z.

INDEX

INDEX QUÆSTIONUM IN HOC TOMO PRIMO CONTENTARUM.

PROLOGUS.
In Universam Scholam Philosophicam Scotistarum.

TRACTATUS UNICUS
De Dialectica Scholæ Philosophicæ Scotistarū.

DISTINCTIO I.
De Termino in Communi, ejusq; Divisione.

DISTINCTIO II.
De Termino complexo, ejusq; multiplici divisione in varias Propositiones.

Quæ-

DISTINCTIO III.
De Modis, seu Instrumentis sciendi.

DISTINCTIO IV.
De Syllogismo ut sic.

DISTINCTIO V.
De Syllogismo Demonstrativo, Topico, & Falsigrapho in particulari.

TRACTATUS PRIMUS.

In Prooemialia Logicæ Scotistarum.

DISTINCTIO UNICA.
In qua varia circa Logicam examinantur.

TRACTATUS SECUNDUS.

De Ente Rationis.

DISTINCTIO I.
De Natura Entis Rationis.

DISTINCTIO II.
De Causis Entis Rationis.

TRACTATUS TERTIUS.

De Distinctionibus.

DISTINCTIO UNICA.
De Natura, Existentia, & Numero Distinctionum.

TRACTATUS QUARTUS.

De Universalibus.

DISTINCTIO I.

De Universalibus in communi, & de Metaphysico,

DISTINCTIO II.

De Universali Logico.

DISTINCTIO III.

De Genere.

Quæ-

DISTINCTIO IV.
De Specie.

DISTINCTIO V.
De Differentia.

DISTINCTIO VI.
De Proprio.

DISTINCTIO VII.
De Accidente.

TRACTATUS QUINTUS.
De Prædicamentis.

DISTINCTIO I.
De Antepradicamentis.

DISTINCTIO II.

De Prædicamentis in communi.

DISTINCTIO III.

De primo Prædicamento in particulari, scilicet substantia.

DISTINCTIO IV.

De Accidente in communi.

DISTINCTIO V.

De Quantitate.

DISTINCTIO VI.
De Qualitate.

DISTINCTIO VII.
De Relatione.

DISTINCTIO VIII.
De sex ultimis Prædicamentis.

DISTINCTIO IX.
De Prædicamentis.

Quæ-

TRACTATUS SEXTUS.

In duos Libros Perihermenias.

DISTINCTIO UNICA.

TRACTATUS SEPTIMUS.

In Libros Priorum.

DISTINCTIO UNICA.

TRACTATUS OCTAVUS.

In Libros Posteriorum.

DISTIN-

DISTINCTIO I.
De Demonſtratione.

DISTINCTIO II.
De Effectu Demonſtrationis, ſcilicet Scientia.

TRACTATUS NONUS.
In Libros Topicorum.

TRACTATUS UNICUS
De Ethica, ſeu Philosophia Morali.

DISTINCTIO I. PROOEMIALIS.

DISTINCTIO II.
De Principijs motivis Ethicarum actionum.

DISTINCTIO III.
De Principio productivo actionum Ethicarum.

DISTINCTIO IV.
De varijs Conditionibus, & Multiplicitate Actionum Ethicarum.

DISTINCTIO V.
De Regulis actionum Ethicarum.

DISTINCTIO VI.
De Passionibus.

PROLOGUS, IN UNIVERSAM SCHOLAM PHILOSOPHICAM SCOTISTARUM.

QUÆSTIO I.

De Notione, Ortu, & Proplantatione Philosophiæ.

1. Quid nominis Philosophia.

Nota primò: *Philosophiam* secundùm nominis Etymologiam Græcis idem esse, quod Latinis *amor*, seu *studium sapientiæ*; juxta verò usurpationem realem modernam capitur pro ipsa *sapientia* seu *scientia* complectente Logicam, Physicam, Metaphysicam, Ethicam, & quasdam alias scientias, cum hisce connexas; de quibus infra. Unde

2. Definitio Philosophiæ.

Dico primò: rectè definitur Philosophia in tota sua amplitudine, quòd sit *scientia tractans de rebus tam corporalibus, quàm spiritualibus, & moralibus; per mera principia naturalia acquisibilis.* Hæc deducitur ex Aristotele *1. Meta. cap. 3.* ubi ait, *Philosophiam esse cognitionem rerum ut sunt*, seu *per suas causas*, id est naturalia principia.

Probat. Hæc definitio constat genere, & differentia; habétque omnes alias conditiones bonæ definitionis, de quibus infra in Dialectica: Ergo eâ rectè definitur Philosophia. Probat Ant. Ly *scientia* est genus; reliqua ponuntur pro differentia: dicitur autem *scientia tractans de rebus tam corporalibus, quàm spiritualibus, & moralibus*, ut ostendantur objecta, circa quæ versatur Philosophia, quæ sunt partim res corporales v. g. Cælum, terra, quatuor Elementa, materia prima, meteora &c. homines: partim res spirituales v. g. anima hominis, ejúsque operationes mentales puta apprehensio, judicium, & maximè discursus, quatenus ab errore mentali præservativus; item ens Metaphysicum, ejúsque passiones, cujusmodi sunt, unitas, bonitas, & veritas; angeli, DEUS &c. Partim denique res morales, v. g. institutiones debitæ morum ad civilem vitam rectè componendam. Additur tandem *per principia mera naturalia acquisibilis*; ut Philosophia distingvatur à Theologia, quæ maxima ex parte per principia supernaturalia (puta fidei articulos, quibus ipsa innititur) acquiritur. Circa ortum Philosophiæ.

3. Origo Philosophiæ.

Nota secundò: Philosophiam quò ad partes principales originem primariam habuisse à DEO scientiarum Domino, & Plasmatore primorum hominum, qui eam Protoparentibus, signanter Adæ, unà cum alijs scientijs, ac notitijs necessatijs infudit à principio conditionis eorum. Ratio est? tum quia ita colligitur ex illo *Ecclesiastici 17. creavit illis* (subaudi Protoparentibus) *scientiam Spiritûs, sensu implevit cor eorum, & mala & bona ostendit illis; posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum.* Idem patet ex illo *Matt. 23. unus quippe est Magister noster DEUS. Et illo Psal. 93. qui docet hominem scientiam.* Tum quia decebat Caput totius generis humani Adam exornare limpidâ cognitione rerum naturalium, quarum dominium assecutus fuerat, juxta illud Conditoris *Gen. 1. præsit piscibus maris, volatilibus cæli, & bestijs, & universæ terræ.* Circa proplantationem ejusdem.

4. Antiquitas Philosophiæ.

Nota tertiò: Scientiam hanc ab Adam deinde fuisse traditam suis posteris, per quos, signanter per Mathusalem proplantata fuit úsque ad Noë; ab hoc autem &si-

& filijs ejus traducta fuit ad Hebræos, Assyrios, Chaldæos, & Persas; exinde ad Ægyptios, Bactrianos, Græcos, ac alias nationes; demumq; ad Latinos, & nos; unde in veterum Monumentis varia leguntur de Persarum, & Assyriorum Magis; de Ægyptiorum Sacerdotibus; Bactrianorum Semanacis: Indorum Bragmanibus, & Gymnosophistis; Gallorum Druydibus; Græcorum sapientibus; & Latinorum Doctoribus, qui illarum gentium erant Philosophi, & Philosophiæ proplantatores.

5. *Variæ Sectæ antiquorum Philosophorum.*

Nota quartò: Philosophiā modò præfato jam inter nationes dispersam mirificos apud veteres sumpsisse progressus,& culturam uberiorem per introductionem variarum Sectarum Philosophorum; ejusmodi erant Sectæ Academicorum, Stoicorum, & Peripateticorum. *Academici* sic dicebantur à suo Gymnasio, id est *Academia*, quæ erat quidam locus nemorosus suburbanus, mille passibus ab Æthenis distans, in hoc omniū excellentissimè docuit Plato, & Academicorum familiam fundavit. Horum doctrinā Platonicā utebantur SS. PP. in primitiva Ecclesia, eò quòd esset quasi quoddam Ecclesiæ Christianæ vestibulum, ut testatur Baronius *ad annum Christi 234. Stoici* quoque nominabantur à loco suæ Scholæ *Stoas*, id est à porticu, quæ fuit Athenis; eorum author fuit Zeno. *Pythagoricorum* fundator fuit Pythagoras, qui apud Crotoniatas in magna Græcia numeroso auditorum confluxu Philosophiam docuit. *Cyrenaici* sic appellabantur, à *Cyrene* patria Aristippi authoris sui. *Cynici* ideò sic vocitabantur, quia erant in cavillis more canum mordaces contra vitia. *Ephectici*, *Sceptici*, & *Pyrrhonij* id est inhibitores, quæsitores, & ambigentes sic cognominabantur à modo judicandi; quia omne de rebus judicium inhibebant, nihilque constituebant; sed in quærendo. & considerando semper versabantur, ac de omnibus ambigebant. *Peripateticorum* tandem omnium veterum eruditior Secta sic compellabatur, eò quòd plerumq; deambulando disputarent; hujus author, ac princeps fuit Aristoteles ex Nicomacho Medico Patre progenitus in Stagira Macedoniæ oppido, à quo loco etiā nomen Stagiritis sortitus est; natus est anno circiter 38 t. ante nativitatē Christi: hujus doctrinam Philosophicam tanquam omnium veterum Philosophorum fundatiorem, & veritati magis consentaneam, exceptis nonnullis opinionibus, fidei Christianæ contrarijs, amplexi tandem fuêre illustriores Philosophi Christiani, & Theologi posteriores. Unde

6. *Schola Thomistica, Scotistica Nominalis, & Neutristica.*

Nota quintò: Philosophiam maximè Aristotelicam celeberrima accepisse incrementa, ac proplantationem à quatuor solemnibus Scholis, prioribus sæculis erectis, Thomistica scilicet, Scotistica, Nominalistica, & Neutristica, quæ ad mentem Aristotelis sua solent concinnare dogmata Philosophica; quemadmodum & ego facturus sum in præsenti opere, ubi fides Catholica non obstat, uti in quibusdam propositionibus puta de æternitate mundi, &c. obstat. *Thomisticam* fundavit S. Thomas de Aquino, Ordinis Prædicatorum illustris Doctor, natione Italus. *Scotistica* seu Subtilium author fuit P. Joannes Duns Scotus, S. Ordinis nostri Franciscani Doctor, cognomento Subtilis; de quo plura *sequenti quæst: Nominalium* princeps fuit P. Guilielmus Occam, Anglus natione, Ordinis nostri Seraphici alumnus, Scoti Discipulus, per omnia fermè suo magistro oppositus, *Doctor singularis* à suo sæculo dictus; is habuit sectatores insignes ex veteribus Gregor: Arimin. Gregor. Biel, Majorem, Marsilium, Aureolum, &c. *Neutristarum* familia incertum habet fundatorem; unde & doctrinam variam, distinctam plerùmque à dogmatibus præfatarum trium antiquiorum Scholarum; aut certè mixtam ex ijsdem tradit; conflatur hodie potissimè ex Doctrina PP. Societatis JESU.

7. *Secta quædam imperfecta Philosophorum.*

Nota sextò: Præter jam enumeratas celebres quatuor Scholas, Philosophiæ Aristotelicæ maximè promotrices, quosdam alios Philosophos quidem tentâsse Philosophiam sub nova Secta, forma, & principijs proplantare; sed paucos sortiti sunt discipulos, ob dogmatum suorum elementarium obscuritatem, debilitatem, & periculositatem; unde hodie quasi penitus evanuêre ejusmodi Sectarij: tales fuêre *Averroistæ*, ab Averroë aliàs Aristotelis Commentatore sic dicti; *Albertinistæ* ab Alberto magno sic vocitati: *Rhamistæ* à quodam Petro Rhamo Doctore Gallo sic initiati; hi omnia Aristotelis dicta defendunt esse commentitia: *Lulliani* à Raymundo Lullio, Majoricano natione, sic appellati: artem Lullianam Philosophicam, & doctrinam Rhameam vide apud Lalemandetum *in Decisionibus Philosophicis, in examine Dialecticæ Aristoteli-*

telica, *Nominalium*, *Realium*, *Rhamea*, *& Lulliana*. *Cartesiani* à quodam Cartesio sic appellati; cujus opiniones multæ, quia cum vera Thologia, SS. PP. & Ecclesiæ sensu difficillimè sunt concordabiles; idcirco à paucis Catholicis DD. sustinentur.

QUÆSTIO II.

De Scoto Philosophiæ Scotisticæ authore.

1. Doctoris subtilis locus Nativitatis, nomen, & annus.

NOta primò: Inter celebriores Philosophiæ Peripateticæ proplantatores, & asseclas fuisse P. Joannem Duns Scotum Franciscanum, Lycæi Scotistici fundatorem: pro hujus magni sui temporis Apollinis, & inter Philosophos Theologósque facilè principis incunabulis concertant Anglia, Scotia. Hibernia, quemadmodum olim pro Homeri natalitijs teste Cicerone *pro Arch.* Colophonij, Chij, Salaminij, & Smyrnenses: Hiberniæ tamen solo videtur lioquenda ejus nativitas, uti compluribus rectè ostendit P. Wadingus *in Annal. Minorum ad annum 1304.* & P. Poncius in principio *Comment. ad 1. sent. Scoti*, Mauritius Hibernicus Archiep: Tuamensis. Hugo Cavellus Archiep. Armachanus, Vernulæus Belga, Paulus Amalthæus Italus, &c. Nec huic veritati officit, quòd *Scotus* vocetur; nam juxta HistoricosHibernia olim Scotia major appellabatur, à qua proinde agnomen videtur traxisse; vel certè à familia speciali Scotorum, sic eô tempore appellata. Incidit autem Scoti nativitas in annum 1274. quô planè mortuus est Seraphicus Ecclesiæ Doctor D. Bonaventura, ut sic mirâ DEI providentiâ in occasu unius Solis scholastici, alter Minoribus orietur. Joannes appellatus est in Sacro Baptismatis fonte; *Duns* verò, seu de *Dunis* à civitate Hibernica Duni, hodie Episcopali sede teste P. Haraldo *in Epitome Annal. Min. ad ann. 1304.* & SS. Patritij, Columbæ, & Brigidæ tumulô nominatissima.

2. Scoti studium, professio Religiosa, professura & propagatio Immaculatæ Conceptionis.

Nota Secundò: Scotum adhuc puerum hebetis nonnihil ingenij extitisse, ut refert Wadingus *citat.* Sed DEI Genitricis apparitione, & auxiliô miram in capescendis scientijs facilitatem assecutum fuisse, eâ tamen conditione, ut easdem io suum impenderet obsequium, ubi se offerret occasio; quemadmodum factum fuisse infrà ostendam: adolescentior effectus Oxonium in Angliam ad Grammatices studium missus fuit, ubi & Religionem S. Francisci ingressus est; in qua deinde altioribus studijs applicatus Varrone Magistro adeò miros fecit progressus in omni Litteratura, ut eidem ad Parisiensem Academiam regendam evocato in professura publica Oxoniensis Universitatis suffectus fuerit, cum accursu admirabili triginta penè millium Scholarium, cùm priùs tria duntaxat numerarentur teste Pitseo *de Academ.* Oxoniô postmodum Parisios fuit translatus, & Regens studiorum creatus; in quo munere insignem nactus est occasionem, in DEIparæ obsequium scientias suas Oxonij haustas impendendi, uti ipsa desiderâtat, ac Immaculatam ejusdemConceptionem omni nisu defendendi; unde præsentibus Apostolicis Legatis inUniversitate Parisiensi solemnissimè *adversæ Partis tutoribus* (inquit Belbertus Temestanus, *lid. 4. Stellar: p. 1. art. 3.*) *se opposuit ingeniosissimus Doctor; magnum fuit pondus argumentorum, quibus impetebatur, erántque numerô 200. omnia sine interruptione quietô, & tranquillô animô attentè audivit, & mirabili memoriâ suo ordine resumpsit, solvendo intricatas eorundem difficultates, & nodosos Syllogismos eâ facilitate, quâ Samson Dalilæ ligamina in favorem Philistinorum posita, dirumpebat. Addidit Scotus multas & fertissimas rationes, probans Virginem Sanctissimam sine Originalis peccati macula conceptam. Actus obstupefecit sapientissimam illam Universitatem Parisiensem, quæ in gratificatione Scotum celeberrimo nomine Doctoris Subtilis insignivit*; quam etiam confirmavit Summ. Pontifex illius temporis, uti claret ex Epigrammate sepulchro ejusdem magni Doctoris Subtilis affixo, illis verbis.

Concepta est Virgo primi sine labe parentis
Hic tulit.
Inde genus meriti tantum sibi Papa refundens
Doctor Subtilis dicitur, inde tulit.

Ab eo tempore decretum condidit Universitas Parisina, ut nemo ad ullos gradus Scholasticos admitteretur, nisi priùs juramentum præstaret de defendenda

Beata Virgine à noxa Originaria. Nec defuit prodigium prævium hanc illustrem Scoti Victoriam testificans; imago námque lapidea Virginis Immaculatæ erecto capite sculpta, perpetuâ Parisiensium traditione, & plurimorum gravium Scriptorum constanti testimoniô Scoto ad memoratam disputationem eunti annuit, & illa verba coram devotè repetenti, *dignare me laudare te Virgo Sacrata, &c.* caput marmoreum, acsi opem polliceretur, inclinavit; in quo situ ùsque in hodiernum perseverat diem.

3. *Scoti accessus Coloniam, facta ibidem, & mors naturalis.*

Nota tertiò: postquam Scotus magno Auditorum concursu legisset Parisijs, tandem per obedientiales literas P. Generalis Goudisalvi Coloniam Agrippinam destinatus est, tum ut Universitatem ejus fundaret, ut vult Petrus Rudolphus *fol. 325.* tum ut Hæreticos Begardos, illustrem illam Ubiorum urbem intoxicantes, argumentis suis efficacissimis reprimeret, ut asserit Ferchius Veglia in vita Scoti: tum ut impugnatores Imaculatæ Conceptionis DEIparæ Coloniæ adhuc strepentes pari efficaciâ comprimeret, quâ olim compresserat Parisijs, ut autumat Wadingus *in Ann. Minor.* ad ann: 1308. Advenienti porrò Coloniam Scoto nostro, Clerus, primores Urbis, & infinitus populus obviam processêre, atque solemni pompâ, usque ad conventum FF. Minorum deduxêre; non aliter quàm olim venienti Platoni Syracusanorum Rex quadrigis albis, & vittatâ navi, obviavit, ac ad suos lares deduxit. In hac Urbe post complures celebres actus, & Lectiones publicas, quibus Universitatem illam illustravit, post ænergeticas conciones, ac progressus contra Hæreticos, post illustres scriptiones quorundam operum, demum moritur; non morte aliquâ repentinâ, per apoplexiam causata, ut falsè scripsit omnium primus Philippus Bergomensis, & ex eo alij, ut Hartmannus Schedel Norimbergensis, & Sabellicus, quos optimè refutat Wadingus *citat.* nec morte violentâ, quasi in extasim incidisset, & festinatò nimis funere pro mortuo fuisset tumulatus, ac demum ad se reversus caput elisisset in superposito sepulchrali lapide, ut ineptè & fabulosè comminiscitur Paulus Jovius, & ex eo affert Bzovius; cujus contrarium pluribus luculenter ostendit idem Wadingus, Ferchius, Author Nitelæ Franciscanæ, Joannes Stommelius Coloniensis *orat. de Scoti laud.* Petrus Rodulphus Episc. Senogalliensis, Albertus Miræus, &c. Mortuus ergo est Scotus Coloniæ morte naturali, non apoplecticâ, néque violentâ, anno 1308. die 8. Novembris, suæ ætatis 34. primòque sepultus in Ecclesia FF. Minor. ad introitum Sacrarij prope altare trium Regum; deinde verò in nobiliorem locum, chori videlicet planitiem translata fuêre ejus ossa, átq; honorifico Sepulchro elevatô inclusa.

4. *Opera vera à Scoto composita; ejusq; Discipuli illustres.*

Nota quartò: Doctorem Subtilem tam brevi annorū curriculo plura composuisse opera, miræ eruditionis, subtilitatis & ænergiæ, quæ distinctè referuntur à Wadingo *in scriptoribus Ordinis Minorum*, verbo *Joannes Duns Scotus*, & sunt sequentia: Grammatica speculativa: in universam Logicam quæstiones: Commentaria in libros Physicorum: Quæstiones in libros de anima: Tractatus de rerum principio: Tractatus de primo principio: Tractatus Theorematum: Collationes 23. Item quatuor aliæ collationes: Tractatus de cognitione DEI: Quæstiones miscellaneæ: Meteorologicorum libri quatuor: Expositio in Metaphysicam: Conclusiones Metaphysicæ: Quæstiones in Metaphysicam: Scriptum Oxoniense, seu Distinctiones in 4. libros Sententiarū Petri Lombardi: Reportata Parisiensia in eosdem libros: Quæstiones Quotlibetales in Theologiā. Lectura in Genesim; Cōmentaria in Evangelia: Cōmentaria in Ep. D. Pauli Sermones de tempore: Sermones de Sanctis: Tractatus de perfectione statuum: quæ omnia opera continentur in Duodecim tomis Lugduni editis. In his diffusa reperitur doctrina, inconcussa, & ab omni labe erroris immunis; ut proinde jam à tribus sæculis in omnibus Concilijs œcumenicis inviolata permanserit; & Sacræ inquisitionis Generalis Romæ Tribunal anno 1610. præceperit librorum Censoribus, ut quidquid Scoti esse constaret, intactum, inviolatúmque pertransirent. Quare non immeritò intaminata, sublimísque Scoti Sententia in primarijs Orbis Europæi Universitatibus úsque modo suas particulares publicas habet Cathedras, & Professores, ut in Conymbricensi, Salamanticensi, Complutensi, Parisiensi, Patavina, Romana, Ticinensi, ut complures alias taceam. Eidem Doctrinæ nō modicum perfectionis, ac æstimationis testimoniū addunt complures illustres Scoti Discipuli variarum nationum, qui eandem à tanto magistro exceperunt Oxonij,

nij, Parisijs, & Coloniæ, & deinde Ecclesiam, ac Ordinem Seraphicum suis lucubrationibus illustrârunt; inter quos primas tenuêre Joannes Bassolius *Doctor Ordinatus*; de quo Scotus ipse solebat dicere, *hoc solò præsente sufficiens esse auditorium*. Antonius Andreas *Doctor dulcifluus* Hispanus. Franciscus Mayronius *Doctor Illuminatus* Gallus. Alvarus Pelagius Hispanus. Joannes Canonicus. Gvalterus Buslæus Gallus. Franciscus de Marchia Italus. Landulphus Carraciolus Neapolitanus. Gnilielmus Occam Anglus. Petrus Aureolus. Joannes de Janduno. Hugo de Novo castro. Gerardus de Odonis, & plures alij, omnes doctissimi Magistri, & Scriptores. Commendat tandem Doctoris Subtilis Doctrinam tantus in eam ScriptorumScotistarum numerus, quorum multos centenos P. Wadingus in suo tomo *de scriptoribus Ordinis Minorum* recenset.

QUÆSTIO III.

De Divisione Philosophiæ; & Scientijs sub ea contentis.

1. Philosophia alia est naturalis, alia moralis, alia rationalis.

Dico primò: rectè partitur Philosophia in sua latitudine accepta in naturalem, moralem, & rationalem. Ita communis olim Platonicorum, & Stoicorum, uti habetur apud Evsebium *lib. 2. de preparat. Evangel.* Et Alçinat. *de doctrina Platonis.* Et Ciceronem *1. de orat. ad Quintum.*

Probat primò: Authoritate Arist. qui *1. Top. cap. 10.* dividit problema Philosophicum in naturale, morale, & logicum seu rationale, atque de ejusmod problematibus in Philosophia esse agendum: ergo Philosophia in naturalem, moralem, & rationalem rectè dividitur.

Probat. secundò ratione: nam ut rectè ratiocinatur D. Aug. *lib. 8. de civ. DEI cap. 4.* Philosophia ad hominis felicitatem in via acquisibilem ordinatur: sed ad felicitatem obtinendam inserviunt Philosophia naturalis, moralis, & rationalis: Ergo &c. Probat Min. Felicitas consistit tum in contemplatione veritatis, tum in actione veritatis, tum in actione consentanea virtuti, ut docet Philosophus *Nichom. cap. 7. & 8.* Sed ad has ritè perficiendas inserviunt Philosophia naturalis, moralis, & rationalis. Ergo &c. Probat Min. Philosophia naturalis incumbit scrutationi causarum, & arcanorum naturæ, & consequenter contemplationi veritatis in ijsdem repertæ; uti patet de Physica, & Metaphysica; Philosophia Moralis componit mores ad vitam civilem rectè instituendam; & consequenter spectat actionem virtuti consentaneam; ut patet de Ethica: Philosophia rationalis præservat ab errore in discurrendo, & disserendo de præfatis omnibus; & consequenter rectificat actionem veritatis, uti patet de Logica: Ergo ad contemplationē veritatis, actionem veritatis, & actionem consentaneam virtuti ritè perficiendam inserviunt Philosophia naturalis, moralis, & rationalis.

Nota autem primò: Philosophiam naturalem ex dictis rectè describi, quòd sit, *scientia naturæ arcana, & veritatem investigans, atque tradens per principia, vel Physica, vel Metaphysica, vel Mathematica.* Philosophia Moralis benè describitur, quòd *sit scientia tractans de morum compositione, & institutione ritè peragenda.* Rationalis, quòd *sit scientia mentem dirigens in suis operationibus, ne erroribus subjiciatur.*

2. Contenta sub Philosophia naturali.

Nota secundò: Sub Philosophia naturali contineri Physicam, Metaphysicam, & Mathematicam. Physica bene describitur, quòd *sit scientia speculativè tractans de corpore naturali quà tali.* Metaphysica, quòd *sit scientia tractans de ente ut abstrahit à materia.* Mathematica, quòd *sit scientia peculiari modo tractans de quantitate.*

3. Contenta sub Physica.

Nota tertiò: Ad Physicam seu Physiologiam reduci à recentioribus Medicis Medicinam, quæ *est ars tractans de corpore naturali maximè humano ut curabili per medicinarum applicationem.* Et Chyrurgiam, quæ *est ars tractans de corpore naturali per vulnerum sanationem.* Et Alchimiam, quæ *est ars corpora metallica perficiendi*: & nonnullas alias Mechanicas, ut est fabrilis, nautica, militaris, textoria, & agricultura: quæ tamen, quia merè practicæ sunt, ad Physicam speculativam, ut partes subjectivæ non sunt reducendæ: etsi eidem secundùm *quid* subalternari videantur.

4. *Facultates contenta sub Mathematica.* Nota quartò: Ad Mathematicam reduci Astronomiam, Perspectivã, & Geometriã. Astronomia *est scientia tractans de lineis visualibus, id est prout pertinent ad aspectum.* Geometria *est scientia tractans de quantitate, & dimensionibus absolutè acceptis.*

5. *Contenta sub Astronomia.* Nota quintò: Ad Astronomiam referri Dioptricam, Metheoroscopiam, & Gnomicam; Dioptrica *est scientia tractans de planetarum, & aliorum siderum distantijs, quatenus instrumentis Dioptrices contemplativis.* Metheoroscopia *est scientia tractans simpliciter stellarum differentias, elevationem, & intervalla.* Gnomica *est scientia tractans de horarum dimensione, & positione gnomonum.*

6. *Sub Perspectiva.* Nota sextò: Ad Perspectivam pertinere varias Opticæ species, quæ varia sortiuntur nomina, à varietate linearũ visualiũ, ut videre est apud recentiores Opticos.

7. *Sub Geometria.* Nota septimò: Ad Geometriam referri Cosmographiam, Geographiam & Topographiam. Cosmographia *est scientia, tractans de Sphæra universi Orbis.* Geographia *est scientia tractans de parte duntaxat sphæra, terra scilicet.* Topographia *est scientia de Particularium locorum descriptione agens.*

Nota octavò: Scientijs Mathematicis ab A. A. quibusdam annumerari Arithmeticam, & Musicam; verùm hæ, & similes distinctas videntur conficere artes; cùm non Mathematicum, sed purum naturale objectum considerent; Arithmetica nàmque *est ars tractans de numeris ut absolutis à materia.* Musica verò *de numeris ut sonoris, id est ut in sono, voce, & harmonia spectantur.* Hæc de Philosophia naturali.

8. *Sub Ethica.* Nota nonò: Ad Philosophiam Moralem pertinere tanquam species, Ethicam, Oeconomiam, & Politicam. Ethica est *scientia tractans de morum honestate, & compositione, quâ unusquisque hominum est instituendus.* Oeconomia *est scientia tractans de ratione gubernanda familia.* Politica *est scientia tractans de gubernatione rerum publicarum, Civitatum, Ordinum, Provinciarum, Regnorumque.*

9. *Sub Philosophia Rationali.* Nota decimò: Sub Philosophia Rationali contineri Dialecticam, & Logicam. Dialectica *est scientia synopticè & summulisticè instituens hominem ad Logicam ritè capescendam.* Logica *est scientia tractans modum bene discurrendi, & absq; omni periculo deveniendi in cognitionem rei ignotæ.*

QUÆSTIO IV.

De modo argumentandi, & respondendi in Philosophia Scotistica.

1. *Quid Syllogismus, & Enthymema.* Nota primò: in Philosophia Aristotelica duos esse receptos modos argumentandi, Syllogismô videlicet, & Enthymemate. Syllogismus (ut uberiùs docebo infrà) constat tribus propositionibus, quarum prima vocatur *Major*, secunda *Minor*, tertia *Consequens*, v. g. si argumentor sic: omnis homo est vivens: sed Plato est homo: Ergo Plato est vivens. Enthymema constat duabus duntaxat propositionibus; prima appellatur Antecedens: secunda Consequens, v. g si sic argumentor; omnis homo est vivens: Ergo & Plato est vivens.

2. *Modus servandus ab argumentante.* Nota secundò: Quando discipulus Religiosus subit munus argumentandi in Schola Scoti, tunc factâ priùs reverentiali inclinatione Superiori (si aliquis adsit) viris illustribus (si qui in circulo disputationis præsentes sint) ac demum Professori Præsidenti, stet recto corpore in suo loco, & clarâ atque intelligibili voce, sine tamen strepitu, aut inconcinna aliqua actione corporis, dicat; *argumentabor contra Reverentia, vel Charitatis vestræ* (vel alium competentem titulum juxta defendentis dignitatem præmittendo) *Theses Philosophicas in ordine primam, vel secundam, quæ hujus est tenoris* (& legat totã Thesim usq; ad illa verba inclusivè, contra quæ intendit argumentari) demumque dicat, *contra quam partem pono tale medium:* & tunc proferat suum argumentum in formâ Syllogismi, vel Enthymematis, maneátque stans, quoúsq; respondeat, seu defendens argumentum semel resumpserit. Deinde si respondens neget aliquam propositionem, v. g. Majorem, illicò argumentans dicat: probo Majorem, eámque probet, semper inferendo negatum; si verò eam distinguat: peracta distinctione dicat argumentans *contra distinctionem v. g. Majoris,* & pro-

probet distinctionem non subsistere, aut non officere suo priori argumento.

3. *Aliæ observationes ad idē.*

Nota tertiò: Argumentans non debet assvescere inconditis, & excessivis clamoribus, ac contentionibus; sed medium suum semel assumptum modestâ vivacitate, claritate, limpida eruditione, ac efficaciâ humili proponere, eóque collimare, ut præcisè eruatur de plano veritas Philosophica per varia argumenta; unde abstinere omnino debet à censuris alienæ opinionis, à puncturis, satyris, cavillis mordacibus, aliisque similibus dicteriis, quibus theses, & Defendentis tum discipuli, tum Professoris Præsidentis responsa traduceret, vel lacesseret; quod & Defendenti observandum in diluendis argumentis opponentis. Cavere itidem debet arguens, ut argumenta sua stabiliat, vel in authoritate Magistri suæ Scholæ Scoti, vel Aristotelis, vel bona ratione Physica, Metaphysica, Mathematica, vel Ethica, juxta materiæ substratæ qualitatem, & ne captionibus, parologismis, fallaciisque Sophisticis (Religioso, & erudito viro indignis) utatur.

4. *Quo pacto se gerere debeat defendens.*

Nota quartò: Quando Religiosus Discipulus in schola Scoti fungitur munere Defendentis, seu respondentis, omni, quâ par est, modestia religiosa, & compositione corporis, stante pede, auscultet, & excipiat primum argumentum Argumentantis, quod antequam resumat, eodem habitu, & situ moderato corporis, altâ, clarâ, distinctâ, & non præproperâ; sed intelligibili voce, ac cum humili religiosa inclinatione dicat: *bene argumentatur Religiosus Pater, vel Frater Condiscipulus* (vel si aliena persona sit, aut in gradu constituta, ponat alium, & quidem completum, ac exactum titulum personæ illius, juxta dignitatem ejusdem) *contra thesim nostram in ordine primam, vel secundam, cujus tenor est talis* (& legat ipsam thesim, usque ad membrum inclusivè, quod impugnatur) *contra quod membrum ponit tale medium*: & tunc reassumat altâ voce, & debita excitatione, ac vivacitate argumentum oppugnantis fideliter, servatis iisdem terminis, quantum pro memoriæ fragilitate poterit fieri: quod semper observandum in omnium repetitione argumentorū: postea sedeat, & secundò repetat argumentum, statimque ad primam propositionem respondeat, eam concedendo, si sit vera, v. g. concedo Majorem, vel Antecedens, pro varietate argumenti; vel eam negando, si sit falsa; vel distingvendo, si sit ambigua: quòd si dictam propositionem negare contigerit, defendens ulteriùs non progrediatur; sed subsistat, & expectet probationem argumentantis; si vero contigerit distingvi, facta distinctione Majoris in Syllogismo: vel Antecedentis in Enthymemate distingvat similiter Minorem, si sit distingvenda; vel eam concedat; & tandem neget Consequentiam; & hoc totum præstet stando, quotiescunque distinxerit.

5. *Aliæ admonitiones ad idē.*

Nota quintò: Si Opponens inter argumentandum afferat textum, seu authoritatem S. Scripturæ, Philosophi, Doctoris Subtilis, alicujus S. Patris, Concilij, vel Ecclesiæ, respondens eam non neget absolutè; sed stando glosset, explicet, & interpretetur in sensu sibi favorabili. Præterea si idem Arguens supponat in argumento aliquod falsum pro vero; aut è contra; repetens post repetitum argumentum dicat, *nego suppositum Majoris, vel Minoris*, & illud afferat, ostendátque esse falsum: vel è contra. Caveat etiam ne in distingvendo, vel explicando datam distinctionē, aut Autoritatem sibi objectam sit prolixus, obscurus, & morosus; sed semper pro possibili studeat brevitati, claritati, & amœnitati verborum: Observet etiam commune dogma Dialecticum: *sæpe nega, concede rarò, distingve frequenter.* Morem itidem semper gerat respondens suo Patri Lectori præsidenti circa argumenti solutionem; néque suum capricium, aut sentimen particulare unquam in actu publico sequatur contra Magistri doctrinam, in actu publico datam; minùs se eidem opponat verbis, vel gestu. Finitô argumentô reverentiali inclinatione gratias agat Argumentanti pro proposito argumento; & stans expectet alterius Argumentantis impugnationem.

Finit Prologus.

DIALECTICA.

SEU

DE ENTE SUMMULISTICO.

TRACTATUS UNICUS.

De Dialectica Scholæ Philoſophicæ Scotiſtarum.

PRÆFATIO.

PHiloſophiæ Rationalis ritè capeſcendæ clavis eſt Dialectica; (quæ principalē habuit Inſtitutorē Platonē) ipſa enim præbet Tyronibus ſummariam notitiam, ac elementa prima univerſæ Logicæ: continet iſagogen brevem ad arcana ejuſdem faciliùs deinde penetranda: inſtituit novellos Logicos ſummuliſticè circa intellectum graviorum quæſtionum ejuſdem facultatis; inſtruit eoſdem ad compendiosè, ſecuriùs, & expeditiùs diſcurrendum per Syllogiſmos, & Enthymemata Logicalia: ad diſſolvenda Sophiſmata captioſa, & verum à falſo in ipſo Logices corpore diſcernendo; quare juxta conſvetudinem Scholæ noſtræ Scotiſticæ, uſūmque graviſſimorum Philoſophorum *recentiorum Scotiſtarum, Philoſophiæ Rationali, ſeu Logicæ præmittam Inſtitutiones quaſdam Dialecticas, Laconico ſtylo digeſtas, quas paſſim alij vocant* Summulas, *quaſi ſummularia compendioſa dogmata de Logica; alij* parvam Logicam, *eò quòd Logices præcepta in modicis, & brevibus regulis complectatur. Exordiar à Terminis, utpote primis elementis, abſque quorum notitia nulla genuina, ac ſincera veritas Logica haberi poteſt, juxta illud Scoti,* 4. diſt. 10. quæſt. 8. ſinceræ & puræ veritates percipi nequeunt, abſque perceptione propriorum terminorum. *Sit itaque.*

DI-

DISTINCTIO I.

De Termino in Communi, ejúſq; diviſione.

QUÆSTIO I.

De definitione Termini in communi, ejúſque diviſione.

1. *Acceptiones variæ termini.*

NOta primò: Ly *terminus* varias habet uſurpationes; *Primè* enim uſurpatur pro fine, ſeu extremo cujuſvis rei. hoc ſenſu dicit D. Auguſtinus, *3. de conſenſu Evang. 24. lux terminus totius noctis eſt. Secundò* capitur non tantùm pro fine, ſed pro principio cujuslibet; hoc ſenſu primum, & ultimum punctum lineæ dicuntur termini eſſe lineæ: & in S. Litteris tam finis, quàm initium terræ promiſſionis appellantur termini ejuſdem, dum dicitur Exodi *23. ponam autem terminos tuos à mari rubro, uſque ad mare Palæſtinorum; & à deſerto uſque ad fluvium. Tertiò* ad propoſitum ly terminus incomplexus ſumitur determinatè pro formali extremo propoſitionis Dialecticæ; unde

2. *Vera deſcriptio termini.*

Dico primò: Bene definitur terminus ùt ſic Dialecticus incomplexus, quòd *ſit extremum propoſitionis, in quod propoſitio tanquam in ſubjectum, & prædicatum eſt reſolubilis.* Ita Philoſophus *1. Prior. cap. 1.* Et P. Tartaretus, P. Lamazares, de La fuente, & alij Scotiſtæ.

Probat. Hæc definitio conſtat genere, & differentia, alijſque conditionibus bonæ definitionis: ergo eâ bene definitur terminis ùt ſic Dialecticus. Probat. Ant. pro prima parte, & ſimul explicatur definitio aſſumpta: Ly *extremum* ponitur locô generis, in quo terminus ùt ſic Dialecticus convenit cum terminis alijs non Dialecticis, v. g. termino phyſico, lineæ, terræ promiſſionis, &c. Ly *propoſitionis* ſtatuitur pro differentia, nam terminum ùt extremum propoſitionis ſolus Dialecticus conſiderat; unde ſub hac ratione differt terminus Dialecticus ab omni alio termino, ſub alia conſideratione ſumpto. Additur *in quod propoſitio tanquam in ſubjectum, & prædicatum eſt reſolubilis*, ut oſtendatur non quodcunque extremum propoſitionis Dialecticæ habere rationem formalis termini; ſed illud duntaxat, quod in ea poteſt formaliter ſtatui pro ſubjecto, & prædicato Dialectico; qualia ſunt v g. in hac propoſitione *homo eſt animal*, ly *homo*, quod eſt ſubjectum, & ly *animal* quod eſt prædicatum, in quæ duo reſolvitur illa propoſitio: Ergo hæc definitio conſtat genere & differentiâ. Reliquæ conditiones hujus definitionis patebunt ex infrà dicendis, de legibus bonæ definitionis.

Objicies primò: Propoſitio vocalis quoque reſolubilis eſt, & ſæpe reſolvitur in copulam *eſt*, dicendo v. g. Homo animal eſt; item in ultimas ſyllabas, litteras, & puncta terminativa dictionum ejuſdem propoſitionis; item in adverbia quibus conſtat v. g. in hac propoſitione, Petrus eſt doctus ſummopere; ergo non bene dicitur in definitione, quòd propoſitio ſit extremum, in quod tanquam in ſubjectum, & prædicatum eſt reſolubilis.

3. *Reſolutio propoſitionis in copulã, ultimas ſyllabas &c. eſt tantum materialis.*

Reſpondeo Negat. Ant. & ad exempla ibidem poſita dico, ſi contingat propoſitionem in copulam, ultimas ſyllabas, litteras, puncta terminativa, & adverbia reſolvi, illam reſolutionem eſſe duntaxat materialem, non formalem; hoc eſt dicere, quòd copula *eſt*, ultimæ ſyllabæ, litteræ, puncta terminativa, & adverbia ſecundùm materialem, ac entitativam pronunciationem, ſitum, & loquelæ ordinem quidem pro quodam finali, & quodam extremo Propoſitionis collocentur; non autem ſecundùm proprietatem, ſeu rationem formalem ſignificativam termini Dialectici. Hac viâ plura argumenta alia elidi poſſunt. Circa diviſionem Termini ùt ſic.

4. *Quid terminus complexus, & incomplexus.*

Nota ſecundò: Terminum Dialecticum primò dividi in incomplexum, & complexum. *Incomplexus* eſt unica vox, v. g. Plato, panis, &c. *Complexus* ſunt plures voces ſimul conglobatæ; talis eſt

quævis propoſitio v. g. Plato eſt homo. Uterque deinde dividitur in mentalem, vocalem, & ſcriptum. Incomplexus rurſus, tam mentalis, quàm vocalis, & ſcriptus partitur in ſignificativum, & non ſignificativum; in communem, & ſingularem; in univocum, æquivocum, & analogum; in concretum, & abſtractum; in abſolutum, & connotativum; in categorematicum, ſyncategorematicum, & mixtum, in tranſcendentem, & non tranſcendentem: in finitum, & infinitum; in affirmativum, privativum, & negativum; in terminum in obliquo, & in recto ſumptum; in convertibiles; in repugnantes; primæ, & ſecundæ intentionis; in exponibiles, & quoſdam alios, quas omnes diviſiones ſequenti quæſtione elucidabo. Unde ſit.

QUÆSTIO II.

Singulorum Terminorum incomplexorum explicationes afferuntur.

1. Terminus mentalis, vocalis & ſcriptus.

NOta primò: *Terminum mentalē* incomplexum eſſe illum qui fungitur munere extremi formalis Dialectici in propoſitione, ſola mente concepta, tales ſunt ly *Plato*, & ly *homo*, in hac propoſitione mentali, Plato eſt homo. *Vocalis* eſt, qui fungitur munere extremi in propoſitione eadem v. g. voce jam enunciata. *Scriptus* eſt, qui fungitur munere extremi in propoſitione allegata, v. g, chartæ, vel alteri materiæ inſcripta.

2. Significativus, & non ſignificativus.

Nota ſecundò: *Terminus ſignificativus* incomplexus dicitur, qui aliquid ex hominum inſtitutione ſignificat; tales ſunt lapis, panis, qui naturam lapidis, & panis audienti repræſentant, &c. *Non ſignificativus* autem, qui nihil præter ſeipſum ſignificat, talis eſt *Blictrı*, *Floſtro*. *Terminus communis* vocatur ille, qui pluribus ſeorſim adaptari poteſt; talis eſt ly *homo*, qui ſeorſim Petro, Paulo, Joanni, & alijs hominibus adaptari, & de ijſdem enunciari poteſt; hic terminus quoque dicitur *univerſalis*, quando in ordine ad illa plura, quibus adaptari poteſt concipitur ſub ſecunda intentione ſuperioritatis, velut in ordine ad inferiora. *Terminus ſingularis eſt*, qui uni rei individuæ adaptari, & de eadem duntaxat enunciari poteſt, talis eſt *Plato*, *Petrus*, *&c.* Terminus ſingularis ſubdividitur in Determinatum, Demonſtrativum, Singularem ex hypotheſi, Collectivum, & Vagum. *Determinatus eſt*, qui rem ex ſe determinatam ſignificat; ut *Plato* Platonem. *Demonſtrativus* eſt, qui rem aliàs quidem communem, ratione tamen pronominis alicujus determinatè ſignificat; v. g. *hic homo*. *Collectivus eſt*, qui plura quidem; ſed hic & nunc in unum collecta ſignificat; talis eſt ly *Civitas*, *populus Pragenſis*, *&c.* *Singularis ex hypotheſi* eſt, qui ex ſuppoſitione communi hominum unicum individuum præciſè tale ſignificat; talis eſt ly *Filius Mariæ*: & ly *Redemptor Mundi*, qui præciſè Chriſtum ſignificat. *Vagus* tandem eſt, qui rem aliquam ſingularem indeterminatè ſignificat; talis eſt ly *aliquis homo*; ly *aliquis equus*.

Univerſalis ſingularis, collectivus, Determinatus, Demonſtrativus, & Vagus.

3. Univocus, æquivocus, analogus.

Nota tertiò: *Terminus univocus* incomplexus eſt, qui pluribus convenit ſecundùm idem nomen, eandémque rationem, per illud nomen ſignificatam; talis eſt ly *homo*, qui convenit Platoni, & Socrati, quorū uterq; dicitur homo, & habens rationē hominis, puta animalitatem, & rationalitatem. *Terminus Æquivocus* eſt, qui quidem pluribus convenit ſecundùm idem nomen; non tamen ſecundùm rationem per nomen importatam; talis eſt ly *canis*, & ly *gallus*, quorum primus ſignificat canem terreſtrem, piſcem marinum, & ſtellam cæleſtem; ſecundus verò avem gallinaceam, & hominem in Francia natum. *Analogus* eſt, qui pluribus ſecundùm idē nomen convenit; ſecundùm verò rationem nec omnino convenit, nec omnino diſconvenit, propter aliquem ordinē, ſeu proportionem, qualē non habent univoca, & æquivoca inter ſe; talis eſt ly *ſanum* reſpectu hominis ſani, urinæ ſanæ, & medicinæ ſanæ; nam licèt de animali propriè principaliter, & priùs dicatur ratio ſani, quòd animal ſit ſanum; de urina tamen, etiam idem cum quodam ordine, & proportione enunciatur, quatenus nimirum urina indicat ſanitatem; & medicina eandem efficit.

4. Concretus, abſtractus, denominativus.

Nota quartò: *Terminus concretus* incomplexus eſt, qui formam, ùt concernentem vel afficientem, ac denominantem aliquod ſubjectum ſignificat; talis eſt ly *juſtus*, qui ſignificat juſtitiam in Petro v. g. exiſtentem, eúmque ùt ſubjectum concernentem, afficientem, ac denomi-

nan-

nantem. *Abstractus* est, qui formam solam, & ùt Metaphysicè abstractam à subjecto significat; talis est ly *Justitia*. Ab his duobus terminis non videntur differre termini Denominativus, & Denominans, ùt indicat Scotus *4. dist. 12. q. 3. §. ad principales rationes AA.* ita ut *terminus Denominativus* in re sit idem, quod Concretus; *Denominans* verò idem, quod Abstractus: unde immeritò noster Pater Amandus Herman in sua *Parte introductiva ad Philosophiam disp. 1. q. 2.* particularem, & distinctam instituit divisionem Termini in Denominantem, & Denominativum.

5. *Absolutus, & connotativus.*

Nota quintò: *Terminus absolutus* incomplexus, qui præter suum principale significatum, id est præter formam, vel subjectum, nullum aliud extraneum dat cointelligere, quod conceptum ejus quietativum ingrederetur; unde dicitur ab omni tali alio absolvi; talis est ly *homo*, ly *bos*. *Terminus Connotativus* est èconfra, qui præter suum principale significatum dat aliud secundariò intelligere, quod ad ejus conceptum perfectum, & quietativum requiritur; talis est ly *Pater*, qui præter formam, & subjectum dat secundariò cointelligere filium suum, cujus est Pater; talis etiã est ly *Dominus*, *Magister*, *Creator*, *&c.* qui semper aliud connotant, & præter principale suum significatum important.

6. *Categorematicus, Syncategorematicus, & Mixtus.*

Nota sextò: *Terminus Categorematicus* (id est per se significativus) incomplexus est, qui se solo potest esse extremum formale, & perfectum propositionis Dialecticæ; talis est ly *Deus*, *lapis*, *Plato*, *&c.* *Syncategorematicus*, seu consignificativus est, qui cum alio duntaxat sumptus potest esse extremum formale, id est subjectũ, vel prædicatum propositionis Dialecticæ; talis est ly *omnis*, *quidam &c.* *Mixtus* est, qui conflatur ex Categorematico, & Syncategorematico; talis est ly *nemo*, id est nullus homo, ùt notat Scotus *1. dist. 21. quæst. unica.*

7. *Transcendens, & non transcendens.*

Nota septimò: *Terminus Transcendens* incomplexus est, qui de omnibus prædicamentis, & inferioribus eorum potest enunciari; tales sunt sex, *ens*, *res*, *unum*, *verum*, *bonum*, *aliquid*; sic verum est dicere, quòd substantia sit ens, quantitas sit ens, &c. *Terminus non transcendens* est, qui de determinatis duntaxat rebus potest enunciari; talis est ly *homo*, *lapis*, *leo*, *&c.*

8. *Finitus, infinitus.*

Nota octavò: *Terminus finitus* incomplexus est, qui limitatam habet significationem, sic scilicet, ut non possit enunciari nisi de rebus vel existentibus, vel potentibus existere; talis est ly *homo*, *panis*, *&c.* *Infinitus* est, qui potest de omnibus rebus tam existentibus, quàm non existentibus, & non potentibus existere prædicari, ob negationem infinitantem præpositam; talis est ly *non homo*; nam verum est dicere, quòd lignum sit non homo; lapis sit non homo. Chymæra sit non homo, &c. Adverte autem, ut negatio terminum infinitet (modò non sit transcendens) debet ipsum immediatè afficere, & ei præponi, & non copulæ; unde in hac propositione *lapis est non homo* negatio afficit bene ipsum terminum, & eum infinitat; in hac verò *lapis non est homo* afficit copulam. Dixi *modò non sit transcendens*; quia termini transcendentes nequeunt infinitari; nam si tali præponatur negatio, non potest de ulla re existente dici; unde non est verum, *quòd lapis sit non ens*, *&c.*

9. *Affirmativus, Negativus, & Privativus.*

Nota nonò: *Terminus Affirmativus* incomplexus est, qui exprimit reale quid, & positivum; talis est ly *lapis*, *cælum*, *homo*, *&c.* *Privativus* est, qui denotat carentiam alicujus formæ in subjecto capaci; talis est ly *cæcitas*, denotans carentiam visûs in homine. *Negativus* est, qui importat carentiam formæ alicujus in subjecto incapaci; talis est ly *irrationalitas* in bruto.

10. *Rectus, & obliquus.*

Nota decimò: *Terminus in recto* est, qui Grammaticè enunciatur in casu Nominativo, v. g. dum dicitur *Deus*, *dominus*. *Terminus in obliquo* est, qui enunciatur in reliquis casibus dicendo; *DEI*, *domini*, *&c.*

11. *Convertibiles Synonimi.*

Nota undecimò: *Termini convertibiles* incomplexi ex Scoto *1. Prior. q. 14.* sunt qui de se invicem universim possunt affirmari, aut negari; talis est ly *homo*, & *risibile*, de quibus veræ sunt hæ conversæ prædicationes, *homo est risibilis*; & *risibile est homo*. His terminis affines sunt termini Synonimi, v. g. *ensis*, *& gladius*; item *Petrus*, & *Cephas*. Similiter *Termini pertinentes*, quorum unus infert alium, v. g. *homo*, qui infert *animal*; & *animal* quod infert *vivens*.

12. *Contrarij, contradictorij, relativi, &c.*

Nota duodecimò: *Termini repugnantes* incomplexi sunt, qui nequeunt de eadem re simul, & eodem tempore enunciari: Tales sunt ly *justus*, *injustus*; *sapiens*,

piens, *& insipiens*: hi sunt in quadruplici differentia; alij enim vocantur Contrarij, alij Contradictorij, alij Privativi, alij Relativi. *Repugnantes contrariè* seu *Contrarij* sunt, qui significant duas res positivas se mutuò naturaliter expellere ab eodem subjecto; tales sunt *calor*, *& frigus* respectu ejusdem aquæ. *Contradictorij* sunt, quorum unus importat entitatem positivam alicujus rei, alter verò negationem ejusdem; tales sunt *homo*, *non homo*. *Privativi* sunt, quorum unus designat privationem alterius in subjecto; *ut lucidus*, *tenebrosus*. *Relativi* sunt, qui ad convertentiam dicuntur, seu relationem ad invicem important; tales sunt *dominus*, *& servus*; magister, & discipulus.

13. *Primæ, & secundæ intentionis.*

Nota decimotertiò: *Terminus primæ intentionis* est, qui significat rem secundùm illud esse, quod habet ex se ante operationem intellectûs; talis est ly *homo*, *aqua*, *lapis*, *&c.* *Terminus* secundæ intentionis est, qui significat rem ulterius secundùm illud esse, quod habet ab operatione intellectus; talis est ly *subjectum*, *prædicatum*, *genus*, *species*, *&c.* quæ nomina quia posteriùs à Philosophis imposita fuêre rebus per operationem intellectûs, comparantis res ad se invicem in ratione subjecti, & prædicati in aliqua propositione Dialectica, dicendo v.g. *homo est animal*, ubi ly *homo* est subjectum, ly *animal* prædicatum; vel in ratione superioris ad sua inferiora; ideo secundæ intentiones dicuntur, eò quòd secundò in istas res tendatur, & novum esse attribuatur eisdem.

14. *Exponibilis, exclusivus, exceptivus, & reduplicativus.*

Nota decimoquartò: *Terminus exponibilis* est ille, qui ad rectam sui intelligentiam eget expositione: & sunt potissimè tres sortes ejusdem, Exclusivus, Exceptivus, & Reduplicativus. *Exclusivi* sunt isti, *tantùm*, *duntaxat*, *solùm*, &c. qui tam prædicatum, quàm subjectum alicujus propositionis possunt afficere, & variare sensum ejusdem: quando Terminus Exclusivus ponitur ex parte subjecti, v.g. sic; *tantùm Plato est Philosophus* sic debet exponi; *Plato est Philosophus, & nullus alius*: quando verò ponitur ex parte prædicati, v.g. sic, *Plato est Philosophus tantùm*, sic exponi debet, Plato est Philosophus, & nil aliud. *Termini Exceptivi* sunt hi, & similes *præter*, *præterquam*, *excepto*, *nisi*, *&c.* isti excipiunt illum Terminum, cui adduntur, à principali prædicato; v.g. dum dicitur, *omnis homo præter Platonem dormit*: unde sic exponitur, *solus Plato non dormit*. *Termini Reduplicativi* sunt *in quantum*, *quatenus*, *prout*, *&c.* & possunt facere duplicem sensum, specificativum, & rigorosè reduplicativum. *Specificativi* indicant rationem, cui apponuntur, non esse causam, vel conditionem convenientiæ necessariæ prædicati cum subjecto; sed tantùm peculiarem modum considerandi subjectum: talis habetur in hac propositione, *Musicus in quantum Musicus potest esse Logicus*; quæ exponitur sic, ille homo qui est Musicus, potest simul esse Logicus. *Reduplicativi rigorosè* efficiunt, quando indicant rationem, cui apponuntur, esse causam, vel conditionem saltem, cur prædicatum conveniat subjecto; exemplū primi habetur in hac propositione, *homo in quantum rationalis*, *est risibilis*, ubi indicatur rationalitatem esse causam, cur risibilitas conveniat homini: exemplum secundi; *ignis in quantum applicatus urit stupam*; ubi indicatur applicationem esse conditionem, ut ignis urat stupam; Reduplicativi cum causa exponuntur per causalem, ùt in exemplo primo allato sic; *quia homo est rationalis*, *est risibilis*: Reduplicativi cum conditione exponuntur per conditionem; ùt in exemplo secundo allato sic, si ignis comburit, est applicatus.

15. *Quid significet ly materialiter, formaliter, eminenter, efficienter, actu & potentiâ.*

Nota decimoquintò: Varios passim prætereà afferri in scholis, & disputationibus Terminos, quos breviter juxta Scoti, & Scotistarum mentem hìc explanabo. Primò Materialiter; & Formaliter: Ly *Materialiter* utimur, quando volumus indicare prædicatum enunciari de subjecto ratione materiæ; v.g. dum dicitur Roma est dissyllabum. Ly *Formaliter* verò quando volumus prædicatum enunciari de subjecto ratione formæ: v.g. dum dicitur Petrus est justus, ratione scilicet justitiæ sibi inhærentis ùt formæ. Secundò Eminenter; seu Virtualiter, & Efficienter. Ly *Eminenter*, & *Virtualiter* utimur, quando volumus indigitare rem aliquam non habere actum, & formam actualem; sed tantùm potentiam, & virtutem ad aliquid producendum; hoc sensu DEUS dicitur Eminenter omnis creatura; quia omnem potest producere; & Sol virtualiter calidus ob virtutem

calotis. Ly *Efficienter* utimur, dum designamus rem unam revera efficere, & producere aliam v. g. ignis A. est efficienter productivus ignis B. Tertiò Actu, & Potentiâ. Ly *Actu* denotamus rem aliquam existere actualiter, & esse talem v. g. ignem qui actu combutit. Ly *Potentia* denotamus rem unam posse aliam efficere, vel posse esse talem, v. g. Plato est potentiâ genetativus Socratis; Franciscus est potentiâ Papa. Quattò in Actu primo, & in Actu secundo. *In Actu primo* dicimus rem esse, quæ habet virtutem, & principium operandi; v. g. Plato, antequam eliciat intellectionem, dicitur esse in Actu primo intelligendi; quia habet intellectum tanquam principium intellectionis eliciendæ. *In Actu secundo* dicimus rem esse, quando subftat ipsi actuali operationi; v. g. Plato actualiter eliciens intellectionem. Quintò in potentia Logica; in potentia Physica; & Objectiva. *In potentia Logica* censetur res aliqua esse, quando ei non repugnat existentia. *In Physica*, quando res potest recipere aliquam formam Physicam. *In Objectiva*, quando res potest produci, necdum tamen est producta.

16. Quid sensus cō positus, & divisus; in actu signato, & exercito.

Nota decimosextò: Quinque itidem alios dari Terminos usuales in Dialectica; & primo in Actu signato: & in Actu exercito. Ly *Actu signato* utimur, dum rei constitutionem duntaxat designamus; v. g. dum dico, *Enthymema constat duabus propositionibus*. *In Exercito* quando pono in exercitio aliquod enthymema dicendo, *Petrus est homo: ergo est rationalis*. Secundò in sensu composito; & in sensu diviso, Ly *in sensu composito utimur* quando volumus denotare prædicatum rectè enunciari de subjecto ob conjunctionem alicujus peculiaris formæ cum ipso v. g. dum dicitur, *Justus ut Justus possidebit regnum DEI*, ubi Justitia est forma conjuncta homini, ob quam possessio regni Dei ei conceditur. Ly *In sensu diviso* utimur, quando volumus denotare prædicatum convenire subjecto in casu sejunctionis, talis formæ, quæ impedit veritatem propositionis; v. g. dum dicitur *scribens potest dormire*, supposità nimirum sejunctione scriptionis pro alio tempore. Tertiò Objectivè, & Subjectivè. Ly *Objectivè* notat rem aliquam objici potentiæ ejusdem perceptivæ; sic stella v. g. dicitur esse objectivè in oculo, & intellectu Astrologi eam contemplantis, & cognoscentis. Ly *Subjectivè* denotat rem unam esse in alio veluti in subjecto; sic color est subjectum in imagine; & calor in manu calefacta. Quattò per se; & per accidens.

17. Quid ly per se; & per accidē.

Ly *Per se* indicat rem unam alteri convenire ex natura sua, ac necessariò; sic Plato est per se rationalis. *Per accidens* indicat rem unam alteri convenire contingenter; sic Plato per accidens est Philosophus, doctus, &c. *Quintò*, Ut sic, & Ut tale. Ly *Ut sic* importat aliquam naturam communem ut à suis inferioribus abstractam v. g. speciem. Ly *Ut tale* importat naturam eandem jam individuatam. *Sexto*, Ut quo; & Ut quod.

18. Ut sic, Ut tale; Ut quo, & Ut quod; absolutè, respectivè, positivè, & negativè.

Ly *Ut quo* exprimit formam alicujus rei v. g. justitiam in Francisco justo. *Ut quod* verò exprimit ipsum subjectum Francisci. Quandóque etiam Ly *Ut quo* denotat causam instrumentalem, v. g. ferram; *Ut quod* autem causam principalem v. g. Paulum serrantem. *Septimo*, Absolutè, seu simpliciter; & Respectivè, seu secundòm quid. *Primis* utimur, quando exprimimus rem esse talem absque comparatione, & limitatione; v. g. si dicatur de Francisco omnium optimo, quòd sit *absolutè bonus*; & de Platone habente omnes scientias, quòd sit *absolutè doctus*. Secundis terminis utimur, quando adhibere volumus comparationem, & limitationem; v. g. si Paulus esset in una virtute tantum exercitatus, quòd sit *secundum quid virtuosus*. *Octavò*, Positivè; & Negativè. Ly *Positivè* dat intelligere, rem esse talem per formam realem positivam; v. g. Franciscus est *Sanctus* scilicet per formam gratiæ inhætentis. Ly *Negativè* insinuat absentiam formæ; v. g. dum peccator dicitur *negativè justus*.

QUÆSTIO III.

De proprietatibus Terminorum incomplexorum.

1. Septem sunt proprietates Terminorum.

NOta primò: Sicut alia entia suas habent passiones, & proprietates; v. g. homo risibilitatem, flebilitatem, &c. ita & entia Dialectica, ejusmodi sunt Termini Dialectici, suas habent proprietates, affectiones, & conditiones, quæ ipsos concomitantur ab extrinseco, & secundùm quas

Ter-

Termini variè usurpantur: recensentur autem à Sumulistis communiter septem sequentes; Suppositio, Ampliatio, Status, Restrictio, Diminutio, Alienatio, & Appellatio, quarum explicationem proponam in sequentibus, veluti summè necessariam ad debitè proponenda, & solvenda argumenta. Unde

2. *Definitio suppositionis.*

Nota secundò: Suppositionem benè describi, quòd *sit positio sive subrogatio termini pro se ipso, vel pro re, quam significat*: nam secundùm Aristotelem *1. Elench. cùm res ad Scholas adducere non possumus, utimur vocibus* (id est terminis) *pro rebus*; v. g. hoc nomine *Leo* locô leonis physici, de quo in Schola disputatur.

3. *Quid sit suppositio formalis, & materialis.*

Nota tertiò: Suppositionem Terminorum variam esse pro varietate significatorum; unde alia est Materialis; alia Formalis. Formalis rursus ramificatur in Simplicem, & Personalem, & Personalis rursus in alias varias species. *Suppositio Materialis* est acceptio, & usus termini, pro ipsomet Termino, non verò pro re significata; talis suppositio contingit in hac locutione, *Lux est monosyllabum*, & in hac, *homo est vox*; & universaliter in omnibus vocibus non significativis; v. g. blictri, scindapses, nidro, buff, baff, &c. *Formalis suppositio* est acceptio, substitutio, & usus Termini pro re, quàm Terminus ex institutione hominum significat; in hac suppositione summitur ly *homo*, & *animal*, dum dicitur, *homo est animal*.

4. *Quid propria, & impropria.*

Nota quartò: *Suppositionem Formalem* subdividi in Propriam; & Impropriam. *Propria* habetur, quando terminus accipitur pro suo genuino, & proprio significato, ad quod significandum institutus est; ita accipitur Ly *Leo*. Proverb. *30. Leo est bestiarum fortissimus*. *Impropria* habetur, quando Terminus accipitur, pro re impropriè significata, sic usurpatur Ly *Leo* Apoc. *5.* ubi de Christo dicitur, *vicit Leo de tribu Juda*; & in hac affectione suppositionis procedunt omnes metaphoræ Dialecticæ.

5. *Quid communis, & singularis.*

Nota quintò: *Suppositio Formalis propria* distribuitur in Communem; & Singularem. *Communis* contingit, quando terminus capitur pro re communi; talis est, si ly *homo* supponat pro tota natura humana. *Singularis*, quando capitur pro re individua, ac singulari, talis est ly *Bernardus, Franciscus, &c.*

6. *Simplex, & personalis.*

Nota sextò: *Suppositio Formalis communis* rursus partitur in Simplicem, & Personalem. *Simplex* fit, quando terminus supponit præcisè pro suo immediato, & primario significato, ut abstrahit ab omnibus inferioribus; v. g. quando *homo* supponit præcisè pro natura humana in communi. *Personalis* exercetur, quando terminus supponit pro suis mediatis, & secundarijs significatis, id est inferioribus; v. g. dum dicitur *homo currit*, ubi ly *homo* sumitur pro aliquo inferiori, seu persona naturæ humanæ v. g. Platone, qui currit. De istis duabus Suppositionibus dant hanc regulam generalem Summulistæ post Scorum *q. 16. Universal.* quòd à *Suppositione simplici ad personalem non valeat argumentum*; unde non valet arguere sic, animal est genus: sed homo est animal; Ergo homo est genus.

7. *Distributiva, collectiva, determinativa, & confusa.*

Nota septimò: Suppositio Personalis subdividitur in Distributivam; Collectivam, Determinativam; & Confusam. *Suppositio Distributiva* habetur, quando terminus communis supponit pro omnibus contentis sub natura communi seorsim sumptis, ita ut de quolibet ex ipsis determinatè possint enunciari; talis est ly *homo* in ista propositione; *omnis homo est animal*, ubi verum est dicere de quolibet contento sub natura humana, quòd sit homo; v. g. Plato est homo, Socrates est homo; & Plautus est homo, &c. *Suppositio Collectiva* habetur, quando terminus comunis supponit pro omnibus contentis sub natura communi, sed simul & collectivè sumptis; taliter fit in hac propositione; *omnes Apostoli sunt duodecim*; ubi non est verum dicere de quolibet Apostolo, nec de tribus, nec de quatuor, quòd sint duodecim; sed de omnibus simul sumptis. *Suppositio Determinata* contingit, quando terminus supponit pro aliquo determinato inferiori contento sub natura communi, seorsim tamen sumpto, & disjunctivè, quod saltem DEUS posset monstrare; taliter supponitur in hac propositione disjunctiva *aliquis homo est justus*, quem saltem DEUS, videns omnia individua humana, potest ostendere. *Confusa* contingit, quando terminus supponit quidem pro aliqua inferiori contento sub natura communi; sed tamen ita incertè, ut nec ab ipso DEO possit ullum tale determinatum inferius monstrari, pro quo supponat; talis sup-

po-

positio fit in hac propositione, *aliquis equus est necessarius ad equitandum*; ubi nec ipse DEUS potest ostendere, quis equus determinatè potiùs sit necessarius ad equitandum; cum quivis alius sit sufficiens.

8. *Quid suppositio pro singulis generum, generibus singulorū, & accommoda.*

Nota octavò: Suppositionem Distributivam tribus modis posse contingere. *Primò*; quando Terminus communis supponit pro omnibus tum speciebus, tum individuis naturæ communis; & appellatur *Suppositio pro singulis generum*: taliter supponitur in hac propositione; *omne animal est sensitivum*, in qua de omni specie animalis v. g. Humana, Leonina, &c. verum est dicere, quòd sit sensitiva, & de omni individuo cujuscùnque speciei sub animali contentæ, v. g. de Platone, Homine, Leone, &c. quòd sit sensitivus. *Secundò*: quando Terminus communis supponit pro solis speciebus naturæ communis; & vocatur *suppositio pro generibus singulorum*; taliter supponitur in hac propositione; *omne animal fuit in arca Noë*, id est omnis species animalis fuit in arca Noe: non verò omne individuum. *Tertiò*, quando Terminus communis supponit pro aliquibus inferioribus contentis sub natura communi, non tamen pro omnibus: & hæc nominatur *Suppositio Accommoda*; taliter distribuitur propositio illa Apostoli 1. ad Timot 2. *DEUS vult omnes homines salvos fieri*, ubi ly *omnes*, tangit illos solos omnes, qui salvi fient; non sient autem salvi Gentiles, & alij complures. Hæc de prima proprietate Terminorum, Suppositione videlicet. Circa alios.

9. *Definitur ampliatio.*

Nota nonò: *Ampliatio* rectè describitur, quòd *sit extensio Termini ad significandum pro alio tempore, quàm per verbum propositionis importatur*; talis usurpatio Termini fit in hac propositione, *vigilans dormit*; ubi ly *vigilans* ampliatur, & extenditur ad tempus præteritum; ut sensus sit, ille qui ante fuit vigilans, nunc dormit. Hæc affectio ab alijs vocatur *Distractio*.

10. *Status.*

Nota decimò: Status benè describitur, quòd sit *usus Termini pro illo tempore, quod per verbum hic & nunc significatur*; talis habetur hic, *Plato studet*, scilicet hoc præsenti tempore.

11. *Restrictio.*

Nota undecimò: *Restrictio* benè describitur, quòd *sit contractio Termini à majori significatione ad minorem*; talis exercetur in hac propositione, *homo albus currit*, ubi ly *homo* qui ex se significat omnes homines, per ly *albus* restringitur, & coarctatur ad certum hominem, albedine affectum.

12. *Diminutio.*

Nota duodecimò: *Diminutio* rectè describitur quòd *sit usurpatio Termini cum aliqua voce modificante, ita ut non absolutè; sed secundùm quid significet*; talis fit in hac propositione, *Æthyops est albus secundùm dentes*, ubi ly *secundùm dentes* modificat, & limitat absolutam significationem albedinis, ne significet totum Æthyopis corpus esse album. Hæc proprietas est multum affinis Restrictioni.

13. *Alienatio.*

Nota decimotertiò: *Alienatio* ritè describitur, quòd *sit translatio Termini à propria ad impropriam significationem propter additionem alterius Termini*, talis contingit in hac propositione, *duo homines picti veneunt*, ubi ly *homo* extrahitur, & alienatur à sua propria significatione (quæ est repræsentare naturam humanam) ad impropriam; pictus namque homo impropriè dicitur homo. Hæc proprietas videtur quoque esse quædam species Restrictionis.

14. *Et appellatio.*

Nota decimoquartò: *Appellatio* describitur benè, quòd sit *applicatio Formalis significati unius Termini ad significatum alterius*; exemplum habetur in hac propositione; *homo est species*; ubi significatum hujus termini *Species* applicatur alteri termino *homo* taliter, ut per speciem possimus intelligere naturam humanam: Terminus qui applicatur ad significatum alterius dicitur *Terminus appellans*, seu appellativus, & denominans; & ille cui applicatur *Terminus appellatus*, seu denominatus.

QUÆSTIO IV.

De Terminis incomplexis Universalibus.

1. *Dantur 5. termini universales.*

Nota primò: Quinque esse Terminos incomplexos Universales, à Porphyrio fusè explicatos; cum quo, & ego alibi peculiarem ex professo instituam Tractatum: interea eorum notitia Sumulistica Laconicè hic est præmittenda, utpote summè necessaria ad intelligentiam plurium in ipsa Dialectica; maximè de Definitione,

 con-

constante genere & differentia, quæ sunt duo Universalia, item de demonstratione quæ utitur propriò, seu passione pro medio; & sic de alijs. Sunt autem hujusmodi Universalia, Genus, Species, Differentia, Proprium, & Accidens; quæ tum in sensu Metaphysico, tum in sensu Logico possunt considerari.

2. Quid universale Metaphysicum, & Logicum.

Nota secundò: Universale Metaphysicum rectè describitur, quòd *sit ens unum aptum inesse multis*; tale est ly *animal*, quod potest inesse, & inest brutis, ùt Bucephalo, Leoni, &c. & hominibus, ùt Platoni, Plauto, &c. Logicum *est quod potest prædicari de multis*, tale est ly *species*, quod potest prædicari de homine & bruto, dicendo homo est species, brutum est species. De Logicis Universalibus potissimè hìc agitur: quare

3. Quid genus Logicum, & quotuplex.

Nota tertiò: *Genus Logicum* rectè definiri, quòd *sit illud, quod est prædicabile de pluribus specie differentibus in quid* (id est essentialiter) sed incompletè, ùt habet Porphyrius, & communis Philosophorum; tale genus est ly *corpus*, quod est prædicabile de corpore animato, & inanimato; & ly *animal*, quod est prædicabile de homine, & bruto. Genus aliud est generalissimum seu summum & supremum; Genus Medium seu Subalternum; & Genus Infimum. *Genus Generalissimum, summum & supremum est*, quod supra se non habet aliud Genus; tale est substantia, quæ supra se non habet nisi Ens, quod tamen non est Genus, sed transcendens, commune DEO, & creaturis. *Genus Subalternum* est, quod subalternatur Generi Generalissimo, & simul continet sub se etiam aliud Genus; tale est ly *corpus*, quod subalternatur Substantiæ ut Generi Generalissimo, & continet sub se animata, & inanimata ut aliud Genus. *Genus Infimum* est, quod sub se immediatè continet tantùm species, quæ nullatenus possunt esse aliqua Genera; tale est ly *animal*, quòd præcisè species nimirum hominem, & brutum continet, quæ puræ sunt species.

4. Species infima describitur.

Nota quartò: Species Logica infima, seu specialissima benè definitur, quòd *sit illud Universale, quod est prædicabile de pluribus numero differentibus in quid completè*. Ita Porphyrius; tale universale est ly *homo*, qui est prædicabilis de Platone, & Euclide.

5. Differentia.

Nota quintò: *Differentia Logica* benè describitur, quòd *sit illud Universale, quod est prædicabile de pluribus specie, vel numero differentibus in quale quid*, id est per modum partis essentialis qualificantis, seu adjacentis, qualis est ly *rationale* v. g. quæ est pars essentialis hominis, sed qualificans, id est adjacens, seu adjectiva, ad distinctionem generis, quod prædicatur ut pars essentialis substantiva dicendo, homo est animal.

6. Proprium.

Nota sextò: *Proprium Logicum* rectè describitur, quòd *sit illud Universale, quod est prædicabile de pluribus specie, vel numero differentibus in quale accidentale necessariò, & inseparabiliter*: tale est risibilitas, & omnis alia passio Metaphysica identificata entibus. Per ly *quale accidentale* in descriptione intelligitur per modum accidentis Metaphysici, qualiter se habent omnes passiones, & proprietates Metaphysicæ.

7. Et accidens.

Nota septimò: *Accidens Logicum* ritè describitur, quòd *sit Universale quoddam prædicabile de pluribus specie, vel numero differentibus contingenter & separabiliter*; tale est ly *color albus*, qui contingenter prædicatur de homine, & lapide. Ut autem Generum, & Specierum, &c. prædicabilitas eo exactiùs dignoscatur, & instituatur à Logico, seriem Prædicamentorum summariè hic quoque attingere oportet, de quibus infrà completus proponetur Tractatus: quare sit.

QUÆSTIO V.

De Prædicamentis.

1. Descriptio prædicamenti.

Nota primò: Prædicamentũ aptè describi, *est series quædam, & coordinatio summi generis, specierum, & individuorum, quæ sub genere sunt*. Tales series, & Prædicamenta communiter decem statuuntur, ad quæ veluti classes omnes naturæ rerum, & earum gradus reducuntur; & sunt Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio Passio, Ubi, Quando, Situs, & Habitus.

2. Quid, & quotuplex substantia.

Nota secundò: *Substantia* ut est summum genus prædicamenti Substantiæ aptè describitur, quòd *sit Ens reale, absolutum, finitum, completum, per se existens*, id est ineptum inhærere alicui tanquam

quam subjecto; qualiter inhæret accidens physicum v. g. albedo parieti; unde Substantia in hoc opponitur Accidenti, cujus est inhærere. Substantia ùt sic ab Aristotele *cap. de substantia* & Scoto *ibidem quæst. 12.* partitur in Substantiam Primam, & secundam. *Prima* (quæ & singularis appellatur) dicitur illa, quæ nec est in subjecto, id est inhæsivè instar accidentis; nec dicitur de subjecto, id est non prædicatur de subjecto, ut aliquo inferiori; cùm sit individua; talis substantia est *Plato; & hic homo.* Substantia Secunda dicitur, quæ non est in subjecto modo jam explicato, de subjecto tamen dicitur; talis est omnis natura communis generica, & specifica, v. g. animal, homo, &c. quæ quidem non inhærent accidentaliter; prædicantur tamen de suis inferioribus.

3. Quid, & quotuplex quantitas.

Nota tertiò: Quantitas molis, ut est quoddam summum genus Prædicamentale rectè describitur, *est Ens reale absolutum accidentale reddens rem, quam afficit, extensam in ordine ad locum, vel tempus;* talis est linea palmaris, cubitus, & similes, quæ reddunt rem, quam afficiunt, v. g. lignū, vel lapidem, longum, vel brevem. Quantitas ùt sic dividitur secundùm Aristotelem *cap. 6. Prædicam.* & Scotum ibidem *quæst. 16.* in Continuam; & Discretam; *Continua* dicitur illa, cujus partes copulantur termino communi, id est aliquo indivisibili copulativo; talis est linea palmaris, cujus partes conjunguntur & uniuntur aliquo puncto indivisibili, in illa sententia, quæ admittit puncta copulantia; de qua uberius in Physica. *Discreta* dicitur illa, cujus partes non copulantur aliquo termino communi; talis est numerus trium stellarum; numerus duodecim Apostolorum, &c. Quantitas Continua rursus partitur in Permanentem, & Successivam. *Quantitas Continua permanens* est, quæ habet suas partes simul existentes; talis est *ulna*, cujus partes simul hoc tempore existunt. *Successiva* est, cujus partes non existunt simul eodem tempore, sed continuò fluunt, ita ut una alteri succedat; talis est tempus, & motus; nam in tempore una hora alteri succedit. *Quantitas permanens* rursus subdividitur in Lineam; Superficiem; & Corpus. *Linea* est quantitas faciens rem extensam solùm secundùm longitudinem. *Superficies* est quantitas faciens rem extensam secundùm longitudinē & latitudinē. *Corpus* est quantitas faciens rem extensam secundùm longitudinem, latitudinem, & profunditatem.

4. Definitio, & species qualitatis.

Nota quartò: Qualitas, ùt est genus quoddam supremum prædicamentale, ritè describitur sic, *est ens reale absolutum accidentale reddens rem, quam afficit qualem.* v. g. album, calidam, &c. Ejus classes secundùm Aristotelem quatuor ponuntur; Prima est Habitus, & Dispositio; Secunda Potentia, & Impotentia naturalis; Tertia Passio, & Impassibilis qualitas; Quarta Forma, & Figura. ad quas omnes species qualitatis reducuntur. Unde

5. Contenta sub habitu, & dispositione.

Nota quintò: In prima classe sub *Habitu* (qui est qualitas adventitia ita afficiens rem, ut sit difficulter mobilis ab ea) collocantur omnes habitus acquisiti, ita radicati ut difficulter avelli possint à suo subjecto; cujusmodi sunt habitus omnes scientiarum, & virtutum moralium in viris exercitatis, & diu practicatis in studijs, & virtutibus. Sub *Dispositione* verò (quæ est qualitas adventitia ita afficiens rem, ut sit ab eo de facili mobilis) ponuntur omnia illa accidentia adventitia, quæ faciliter avelluntur ab subjecto, & obiter illud disponunt; qualia sunt varij habitus in juvenibus; species impressæ intelligibiles, & phantasticæ, non fortiter radicatæ; si verò sint fortiter radicatæ, ad Habitum referuntur.

6. Contenta sub potentia & impotentia.

Nota sextò: Quòd in secunda classe sub *Potentia naturali* (quæ est qualitas congenita facilitans potentiam ad operandum) comprehendantur omnes accidentales congenitæ facultates, secundùm quas aliqua substantia est facilis, & expedita ad aliquod exercitium seu operationem; tales sunt facilitas in Platone ad scribendum; facilitas in Socrate ad currendum, & summatiè omnes agilitates, & aptitudines naturales tam hominum, quàm jumentorum. Sub *Impotentia naturali* (quæ est qualitas reddens potentiam imbecillem, ac difficilem ad operandum) statuuntur omnes facultates accidentariæ exiguæ agilitatis, ac modicæ activitatis; talis est imbecillitas Planti ad speculandum & inveniendū nova; Imbecillitas Socratis ad scribendū vel loquendū: & omnes ineptitudines naturales, hominum, & brutorum. Hæc classis differt à priori, quòd agat de qualitatibus congenitis; illa verò de adventitijs, & acquisitis.

7. Contenta sub passione, & passibili qualitate.

Nota septimò: Quòd in tertia classe sub *Passione* (quæ est qualitas adventitia modico tempore afficiens subjectum) disponantur omnes qualitates adventitiæ, ex motu sensûs provenientes, & modicè durantes; talis est rubor in vultu, ortus ex verecundia. Sub *Passibili qualitate* (quæ est accidens adventitium diu durans in subjecto) reponuntur omnia illa accidentia, quæ aliqualiter radicantur, & notabili tempore perseverant in subjecto; talia sunt omnia objecta sensuū externorū, v. g. lux, lumen, colores, calor, frigus, odores, &c. nata immutare sensus, ac in eis producere species impressas.

8. Sub Forma & Figura.

Nota octavò: Quòd in quarta classe sub *Forma* (quæ est secundùm Scotum *qua:36. prædicamentali* qualitas ex naturali corporis delineatione resultans reddens rem speciosam, vel difformē) complectantur omnes qualitates quantitatem remminatam consequentes, & certas dispositiones inducentes in subjecto, à quibus illud dicitur pulchrum, turpe, &c. tales sunt omnes symetriæ naturales corporum, speciositatem & difformitatem inducentes. Sub *Figura* (quæ est qualitas ex quantitate absolutè sumpta resultans, & rem sic vel sic quantam efficiens) collocantur omnes figuræ artificales, & naturales, seu dispositiones quantitativæ rerum, à quibus dicuntur sic vel sic figuratæ, v. g. triangulatæ quadrangulatæ, circulatæ, &c. Forma semper supponit Figuram; imò secundùm plures DD. asseruntur eædem species qualitatis. Hæc de prædicamento Qualitatis: citra alia.

9. Quid sit relatio ut sic, realis, & rationis.

Nota nonò: *Relationem*, ut est latissimè patens, rectè à Scoto *quæst: 25. Prædicam.* describi, quòd *sit habitudo unius ad aliud*, id est quòd sit accidens, quô una res aliam respicit; talis est *Paternitas* v. g. quâ unus homo pater respicit alium hominem, scilicet, Filium. Relatio ut sic varias sub se continet species; puta Realem; & Rationis. *Realis* est habitudo unius entis realis ad aliud independenter ab omni opere intellectûs; talis est similitudo inter duos Æthiopes. *Rationis* est, quæ fit dependenter ab opere intellectûs; talis est ratio generis, quæ per negotiationem intellectûs consurgit inter naturam communem, & ejus inferiora.

10. Quid prædicamentalis, & transcendentalis.

Nota decimò: Relationem Realem aliam esse Prædicamentalem, aliam Transcendentalem. *Prædicamentalis*, ut constituit supremum quoddam genus prædicamenti, bene describitur, quòd sit ens reale respectivum dicens ordinem realem unius ad aliud, distinctum ab extremis; talis est similitudo inter duo alba; dissimilitudo inter Æthiopem, & hominem album, quæ sunt separabiles ab extremis, &c. *Transcendentalis* est ens reale respectivum dicens ordinem realem identificatum suo fundamento, talis est dependentia Creaturæ ad DEUM, quæ identificatur omni creaturæ tanquam suo fundamento. Hæc dicitur Transcendentalis; quia divagatur per omnia prædicamenta.

11. Quid intrinsecùs, & extrinsecùs adveniens.

Nota undecimò: Relatio Prædicamentalis subdividitur in Relationem Intrinsecùs advenientem; & Extrinsecùs advenientem. *Intrinsecùs adveniens*, quæ speciale prædicamentum quartum constituit, dicitur illa, quæ positis extremis, fundamento scilicet, & termino necessariò resultat; talis est *Paternitas*, & *Filiatio*, quæ posito Patre, & Filio necessariò emergunt. *Extrinsecùs adveniens* est quæ positis extremis non necessariò emergit, sed postulat præterea aliquam aliam conditionem; talis est actio combustiva, quæ posito igne, & paleâ non exurgit, nisi accedat applicatio ignis ad paleam ut conditio. Relationes extrinsecùs advenientes recensentur sequentes, Actio, Passio, Ubi, Situs, Quando, & Habitus.

12. Mutua, & non mutua.

Nota duodecimò; Relationes rursus alias esse Mutuas; alias non Mutuas. *Mutua* est cui correspondet in altero extremo alia correlatio; Talis est similitudo inter duos Æthiopes. *Non Mutua* est è contra; talis censetur relatio cognoscentis ad cognitum. Iterum ex Mutuis alia est relatio *Æquiparantiæ*, quæ habet sibi correspondentem in altero extremo correlationem ejusdem rationis; talis est æqualitas inter duos cubitus, vel duas ulnas. Et *Disquiparantiæ*, quæ habet sibi correspondentem relationem diversæ rationis; talis est Paternitas, cui correspondet Filiatio. Circa Prædicamenta Relationum extrinsecùs advenientium.

13. Quid, & quotuplex sit actio.

Nota decimotertiò; Actio ut constituit speciale quintum prædicamentum ritè describitur, *est relatio extrinsecùs adveniens transmutantis ad transmutatum*. Ut habet Scotus *4. dist. quæst. 1.* talis est inter formam quamlibet substantialem, & accidentalem, quæ transmutant subjecta; v. g. inter formam ignis transmutantis lignum in cineres; & inter albedinem transmutantem parietem nigrū in

in album. Actio alia est Permanens; alia Transiens, ut habet Scotus *Quodlib. 13. Permanens* est, quæ est ad terminũ in ipso agente manentem; talis est actio, quâ intellectus se immutat ad aliquam intellectionem remanentem in ipso intellectu. *Transiens* est, quæ est ad terminum extra ipsum agens transeuntem; talis est calefactio, quâ ignis transmutat non se, sed manum v. g. applicatam.

14. *Quid passio.*

Nota decimoquartò: *Passio*, ut constituit speciale prædicamentum bene describitur, quòd *sit relatio extrinsecùs adveniens transmutati ad transmutans*; ùt colligitur ex Scoto *citat.* talis est omnis respectus resultans in subjecto quovis per actionem transmutato v. g. qui resultat in ligno, dum ignis illud transmutat in cineres. Passionis species sunt passio Immanens, & Transiens, quæ opposito modo Actioni Immanenti, & Transeunti explicantur.

15. *Quid Ubi, & quæ ejus species.*

Nota decimòquintò: *Ubi*, ut facit peculiare prædicamentũ rectè describitur, quòd *sit relatio extrinsecùs adveniens importans respectum præsentiæ, vel rei locatæ in loco*; talis est præsentia Platonis in sua Academia; Francisci in cella, &c. Ubi aliud est Definitivum; aliud Circumscriptivum. *Ubi Definitivum* (quod propriè rebus immaterialibus convenit) est illud quô res aliqua est in loco sine ulla commensuratione; sed tota in toto loco,& tota in qualibet parte loci;tale ubi habet Angelus in cælo; anima in corpore humano. *Circumscriptivum* (quod propriè convenit rebus materialibus) est illud, quô res est in loco cum aliqua commensuratione rei locatæ ad locum; tale habet corpus Platonis existens in sua Academia; Franciscus in sua cella. Ubi Circumscriptivum aliud est activum & aliud Passivum. *Primum* est illa relatio, quæ consurgit ex applicatione loci A. v. g. ad aliquod corpus locatum. *Secundum* est illa relatio, quæ consurgit ex applicatione alicujus corporis locati ad locum A.

16. *Quando & ejus inferiora.*

Nota decimosextò: *Quando*, ut constituit speciale prædicamentum bene describitur, *est relatio extrinsecùs adveniens coëxistentiæ, seu præsentiæ rei mensuratæ ad tempus mensurans*; vel ècontra: talis est coëxistentia Platonis cum hora prima diei. Estq; duplex; puta Activum; & Passivum. *Quando Activum* est illa relatio, quæ exurgit ex applicatione temporis ad rem temporaneam mensuratam. *Quando Passivum* est relatio illa, quæ exurgit ex applicatione rei temporaneæ mensuratæ ad tempus, quod est mensura rerum transeuntium; & est ipse motus cæli quotidianus ab oriente in occidentem, mensurans durationes rerum sublunarium generabilium, & corruptibilium.

17. *Situs Definitio.*

Nota decimoseptimò: *Situs*, quatenus est peculiare prædicamentum, bene describitur, *est relatio extrinsecùs adveniens, secundùm quam partes alicujus corporis dicùtur taliter, vel taliter disposita in loco*, v. g. stare, cubare, sedere. Hoc prædicamentum differentiatur ab Ubi, cui multùm videtur assimilari; quòd *Ubi* sit respectus resultans in corpore locato ex circumscriptione loci ita contingentis, ut una pars locati correspondeat uni parti loci: *Situs* autem est respectus per quem una pars locati non correspondet alteri parti loci, sed alteri parti corporis locati, unde ipsæ partes locati per hoc prædicamentum ad se invicem dicunt dispositionem talem vel talem.

18. *Habitus descriptio.*

Nota decimooctavò: *Habitus* ut constituit speciale prædicamentum, *est relatio extrinsecùs adveniens resultans in corpore aliquo vestito ex adjacentia vestimenti, vel alterius formæ*; talis habetur per esse loricatũ,per esse purpuratũ,&c. Ad hoc prædicamentũ secundùm P. Bassoliũ 4. *dist. 12. q. 1. arti 1.* reducitur omnis unio absoluti ad absolutum; item omnis respectus subjecti ad formam. Hujus species sunt Habitus Activus; & Passivus; *Prior* subjectatur in corpore, & terminatur ad vestem, vel aliam formam. *Posterior* verò subjectatur in veste vel alia forma, & terminatur ad corpus.

DI-

DISTINCTIO II.

De Termino Complexo; ejúſque multiplici diviſione in varias Propoſitiones.

PRÆNOTATIO.

POſteaquam priori quæſtione Summuliſticè de terminis incomplexis actum eſt; recto ordine ſubnectitur hæc Diſtinctio, tractans de Terminis Complexis, utpote reſultantibus ex incomplexis tanquam ex partibus: Horum conſiderationem diffusè proſequitur Petrus Hiſpanus, & alij Summuliſtæ; Ego pro inſtituto meo mediâ viâ incedam, ita ut iſta Iſagoge Dialectica, nec nimis redundans, nec nimis laconica evadat. Unde ſit

QUÆSTIO I.

De Partibus Termini Complexi; Nomine ſcilicet; & Verbo; ac de Oratione Dialectica.

1. Definitio Nominis Dialectici.

NOtà primò: Terminum Complexū, ut priori *diſt. 1. quæſt. 1.* notavi generice ſumi pro omni dialectico coacervato ex pluribus vocibus: antonomaſticè autem à Summuliſtis uſurpatur pro quavis propoſitione: quæ ſecundùm Scotum *quæſt. 1. primi Perih.* & communem Dialecticorum coaleſcit ex Nomine, & Verbo tanquam ſuis partibus, & Oratione tanquam genere: circa naturam Nominis.

Dico primò: rectè definitur NomenDialecticū, quòd *ſit vox ſignificativa ad placitū ſine tempore, cujus nulla pars ſeparata ſignificat finita, & recta.* Ita Ariſt. *1. Perih. cap. 2.* Scotus ibidem *q. 4.* & communis Dialecticorum. Tale nomen eſt ly *homo, lapis, &c.*

Probatur: Hæc definitio conſtat genere, & differentia, reliquiſque conditionibus rectæ definitionis: Ergo ea rectè definitur Nomen Dialecticum. Ly *vox* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia: intelligitur autem hic nomine *vocis*, vox articulata, v. g. *homo, lapis, &c.* dicitur vox *ſignificativa*; ut à ratione Nominis Dialectici ſecludantur omnes voces illæ, quæ nil ſignificant formaliter, cujuſmodi ſunt *ſcindapſes, ſloſtro, buff, baff*, &c. dicitur *ad placitum*, id eſt ex hominum beneplacito conſtituta, ut reijciantur voces naturales, v.g. fletus oaturaliter ſequens naturam hominis: dicitur *ſine tempore*; ad differentiā Verbi Dialectici, quod ſignificat cum aliqua temporis differentia, puta præſentis, præteriti, vel futuri: additur *cujus nulla pars ſeparata ſignificat*; ad differentiam Orationis Dialecticæ, cujus partes ſeparatæ ſignificant aliquid; ut patet in hac Oratione, *homo eſt animal*. Apponitur *finita* ad deſignandum, quòd Nomen ſit vox talis, quæ non afficitur aliqua negatione præſuppoſita infinitante, uti contingit in hac *non homo*, quod ſimpliciter non eſt Nomen Dialecticum, ſed cum additn *infinitum*; eò quòd nihil determinatum, & certum ſignificet, & potiùs quid non ſit homo, quàm, quid ſit, explicat. Et tandem ly *recta* innuit nomen perfectum debere eſſe in caſu recto, & non in obliquo, nam in caſu obliquo nō habetur perfecta ſignificatio, v.g. ſi dicatur *hominis eſt*

Ob-

Objicies contra conclusionem cum Hurtado, Ariaga, & alijs RR. Plura dantur Nomina Dialectica, de quibus quædam particulæ definitionis datæ non verificantur; Ergo non est bona. Probat. Ant. *Primò* de Nominibus compositis cujusmodi sunt Respublica, Senatusconsultum, Prorex, &c. non verificatur ly *cujus nulla pars separata significat*; cùm partes separatæ præfatorum Nominum significent. *Secundò* de his, & similibus Nominibus, annus, dies, mensis, cæna, non verificatur illa particula definitionis *sine tempore*: quia hæc nomina significant certum tempus: Ergo plura dantur Nomina Dialectica, de quibus quædam particulæ definitionis non verificantur.

2. Recentiores refelluntur circa nominis definitionem.

Respondeo Neg. Ant. & ad Probat. ejusdem quo *ad primum* dico; partes horum *Nominum*, *Respublica*, *Senatusconsultum*, *& Prorex* significare quidem aliquid separatim; non tamen illud idem, quod significant ut compositæ; sed aliud: illa autem particula definitionis loquitur de significatione eadem in statu separationis, & compositionis. *Quo ad secundum* ejusdem Ant. dico; illa Nomina *annus*, *mensis*, *& cæna* non significare cum tempore, id est aliquam temporis differentiam, præsentis, præteriti, vel futuri importari, quod petit illa particula definitionis *cum tempore*; sed vel significant duntaxat tempus absolutè, ut ly *annus*, *mensis*, *& dies*; vel adsignificant tempus, ut *cæna*, quæ adsignificat tempus vespertinum, quo solet fieri cæna, absque tamen determinata temporis differentia primaria. Circa essentiam verbi

3. Verbum Dialecticum definitur.

Dico secundò: Verbum Dialecticum benè definitur, *est vox significativa ad placitum cum tempore, cujus nulla pars separata significat, finita, & recta; & est semper eorumque de alijs prædicantur, nota*. Ita habetur in Arist. *1. de interpret. cap. 2.* Scoto ibidem, & comm. DD. tale verbum est ly *sum*.

Probat; Hæc quóque definitio constat omnibus requisitis ad bonam descriptionem: Ergo eâ bene definitur Verbum. Illæ particulæ hujus definitionis *est vox significativa ad placitum*; *cujus nulla pars separata significat*, *finita*, *& recta* habent eundem sensum & explicationem, sicut in priori definitione Nominis. Ly autem *cum tempore*, est differentia Verbi Dialectici à Nomine; & indicat Verbum Dialecticum importare certam temporis differentiam; ly *recta* excludit modos cæteros præter Indicativum; ly *& est eorum, quæ de alijs prædicantur, nota*; denotat Verbum esse notam connexionis Prædicati cum subjecto, v.g. in hac propositione; *Plato est vivens*, ly *est* denotat vitã connecti cum Platone.

4. Obviatur cuidam objectio.

Objicies contra istam conclusionem secundam: dantur quædam vera Verba Dialectica, quorũ partes separatæ aliquid significant, v. g. circumeo, circumdo, &c. Ergo malè additur in definitione Verbi Nominis illa particula, *cujus nulla pars separata significat*. Respondeo Disting: Ant: quorum partes separatæ significant illud idẽ, quod in compositione Nego Ant. quorum partes separatæ significant aliquid aliud, quàm in compositione Conc. Ant. & Neg. Conseq. Itáque quando dissolvuntur à sua compositione illa verba *circumda*, *& circumeo*, aliam induunt significationem; uti patet ex se; quàm quando sunt composita.

5. Verbum aliud est substantivũ aliud adjectivum.

Nota secundò: Verbum Dialecticum *primò* dividi in Substantivum, & Adjectivum. *Substantivum* est, quod significat aliquod per se stans, & existens; & est unicum Verbum *Sum* apud Dialecticos, quod substat omnibus prædicatis, adeò ut in Verbis adjectivis quoque subaudiatur, v. g. dum dicitur *Plato studet*, id est Plato est studens. *Adjectivum* est quod significat prædicatum aliquod rei convenire per modum formæ; tale est ly *amo*, quando significat formam amoris mihi convenire. *Secundò* dividitur in Impersonale, ut *tadet*; & Personale, ut *audio*. Alias divisiones ejusdem vide in Grammatica. Circa naturam Orationis Dialecticæ.

6. Quid Oratio Dialectica.

Dico tertiò: Rectè definitur Oratio Dialectica, quòd *sit vox significativa ad placitum, cujus pars aliqua separata significat, ut dictio; & non ut affirmatio, vel negatio*. Ita Philosophus *1. de interpret. cap. 4.* Doctor Subtilis ibidem, & comm. DD. Talis est hæc propositio, *Plato est animal*.

Probat. hæc definitio est formata secundũ omnes leges Dialecticas rectæ definitionis: ergo eâ rectè definitur Oratio Dialectica. Illi termini *est vox significativa ad placitum*, in quibus hæc definitio coincidit cum definitione Nominis, accipiuntur, & explicantur eodẽ modo proportione servata, sicut suprà in definitione Nominis: additur ly *cujus pars aliqua separata significat*

gnificat, ad distinctionem Orationis à Nomine, & Verbo; & ut detur intelligi, quòd si partes Orationis dissolvantur à sua compositione, habeant eandem significationem, quam in compositione; sic quando dissolvitur hæc Oratio perfecta *homo est animal*, tam ly *homo* significat hominem, quàm ly *animal* animalitatem. Insinuatur etiam hâc particulâ, quòd non omnes partes Orationis debeant esse significativæ dum separantur; sed sufficit quòd aliquæ sint significativæ; aliæ verò consignificativæ, ùt sunt omnia Syncategoremata. Apponitur in definitione ly *ut dictio; non ut affirmatio, vel negatio*, ad denotandum, quòd non sit necesse, ut pars Orationis separata à compositione priori Dialecticæ significet per modum propositionis affirmativæ, vel negativæ; sed quòd sufficiat, ut significet per modum termini, seu dictionis simplicis, ut significat in mox allato exemplo, ly *homo*, & ly *animal* separatim.

7. *Oratio perfecta, & imperfecta.*

Nota tertiò: Orationem primò dividi in Perfectam; & Imperfectam. *Oratio Perfecta* est, quæ in audiente illam generat perfectum sensum; talis est hæc, *Plato est animal rationale*. *Imperfecta* est, quæ non generat perfectum sensum in audiente, sed eum relinquit suspensum; ùt si dicatur, *proh facinus! & quos ego!*

8. *Enunciativa, & non enunciativa.*

Nota quartò: Oratio Perfecta subdividitur in Enunciativã, & nõ Enunciativã. *Oratio Enunciativa* est, in qua aliquid de aliquo determinatè enunciatur; tales sunt iste *Plato est homo*; & *homo non est lapis*. *Non Enunciativa* est, in qua nihil determinatè enunciatur; tales sunt istæ *utinam homines saperent!* Et *fac hoc*; & universaliter omnes, quæ perficiuntur per modos optativos; imperativos, vocativos, & interrogativos. *Oratio Enunciativa* tanquam genus distribuitur in varias species propositionum; de quibus in sequentibus Quæstionibus.

QUÆSTIO II.

De natura Propositionis ut sic; ejúsque materia, forma, quantitate, & qualitate.

1. *Definitio propositionis.*

Dico primò: Propositio Dialectica ùt sic essentialiter, & exactè definitur, quòd *sit Oratio constans subjectô prædicatô, & copulâ*. Talis est hæc: *omnis homo est animal*.

Probat. hæc definitio confecta est secundùm omnes conditiones definitionis essentialis, & exactæ; Ergo eâ essentialiter definitur Propositio Dialectica ùt sic. Probat. Ant. *primò*, hæc definitio est convertibilis cum suo definito, ita nimirũ ut ab uno ad aliud valeat consequentia affirmativè; & negativè dicendo v.g. Propositio est: Ergo est Oratio constans subjectô, copulâ & prædicatô: item non est Propositio: Ergo non est Oratio constans subjectô copulâ & prædicatô. *Secundò*, hæc definitio convenit omni Propositioni Dialecticæ in particulari secundùm se totam, & quidem illi soli; nam de omni propositione, & quidem de ea sola, verum est dicere, quòd sit oratio quædam constans subjectô, prædicatô & copulâ. *Tertiò* hæc definitio est clarior suo definito; quia clarè explicat naturam Propositionis Dialecticæ ùt sic, aliàs obscuram. *Quartò*, hæc definitio datur per genus proximum; quia ly *Oratio* est genus, quô proximè constat propositio, ùt parte essentiali constitutiva: Ergo hæc definitio est confecta secundùm omnes conditiones probæ definitionis essentialis.

2. *Textus Aristotelis glossatur.*

Objicies. Aristoteles *1. Prior. 1. cap.* definit Propositionem ùt sic, quòd *sit oratio aliquid affirmans, vel negans*. Et *1. Perih. cap. 4.* quòd *sit oratio verum, vel falsum significans*: Ergo definitio suprà data non est astruenda. Respondeo Neg. Conseq. nam Aristoteles locis allegatis non dedit definitiones essentiales Propositionis ùt sic; non *primam*: quia hæc non verificatur secundùm se totam de omni Propositione in particulari; nam Propositio aliqua particularis affirmativa nõ est oratio aliquid affirmans, vel negans: præterea essentialis definitio ùt sic, seu genetica non debet dari per suas species; sicut datur hæc per affirmativam, & negativam orationem, quæ sunt species Propositionis ùt sic. Nec etiam *secunda* est essentialis; quia datur per veritatem, & falsitatem, quæ sunt proprietates, & passiones Propositionis; sicut par, & impar

sunt

sunt passiones numeri, ùt habet Scotus *quæst. 1. prædicam: ad finem*; imo sunt accidentia ab extrinseco advenientia; uti patet ex Aristotele *in prædicam. cap. de Substantia*, ubi docet, Orationem posse de vera fieri falsam; quod arguit veritatem esse accidens ab extrinseco accrescens Propositioni; Ergo per veritatem, & falsitatem essentialiter non definitur Propositio ùt sic. Itáque Philosophus in locis allegatis dedit tantùm descriptiones quasdam Propositionis ùt sic.

3. *Elucidatur definitio propositionis.*

Nota deinde primò: Explicationem singularum particularum definitionis datæ: dicitur *Oratio*, ut assignetur genus definitionis hujus: dicitur *Oratio constans subjectô, prædicatô, & copulâ*: ut assignetur differentia Propositionis à quibusdam Orationibus, quæ non necessariò constant, subjectô, prædicatô, & copulâ. Ly *Subjectum* est illud, de quo in propositione Dialectica aliquid dicitur; unde dicitur subjici prædicato. Ly *prædicatum* est illud, quod de subjecto dicitur, seu prædicatur. *Copula* est verbum illud, quod copulat, seu unit prædicatum cum subjecto, & facit unum ens compositum Logicum v. g. in hac propositione *Plato est animal*, ly *Plato* est subjectum; ly *animal* est prædicatum: & ly *est* fungitur munere *Copulæ*.

4. *Quid sit propositionis materia, forma, quantitas, & qualitas.*

Nota secundò: Hæc duo *Propositio, & Enunciatio* plerumque sumi pro synonimis; ita ut penes diversum duntaxat respectum differentientur: nam eadem Oratio Perfecta quatenus solitariè enunciatur dicitur *Enunciatio*; quatenus verò in consortio unius, vel duarum Orationum in aliquo argumento Dialectico adhibetur, dicitur *Propositio*.

Nota tertiò: Quamlibet propositionem Dialecticam habere suam materiam, formam, quantitatem, & qualitatem, metaphorâ translatâ ex *Physicis*; *Materia* Propositionis dicuntur termini illi, ex quibus componitur Propositio. *Forma* verò ipsa copula causans ipsorum terminorum inter se connectionem secundùm affirmationem, vel negationem, & quandam metaphoricam informationẽ & actuationẽ quam exercet beneficiò intellectûs operantis seu componentis: v. g. in hac propositione *Plato est animal*, ly *Plato*, & *animal* sunt Materia; ly *est* est Copula uniens illos duos terminos per affirmationem, ita ut unus de alio prædicetur.

Quantitas Propositionis est universalitas, vel particularitas propositionis, à quâ habet propositio, quòd vel ejus subjectum principale in significando extendatur; uti fit in hac propositione, *omnis homo studet*; vel quòd coarctetur, uti fit in ista Enunciatione, *aliquis homo studet*. *Qualitas* propositionis est ejus affirmatio, vel negatio; item veritas, vel falsitas. Prima qualitas vocatur *qualitas intrinseca*; eò quòd affirmatio, & negatio videantur esse differentiæ essentiales propositionis: Secunda dicitur *extrinseca*. Sciscitanti itáque quanta est propositio? respondendũ erit, est universalis; vel particularis: sciscitanti verò qualis est? respondendum erit, est affirmativa, vel negativa; est vera, vel falsa.

5. *Quid materia necessaria, contingens, & impossibilis.*

Nota quartò: Materiam propositionis esse in triplici differentia; alia namque est Necessaria; alia Contingens; alia Impossibilis. *Materia Necessaria* seu naturalis habetur, quando prædicatum necessariò convenit subjecto; talis est in hac propositione, *homo est animal*. *Contingens* habetur, quando prædicatum contingenter duntaxat accidit subjecto; talis est in hac propositione, *Plato est Musicus*. *Impossibilis* habetur, quando prædicatum est repugnans subjecto, & tamen de eo enunciatur; talis est in hac, *Plato est lepus*.

QUÆSTIO III.

De varia divisione Propositionis Dialecticæ ut sic.

1. *Propositionis divisio in affirmativam, & negativam.*

Nota primò: Propositionem Dialecticam ut sic primò tanquam in suas species dividi in Affirmativam, & Negativam. *Affirmativa* est oratio enunciativa, in qua de aliquo subjecto affirmatur aliquod prædicatum; talis est hæc, *Plato est animal*. *Negativa* est oratio enunciativa, in qua de aliquo subjecto negatur aliquod prædicatum; talis est hæc, *Plato non est Leo*.

2. *In Categoricam, & hypotheticam.*

Nota secundò: Propositionem rursus tanquam in partes secari in Categoricam seu simplicem; & Hypotheticam seu compositam. *Categorica est* oratio enun-

enunciativa ex unico ſubjecto, unico prædicato, & unica copula coaleſcens; talis eſt hæc: *homo eſt animal.* *Hypothetica* eſt oratio enunciativa coaleſcens ex duabus propoſitionibus categoricis ſeu ſimplicibus; talis eſt hæc, *Frater Minor erit ſanctiſſimus, ſi omnia præcepta ſuæ Regula obſervaverit.*

3. *In abſolutam & Modalem.*

Nota tertiò: Categorica Propoſitio ſubdividitur in Abſolutam; & Modalem. *Abſoluta*, quæ & *de ineſſe* vocatur, eſt oratio enunciativa, in qua prædicatum verificatur de ſubjecto abſque ullo addito; talis eſt hæc *Plato eſt homo.* Modalis eſt oratio enunciativa, in qua locò prædicati ſtatuitur aliquis ex iſtis quatuor modis, *contingens, neceſſe, poſſibilè, impoſſibilè*; tales ſunt hæ: *Platonem eſſe Muſicum eſt contingens, Platonem eſſe animal eſt neceſſè, Platonem fore magnum Philoſophum eſt poſſibilè; Platonem eſſe lapidem eſt impoſſibilè.*

4. *In copulativâ, cauſalem, conditionalē, & disjunctivam.*

Nota quartò: Hypothetica propoſitio ſubdividitur in Copulativam, Cauſalem, Conditionalem, & Disjunctivam. *Copulativa* eſt illa, quæ coaleſcit ex duabus categoricis, unitis aliquâ conjunctivâ, talis eſt hæc, *Plato fuit magnus Philoſophus, & fuit magnus Mathematicus.* *Cauſalis* ſeu rationalis eſt, illa oratio, quæ conſtat particulâ cauſali; talis eſt hæc, *quia Plato diſputat, movet labia.* *Conditionalis* eſt, quæ conſtat particula conditionali; talis eſt hæc, *ſi Franciſcus finaliter gratiam DEI conſervabit, ſalvabitur.* *Disjunctiva* eſt, quæ conſtat particulâ disjungente; talis eſt hæc, *Juſtus ſalvabitur, aut Scriptura falſum dicit.*

5. *In neceſſariā, contingentem, & impoſſibilē.*

Nota quintò: Propoſitio ratione materiæ diſtribuitur in Neceſſariam; Contingentem; & Impoſſibilem. *Neceſſaria* eſt, in qua prædicatum dicit neceſſariam convenientiam cum ſubjecto; talis eſt hæc, *Plato eſt rationalis.* *Contingens* eſt, in qua prædicatum contingentem duntaxat convenientiam cum ſubjecto dicit; talis eſt hæc, *Plato eſt magnus Philoſophus.* *Impoſſibilis eſt*, in qua prædicatum repugnat ſubjecto; talis eſt hæc, *Plato eſt lapis.*

6. *In univerſalē, particularem, indefinitā, & ſingularem.*

Nota ſextò: Propoſitio ratione quantitatis ſecernitur in Univerſalē; Particularem; Indefinitam; & Singularem. *Univerſalis* eſt, cujus ſubjectum afficitur ſigno aliquo univerſali; talis eſt hæc, *omnis homo eſt animal rationale.* *Particularis* eſt illa, cujus ſubjectum afficitur ſigno particulari; talis eſt hæc, aliquis homo eſt doctus. *Indefinita* eſt illa, cujus quidem ſubjectum eſt terminus communis; nullô tamen ſignô afficitur; talis eſt hæc, *homo eſt rationalis.* *Singularis* eſt illa, cujus ſubjectum eſt ſingulare; talis eſt, *Plato eſt Philoſophus.*

7. *In veram, & falſam.*

Nota ſeptimò, Ratione qualitatis Propoſitio partitur in Affirmativam, & Negativam; quas jam ſuprà *notabili* 1. explicui. Et in veram, ac falſam. *Vera* eſt illa, quæ conformatur rei per eam ſignificatæ; talis eſt hæc, *homo eſt animal rationale.* *Falſa* eſt ècontra illa, quæ difformatur rei per eam ſignificatæ; talis eſt hæc, *Plato eſt lapis.*

8. *In finitam, & infinitam.*

Nota octavò. Propoſitionem præterea aliam eſſe Finitam; aliam Infinitam. *Prima* eſt, cujus extremum non afficitur aliqua negatione; talis eſt hæc, *Plato eſt rationalis.* *Secunda* eſt, cujus extremum aliquod afficitur negatione; talis eſt iſta, *aliquis homo non eſt doctus.*

9. *In ſolubilē, inſolubilem, & exponibilem.*

Nota nonò: Rurſus aliam eſſe Solubilem; aliam Inſolubilem. *Solubilis* eſt, quæ facili negotio ſolvi poteſt: Et hæc vel eſt *Expoſita*, cujus termini ſunt clari; vel *Exponibilis*, cujus termini egent explanatione. *Inſolubilis* eſt, quæ maxima difficultate ſolvitur.

10. *De ſecundo, & tertio adjacente.*

Nota decimò: Propoſitionem iterum dividi in eam, quæ eſt de ſecundo adjacente; & in eam, quæ eſt de tertio adjacente. *Propoſitio de ſecundo adjacente* vocatur ea, in qua ponitur ſolum ſubjectum, & verbum aliquod; talis eſt hæc, *Plato ſtudet*, in cujus verbo implicitè continetur prædicatum, & debet ſic explicari, ſeu reſolvi, *Plato eſt ſtudens.* *Propoſitio de tertio adjacente* eſt, in qua omnia tria explicatè ponuntur, ſubjectū ſcilicet, copula, & prædicatum; uti in citata fit, *Plato eſt ſtudens.*

Nota undecimò: Præterea Propoſitiones quædā ſunt Æquipollentes, quædā Convertibiles, quædam tandem Excluſivæ, Exceptivæ, & Reduplicativæ, de quibus infrà ſpeciales proponam quæſtiones.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De Proprietatibus Propositionis; & primò de Oppositione simplicium propositionum.

1. *Quæ sint proprietates propositionis.*

Nota primò: Quemadmodum Termini incomplexi, *ut dist. 1. q. 1. notabili 1.* dixi, habent peculiares proprietates, & affectus ex habitudine, quam unus terminus in propositione dicit ad alterum, ùt rectè observat noster P. Lamazares; ita quoque termini complexi, seu propositiones Dialecticæ suas habent proprietates, resultantes ex comparatione unius propositionis ad alteram: hujusmodi sunt Oppositio, Æquipollentia, Conversio, Modificatio, Expositio, Veritas, aut Falsitas, variè afficientes, & qualificantes propositiones; quæ in sequentibus explicabuntur. Unde

2. *Definitio Oppositionis.*

Nota secundò: Oppositionem ùt sic Propositionum Categoricarum Philosophus *1. Perich. cap. 4.* describit, quòd *sit affirmatio, & negatio ejusdem de eodem non æquivocè.* Sed clariùs ad propositum.

Dico primò: Oppositio ùt sic propositionum simplicium rectè definitur, *est repugnantia duarum propositionum affirmativæ scilicet, & negativæ, habentium idem prædicatum, & idem subjectum; sed diversam vel qualitatem, vel quantitatem simul.* Exempla primi sunt hæc: omnis homo est doctus; aliquis homo non est doctus: exempla secundi; omnis homo est Musicus; aliquis homo non est Musicus.

Probat: hæc definitio constat genere, & differentiâ, cæterisque conditionibus probæ definitionis: Ergo eâ rectè definitur Oppositio ùt sic propositionum simplicium. Ly *repugnantia* est genus; reliqua statuuntur pro differentia: dicitur *repugnantia duarum propositionum affirmativæ, & negativæ;* ùt designentur Oppositionis extrema, inter quæ intercedit, quæ debent esse duæ enunciationes sibi adversantes in affirmatione, vel negatione. Additur *habentium idem prædicatum, & idem subjectum;* ut servetur in oppositis propositionibus terminorum univocatio cum eadem integritate; & nō ponatur aliquis terminus in una, qui non sit in altera, pro eodem loco, & tempore, ùt advertit Scotus *2. dist. 2. q. 9.* in summa per istam particulam datur intelligi, oppositas debere per omnia esse conformes, exceptâ quantitate, & qualitate. Unde apponitur ultima particula; *sed diversam, vel qualitatem, vel quantitatem:* nam penes hæc attenditur Oppositio Propositionum. Ex his cape.

3. *Conditiones bonæ oppositionis.*

Corollarium primum: tres requiri necessariæ conditiones ad omnem veram rigorosam Oppositionem. *Prima* est, ut sint duæ propositiones; una quidem affirmativa, altera negativa. *Secunda* est, ut ambæ propositiones constent eodem prorsus subjecto, & prædicato, habentibus eandem significationē, ita ut nulla intercedat terminorum suppositio, ampliatio, &c. varians significationem eorundem. *Tertia* est, ut ambæ propositiones sibi adversentur in affirmatione, ac negatione, quæ est qualitas propositionis; vel etiam simul in universalitate, vel particularitate. Defectu primæ conditionis hæ duæ propositiones sibi non opponuntur Dialecticè: *Plato studet; & Aristóteles disputat.* Defectu secundæ hæ non opponuntur; *canis latrat*, & *canis non latrat*, intelligendo in secunda per ly *Canis* stellam cælestem sic dictam, in qua suppositio, & significatio alteratur. Defectu tertiæ hæ non opponuntur rigorosè; *omnis homo est doctus; & aliquis homo est doctus;* quia non habent qualitatem diversam, penes quam maximè attenditur Oppositio rigorosè.

4. *Solæ contrariæ propositiones rigorosè opponuntur.*


Corollarium secundum: Solæ propositiones contrariæ, & contradictoriæ in rigore opponuntur. Ratio est, quia in illis solis reperitur affirmatio, & negatio; & quia sunt de eodem subjecto. Unde tametsi in duabus subalternis v. g. istis, *aliquis homo studet; & aliquis homo non studet* sit affirmatio, & negatio; non est tamen idem subjectum secundùm rem, de quo studium, & non studium affirmatur; alioquin non possent simul esse veræ; cùm de eodem subjecto idem non possit affirmari, & negari: est ergo idem subjectum tantùm secundùm vocem Grammaticalem. In duabus subalternis verò v. g. his *omnis homo est studens; & aliquis homo est studens* etsi sit diversa quantitas; non tamen diversa qualitas, penes quam poti-

tissimè attenditur Oppositio. Itaque subalternæ, & subcontrariæ minùs rigorosè oppositæ dicuntur.

5. *Quid sit oppositio contraria, contradictoria, subcontraria, & subalterna.*

Nota tertiò: quadruplicem communiter à Dialecticis assignari oppositionem, extendendo oppositionem ad rigorosam, & minùs rigorosam; alia est enim oppositio Contraria; alia Contradictoria; alia Subcontraria; alia denique subalterna. *Contraria* habetur, quando duæ propositiones ad se invicem comparatæ differunt in qualitate, etsi in quantitate conveniant, seu quarum utráque est universalis; una tamen affirmativa, altera negativa; tales sunt istæ duæ contrariæ, *omnis homo est justus; & nullus homo est justus. Contradictoria* habetur, quando duæ propositiones ad se invicem comparatæ differunt in qualitate, & quantitate; seu quando una est universalis, altera particularis; & una affirmativa, altera negativa; tales sunt istæ contradictoriæ, *omnis homo est doctus; & aliquis homo non est doctus. Subcontraria* oppositio habetur, quando duæ propositiones differunt quidem in qualitate; non tamen in quantitate, seu quarum una est affirmativa, altera negativa; utraque tamen particularis: tales sunt hæ, *aliquis homo est musicus; & aliquis homo non est musicus. Subalterna* habetur, quando duæ propositiones differunt quidem quantitate, non tamen qualitate; seu quarum una est universalis, altera particularis, utraque tamen affirmativa, vel negativa; tales sunt hæ, *omnis homo est studens, & aliquis homo est studens.* Cape Schema hujus quadruplicis Oppositionis, à Scoto insinuatum *lib. 2. Perih. q. 6.* Sub Fig. 1.

Fig: I.



6. *Regula prima oppositionũ.*

Nota quartò: pro propositionibus præfatis quadruplici modo oppositis sequentes assignari regulas: *Prima*, duæ Contrariæ propositiones nequeunt esse simul veræ, & falsæ in materia necessaria, ac impossibili, v. g. istæ, *omnis homo est animal; nullus homo est animal.* In materia tamen contingenti possunt esse simul falsæ, v. g. istæ *omnis homo est est doctus; nullus homo est doctus.*

7. *Regula secũda*

Secunda Regula: Subcontrariæ possunt simul esse veræ in materia contingenti v. g. istæ; *aliquis homo est Philosophus; aliquis homo nõ est Philosophus;* Non autem in materia necessaria; v. g. istæ *aliquis homo est animal; aliquis homo non est animal.* In nulla etiam materia possunt esse simul falsæ: unde non sunt falsæ ambæ istæ, *aliquis homo est albus; aliquis homo non est albus.*

8. *Tertia.*

Tertia: Contradictoriæ in nulla materia possunt esse simul veræ, & falsæ; sed una est determinatè vera, altera determinatè falsa; v. g. istæ, *omnis homo est animal rationale; aliquis homo non est animal rationale;* ubi prima est determinatè vera, altera determinatè falsa.

9. *Quarta.*

Quarta: Subalternæ in materia necessaria sunt simul falsæ, si negent; & simul veræ, si affirment: exemplum primi; *nullus homo est animal; aliquis homo non est animal.* Exemplum secundi, *omnis homo est risibilis; aliquis homo est risibilis.* In materia autem contingenti una potest esse

esse vera, altera falsa; v.g. istæ *nullus homo est Philosophus; aliquis homo est Philosophus*; prima est falsa, secunda potest esse vera. In materia tandem impossibili sunt simul veræ, si negent; & simul falsæ, si affirment: exemplum primi; *nullus homo est lapis; aliquis homo non est lapis*: exemplum secundi; *omnis homo est Leo; aliquis homo est Leo.*

QUÆSTIO V.

De Æquipollentia Propositionum simplicium.

1. *Definitur æquipollentia.*

Dico primò: Rectè definitur Æquipollentia Propositionū simplicium, quòd *sit duarum propositionum æquivalentia in significato, propter subjecto, ejúsque signo appositam particulam negativam Non.* Talis est inter has; *omnis homo est albus; nullus homo est albus.*

Probat: Hac definitione exprimitur natura Æquipollentiæ: Ergo eâ rectè definitur Æquipollentia. Ly *æquivalentia* est Genus; reliqua ponuntur pro differentia. Dicitur *æquivalentia duarum propositionum in significato*; nam munus Æquipollentiæ est, duas propositiones Categoricas reddere æquivalentes in significatione, ita ut idem significent, etsi diversis terminis constent. Additur *propter subjecto ejúsque signo appositam particulam negativam Non*; ut ostendatur Æquipollentiam resultare ex additione negationis, quæ cùm sit malignantis naturæ, tollit post se, quidquid post se invenit; & consequenter si inveniat propositionem affirmativam, reddit eam negativam; si universalem, reddit eam particularem; & ècontra.

2. *Negatio variæ æquipollentiam.*

Nota primò: cùm particula negativa variè possit apponi subjecto, & signo universali, vel particulari, quò afficitur illud subjectum, quale est ly *omnis*, *nullus* &c. ideóque varia resultat Æquipollentia in propositionibus, juxta negationis dispositionem; nam si præponatur subjecto alicui, ejusque signo alia resultat Æquipollentia; & alia, si postponatur. Quòd si particula negativa *Non* apponatur signo negativo subjecti alicujus, ex utraque negatione fit una affirmatio, ut si dicatur *non nullus homo*, idem est, quod *quidam homo.*

Nota secundò: Totam artem instituendi Æquipollentiam debitam propositionum simplicium exprimi hoc versu.

Præ Contradic; post Contra; præ pòstque Subalter.

3. *Exponitur versus usitatus æquipollentiam continens.*

Per ly *Præ Contradic.* datur intelligi, quod, ut inter duas Contradictorias resultet Æquipollentia, præponenda sit negatio *Non* subjecto & ejus signo, v.g. sint istæ duæ Contradictoriæ propositiones, *omnis homo est Philosophus; aliquis homo nō est Philosophus*; ut prima universalis affirmativa æquipolleat secundæ particulari negativæ, præponendum est ly *Non* sic; *non omnis homo est Philosophus*; Item ut secunda æquipolleat primæ, præponendum est ly Non sic; *non aliquis homo nō est Philosophus.* Per ly *Post Contra* insinuatur, ut inter duas Contrarias propositiones resultet Æquipollentia, negatio *Non* postponenda est subjecto, & ejus signo universali v. g. sint istæ duæ Contrariæ; *omnis homo est doctus; nullus homo est doctus*: ut prima æquipolleat secundæ, dicatur sic; *omnis homo non est doctus*: & ut secunda primæ æquivaleat, dicatur sic, *nullus homo non est doctus.* Per ly *Præ Pòstq. Subalter* innuitur, ut inter duas Subalternas evadat Æquipollentia; præponatur subjecto, ejúsque signo una negatio, & alia rursus postponatur, v. g. sint istæ duæ Subalternæ, *omnis homo est musicus; aliquis homo est musicus*, ut primà æquivaleat secundæ; dic, *non omnis homo non est musicus*: & ut secunda æquipolleat primæ, dic; *non aliquis homo non est musicus.*

4. *Singula signa per negationē æquipollizata.*

Nota tertiò: Dialecticos in certos versus redegisse omnia signa universalia, & particularia, per negationem *Non* æquipollizata, quatenus ipsa subjectis propositionum præmittuntur, ut eò faciliùs memoriâ retineatur significatio eorundē, per Æquipollentiam resultans: Versus autem Vulgares sunt sequentes.

Non omnis (subaudi æquipollet) *quidam: non omnis non*, (subaudi æquivalet, (*quasi nullus.*

Non nullus, quidam: Sed nullus non, valet omnis.

Non aliquis, nullus: non quidam non, valet omnis.

Non alter, neuter: neuter non, præstat uterque.

No-

5. Inter subcontrarias negatur æquipollētia.

Nota quartò: Summulistas communiter negare Æquipollentiam inter Subcontrarias propositiones, ùt videre est apud Columbum, Joannem â S. Thoma, Roccum, Sotum &c. Et ratio est; quia sive subjecto præponatur, si postponatur una negatio; sive etiam præ-& postponatur duplex, nulla resultat Æquipollentia; v.g. sint istæ duæ Subcontrariæ, *quidam homo est animal; quidam homo non est animal;* & præponatur primæ ly *Non* dicendo; *non quidam homo est animal;* non æquipollet secundæ; quia prima idē sonat, quòd *nullus homo est animal.* Si ly *Non* postponatur, dicendo; *quidam homo non est animal*, non erit æquipollens alteri, sed penitus eadem propositio. Si tandem ly *Non* præponatur, & postponatur subjecto, in secunda continget inutilis repetito ejusdem dicendo, *quidam homo non nō est animal;* si autē præponatur, &postponatur in prima sic, *non quidem homo non est animal*, fiet universalis affirmativa.

QUÆSTIO VI.

De Conversione simplicium Propositionum.

1. Definitio conversionis.

Dico primò: benè definitur Conversio simplicium Propositionū, *est transmutatio unius propositionis in aliam hoc pacto facta, ut ille terminus, qui in una fuit prædicatum, fiat in altera subjectum, subsistente eadem qualitate.*

Probat: Hæc definitio convenit omni, & soli Conversioni; habétque cæteras conditiones bonæ definitionis, infrà adducendas: Ergo eâ benè definitur Conversio simplicium propositionum. Ly *transmutatio* est Genus; reliqua habent rationem differentiæ. Dicitur *transmutatio unius propositionis in aliam*, ut ostendantur extrema, inter quæ intercedit Conversio, quæ sunt duæ propositiones; quarum una dicitur *Conversa*, & est illa, cujus extrema, subjectū videlicet, & prædicatum, commutantur; altera verò *Convertens*, quæ ex tali commutatione coëlescit v.g. si dicatur sic, *nullus homo est animal: Ergo nullum animal est homo*, prima vocatur Conversa; secunda Convertens. Per ly, *hoc pacto facta, ut ille terminus qui in una fuit prædicatum &c.* monstratur una conditio necessaria ad omnem veram Conversionem, ut videlicet extrema permutentur hac ratione, ut prædicatum collocetur in propositione Convertente locô subjecti, & subjectum locô prædicati. Ly *subsistente eâdem qualitate*, monstrat alteram conditionem necessariam ad debitam Conversionem, ut nimirum in propositione Convertente maneat eadem affirmatio, vel negatio, veritas, vel falsitas, quæ inest propositioni Conversæ.

2. Conversio fit vel simpliciter vel per accidēs, vel per cōtrapositionem.

Nota primò: Triplici modo posse contingere Conversionem Dialecticam. Primò *simpliciter*, quando termini duntaxat transmutantur, ita ut subjectum fiat prædicatum, & ècontra prædicatum fiat subjectum, remaneat autem in propositione Convertente eadem qualitas, & quantitas, quæ in Conversa; talis habetur in istis, *nulla stella est homo: Ergo nullus homo est stella.* Secundò *per accidens*, quando termini in Convertente transmutantur modo præfato, & insuper immutatur quantitas Conversæ, remanente tamen ejus qualitate; talis Conversio contingit hìc; *omnis homo est risibilis: Ergo aliquod risibile est homo.* Tertiò *per Contrapositionem*, quando termini perdurante eadem quantitate, & qualitate, commutantur; & insuper infinitantur per additionem negationis *Non*; v.g. si dicatur, *omnis homo est rationalis: Ergo omne non rationale non est homo.* Prima Conversio ideo dicitur simplex; quia in ea contingit tantùm inversio terminorum. Secunda *per accidens;* quia in ea præter permutationem terminorum, etiam mutatur quantitas, quæ est accidens propositionis. Tertia *per contrapositionem;* quia in ea termini infiniti, seu infinitati per negationem *Non* contraponuntur terminis finitis.

3. Prima regulá probæ conversionis.

Nota secundò: Ut ritè instituantur omnes Conversiones propositionum simplicium, notandas esse sequentes regulas. *Prima* universalis negativa convertitur simpliciter, v. g. sic, *nullus homo est leo: Ergo nullus leo est homo.* Secunda particularis affirmativa pariter simpliciter tantùm convertitur, v. g. sic, *aliquis homo est rationalis; Ergo aliquod rationale est homo.* *Tertia* Universalis affirmativa, & Universalis negativa conver-

vertantur per accidens, exemplum primi, *omnis homo est risibilis : Ergo aliquid risibile est homo.* *Quarta* Universalis affirmativa etiam convertitur per contrapositionem v. g. sic *omnis homo est animal : Ergo omne non animal est non homo.* Quinta Particularis negativa similiter convertitur per contrapositionem v.g. sic, *aliquid vivens est non homo.*

4. Versus vulgaris pro conversionibus expositio.

Nota tertiò : Ut præmissæ regulæ debitarum Conversionum faciliùs memoriâ retineantur, Summulistæ sequentes excogitârunt versus.

Simpliciter fEcI convertitur : EvA per acci.
AstO per contra ; sic fit conversio tota.

In quibus versibus reperiuntur quatuor vocales majusculis expressæ, videlicet A. E. I. O. insertæ istis tribus dictionibus fEcI. EvA. AstO. quæ vocales significant quatuor propositiones convertibiles diversæ rationis ; A. signat propositionem universalem affirmativam ; E. universalem negativam ; I. particularem affirmativam ; O particularem negativam, juxta illud aliud distichon Summulistarum.

Asserit A, negat E, sunt universaliter ambæ.
Asserit I, negat O, sunt particulariter ambæ.

Itáque priores versus docent universalem negativam, & particularem affirmativam, denotatas per E. & I. in ly fEcI posse converti simpliciter : præterea universalem negativam, & universalem affirmativam designatas per E. & A. in ly EvA posse ritè converti per accidens. Tandem particularem negativam, & universalem affirmativam expressas per A. & O. in dictione AstO posse debitè converti per contrapositionem ; quæ omnia in exemplis *priori notabili* allatis patent.

5. Regula generalis pro conversionibus.

Nota quartò : Generalem esse regulam pro omnibus conversionibus ritè construendis ; ut tam in Convertenti, quàm in Conversa serventur eædem affectiones, & proprietates terminorum, puta eadem suppositio, ampliatio, distractio, restrictio &c. unde vitiata esset ista conversio ; *aliqua species est canis : Ergo aliquis canis est species ;* quia in ly *species* variatur Suppositio.

QUÆSTIO VII.

De modificatione Propositionum Simplicium ; & Modalium conversione, oppositione, ac æquivalentia.

1. Ex modi in propositionibus.

Nota primò : Quandoque prædicatis propositionum simplicium apponi quosdam Modos, denotantes prædicatum non solùm convenire, vel repugnare subjecto ; sed etiam convenire, vel repugnare tali vel tali modo ; unde in propositione resultat quædam *modificatio*, seu *modalitas*, quæ efficit *propositionem Modalem ;* cujus natura, oppositio, conversio, & æquipollentia eruut elucidandæ hac quæstione ; unde

2. Quatuor sunt modi propositionum.

Nota secundò : Quatuor à Dialecticis communiter assignari Modos, quibus modificatio, & modalitas invehitur in propositiones *de inesse* (id est in absolutas, in quibus prædicatum simpliciter convenit, & inest subjecto absque ullo modo)& sunt sequentes quatuor, Contingens, Possibile non, Necesse, & Impossibile : Unde & quadruplex consurgit Propositio Modalis.

3. Ex modis alij sunt universales, alij particulares, alij affirmativi, alij negativi.

Nota tertiò : Penes enumeratos quatuor Modos taxandam, & desumendam esse quantitatem, & qualitatem Propositionum Modalium ; & non penes dictum (quod Summulistæ vocant omne illud, quod in propositione ponitur præter Modum : unde quia isti duo modi sunt universales *Necesse*, & *Impossibile*, eò quod primus assimiletur illi signo universali *omnis ;* secundus verò signo universali *nullus* : idcirco omnes illæ propositiones modificatæ his duobus Modis censentur habere quantitatem Universalitatis. Item quia isti duo Modi *Contingens* seu possibile, & *Possibile* non sunt particulares ; eò quòd prior assimiletur illi signo particulari *aliquis ;* posterior autem signo particulari *aliquis non ;* ideo omnes propositiones cum ijs confectæ reputantur habere quantitatem particularitatis. Item quia isti duo Modi *Necesse*, & *Contingens* seu

Possi-

Poſſibile ſunt affirmativi; & alij duo *Impoſſibile*, & *Poſſibile non*, negativi; propterea omnes propoſitiones conſtantes primis duobus, habent qualitatem affirmationis; conſtantes verò ſecundis, habent qualitatem negationis; quæ tota doctrina à Summuliſtis comprehenſa eſt ſequentibus verſibus.

Omnis Neceſſe valet; *Impoſſibile* nullus.
Poſſibile (idem eſt quod contingens) quidam; *quidam non* Poſſibile non.

Cape ſingulorum Modorum exempla ſecundùm quantitatem, & qualitatem: hæc eſt univerſalis, & affirmativa; *hominem eſſe animal eſt Neceſſe.* Hæc univerſalis, & negativa, *hominem eſſe lapidem eſt Impoſſibile.* Hæc particularis, & affirmativa, *hominem eſſe Philoſophum eſt Contingens.* Hæc particularis, & negativa, *hominem eſſe album eſt Poſſibile non.*

Nota quartò: In propoſitionibus Modalibus Modum aliquando interponi inter ſubjectum, & prædicatum, v.g. ſi dicatur, ſedentem Poſſibile eſt ſtare: quandoque etiam poſtponi v.g. ſi dicatur, *ſtantem ſedere eſt poſſibile*; ſemper tamen eundem facit ſenſum Dialecticum. Circa converſionem Modalium.


4. *Converſio Modalium fit penes dictum.*

Nota quintò: Converſio Modalium Propoſitionum non contingit penes *Modum*; ſed penes ipſa extrema propoſitionis modificatæ, ſeu penes *Dictum*, quod coaleſcit ex ſubjecto, & prædicato propoſitionis de ineſſe: unde ſecundùm Regulas *priori quaſi*: datas (quæ etiam huc valent) ex prædicato debere fieri ſubjectum, & ècontra, conſervato eodem Modo v.g. ſic, *hominem eſſe riſibilem eſt Neceſſe*: & *aliquod riſibile eſſe hominem eſt Neceſſe.* Circa Oppoſitionem Modalium.

5. *Oppoſitio verò penes Modum.*

Nota ſextò: Oppoſitio Modalium attenditur penes ipſos Modos modificantes duas propoſitiones, & æquipollentes ſignis univerſalibus, & particularibus, affirmationibus, & negationibus, de quibus ſuprà *notabili 3.* unde quando propoſitiones conſtant Modis iſtis Neceſſe, & Impoſſibile, opponuntur *contrariè*; quando conſtant Modis Contingens, & Poſſibile non, opponuntur *Subcontrariè*: quando conſtant Modis Neceſſe, & Poſſibile, item impoſſibile & Poſſibile, ſeu Contingens, opponitur *contradictoriè*; quando conſtant Modis Neceſſe, & Contingens; item Impoſſibile, & *Poſſibile non*, opponuntur *Subalternè*: quod totum in ſequenti Schemate clarè relucet.

Sub Fig. II.



Nota ſeptimò: Quando Petrus Hiſpanus Summuliſtarum Dux pervenit ad Æquipollentias Modalium oblitus ſui finis, quem ſibi præfixerat, elucidare ſcilicet abſtruſa Ariſtotelica, intricatiſſimas tradidit regulas, & poſt ipſum etiã Summuliſtæ antiquiores, per conſtructionem certarum dictionum, *Purpurea*, *Iliace*, *Ama-*

Amabimus, *Edentuli*, vel ut volunt Recentiores, *Argutule*, *Veridica*, *sunt Atavi*, *qui referunt*, & variarum figurarum doctrinam eandem de æquipollentia, & oppositione Modalium magìs obscurârunt, & difficiliotem reddiderunt pro Tyronum captu, quàm elucidârunt; quare ego consultò ab eis abstinebo, & ipsam substantiam hujus doctrinæ de æquipollentia (de oppositione jam suprà dixi) breviter ac dilucidè proponam sequentibus. *Primò*; cùm Æquipollentia sit duarum propositionum aliàs oppositarum æquivalentia, conserva in utraque idem Dictum, seu idem subjectum, & prædicatum. *Secundò* adde æquipollizandæ propositioni negationem *Non* vel ante Modum, vel post Modum, vel ante, & post Modum simul pro varietate ipsarum propositionum, juxta annexas regulas.

6. Prima regula pro æquipollentia Modaliũ.

Regula prima Pro Contradictorijs; Si velis, ut aliqua propositio Modalis Contradictoria æquipolleat suæ Contradictoriæ, præpone ejus modo universali, vel particulari negationem *Non*, v. g. ut ista propositio, *omnem hominem esse lapidem est possibile*, æquipolleat huic suæ Contradictoriæ, *omnem hominem esse lapidem est impossibile*, appone Modo primæ negationem *Non*, & dic, *omnem hominem esse lapidem non est possibile*, quod idem sonat, ac *est impossibile*.

7. Secunda, & tertia regula.

Secunda Regula pro Contrarijs: ut valeas aliquã Modalem Contrariam æquipollentem facere suæ Contrariæ postpone Modo ejus naturali negationem *Non* v. g. ut hanc *omnem hominẽ esse animal est impossibile*, æquipollentem reddas huic suæ Contrariæ, *omnem hominem esse animal est necesse*, postpone primæ negationẽ sic, *omnem hominem impossibile est non esse animal*, & est idem, ac *omnem hominem esse animal est necesse*.

Tertia Regula pro subalternis: ut resultet æquipollentia inter duas Subcontrarias Modales, præpone, & postpone Modo universali, vel particulari æquipollizandæ negationem *Non* v.g. ut hæc, *omnem hominem esse animal est contingens* æquipolleat huic, *omnem hominem esse animal est necesse*, præpone, & postpone Modo primæ negationes duas sic, *omnem hominem non contingens est non esse animal*, & idem significat, *omnem hominem esse animal est necesse*.

8. Quarta regula.

Quarta Regula pro Subcontrarijs: ut istæ æquipolleant postpone Modo negationem v. g. ut hæc *hominem esse album est contingens*, æquipolleat isti Subcontrariæ, *hominem esse album est possibile non*, postpone Modo negationem sic, *hominem esse album est contingens* non.

9. Quinta regula.

Quinta Regula: Si in Modalibus propositionibus attendatur quantitas non tantùm ex parte Modi; sed etiam ex parte Dicti, seu subjecti, quod determinatur, & afficitur aliquô signô ex universalibus, vel particularibus, de quibus suprà *q. 5. notab. 3.* tunc ista negatio *Non* debet præponi, & postponi nedum Modo, sed etiam Dicto, seu subjecto, secundùm leges suprà datas *q. 5. notab. 2.* & illum versum *Præ Contradic; post Contra: præ pòstque Subalter;* v. g. sint istæ duæ Contradictoriæ, & diversæ quantitatis, tam ex parte Dicti, seu Subjecti, quàm ex parte Modi; *omnem hominẽ esse lapidem est impossibile; & quendam hominem non esse lapidẽ est contingens* præpone subjecto secundæ propositionis unam negationem juxta illã legem, suprà *PræContradic.* & Modo alterã sic; *non quendam hominem non esse lapidem non est contingens* & idem significabit *omnem hominem esse lapidem est impossibile.* Et sic juxta leges suprà *quæst. citat.* datas procede de Contrarijs, & Subalternis, constantibus diversa quantitate, tam ex parte Dicti, quàm Modi; Hæc pauca sufficiant dicta de hac intricata, & ab alijs fusè ac obscurè tradita Modalium doctrina, quæ passim consvevit *Pons asinorum* appellari, eò quòd plures novelli Dialectici imbecillioris ingenij, oppressi difficultate Modales intelligendi, præcipites instar asellorum oneratorum ex eo labantur, despondendo animum ad ulteriora arcana Logicæ penetranda.

QUÆSTIO VIII.

De Expositione Propositionum; ubi de Exclusivis; Exceptivis; Reduplicativis; & de Insolubilibus.

1. Quid sit expositio propositionum.

Dico primò: Rectè definitur Expositio Propositionis, quòd *sit declaratio propositionis obscura, propter aliquod Syncategorema in ea positum sive ex parte Subjecti, sive ex par-*

parte prædicati. Talis est hæc; *homo in quantum rationalis est risibilis.*

Probat. Hæc definitio data est per genus, & differentiam, reliquásque conditiones rectæ definitionis; Ergo eâ rectè definitur Exponibilitas propositionis. Ly *declaratio* est genus; reliqua habent rationem differentiæ. Dicitur *declaratio propositionis obscuræ*, ut ostendatur substratum, & materia Exponibilitatis, circa quam versatur scilicet propositio obscura, quæ per expositionem Dialecticam debet clarificari, assumendo aliam propositionem exponentem, per quam explanetur obscura. Additur *propter aliquod Syncategorema*, ut ostendatur causa obscuritatis, quæ expellenda est à propositione per ejus Expositionem; nam ipsa redditur non nihil obscura per additionem adverbiorũ quorundã, tantùm, duntaxat, præter &c. ly tandem *positum sive ex parte subjecti, sive ex parte prædicati*, innuit obscuritatem variè posse contingere juxta variã appositionem adverbij obscurantis; quandoque scilicet ex parte subjecti, ut si dicatur, *tantùm Plato est Philosophus*, quandoque ex parte prædicati, ut si dicatur, *Plato est Philosophus tantùm.*

2. Species Exponibilium propositionum.

Nota primò: tres esse potiores species propositionum Exponibilium, quæ egent ob sui quandam obscuritatem Expositione; aliæ enim sunt Exclusivæ; aliæ Exceptivæ; aliæ Reduplicativæ. *Exclusivæ* sunt, quæ constant signis exclusivis, seu istis adverbijs, & Syncategorematibus, *tantùm, solùm, solummodò, duntaxat*, & hujusmodi. *Exceptivæ* sunt quæ constant signis exceptivis, seu istis Syncategorematibus adverbialibus, *præter, præterquam, nisi*, & hujusmodi. *Reduplicativæ* sunt, quæ constant signis reduplicativis, seu Syncategorematibus istis, *quatenus, in quantum, prout* & similibus.

3. Qua ratione exponatur Exclusiva ex parte prædicati, vel subjecti.

Nota secundò: Propositionem Exponibilem Exclusivam posse dupliciter contingere; nam aliquando Syncategorema exclusivum ponitur ex parte prædicati, tunc excludit alia prædicata ab eodem subjecto; v. g. si dicatur *Plato est Philosophus tantùm.* Aliquando verò Syncategorema exclusivum ponitur ex parte subjecti, & tunc excludit alia subjecta ab eodem prædicato, ita nimirum, ut alia subjecta non participent idem prædicatum, v. g. si dicatur, *tantùm Plato est Philosophus.* Propositio Exclusiva primo modo sic exponitur, *Plato est Philosophus; & nihil aliud est Plato*, scilicet in genere scientiarum. Exclusiva secundo modo sic exponitur, *Plato est Philosophus, & nullus alius est Philosophus.*

4. Quid operetur signum exclusivum additum prædicato.

Nota tertiò: Quando signum exceptivum ponitur ex parte prædicati, excludit tantùm illa alia prædicata de subjecto, quæ possunt in eodem genere inesse, & ex certis circumstantijs hic & nunc colliguntur excludi; relinquit verò reliqua quæ in diverso genere possunt inesse, aut necessariò insunt; v. g. dum ponitur Syncategorema excludens in hac propositione, *Plato est Philosophus tantùm*, excluduntur à Platone solùm prædicata alia in genere scientiæ, & artium liberalium; ut quòd non sit Theologus, quòd non sit Legista &c. relinquit tamen prædicata qualitatum, quæ in genere aliarum perfectionum, accidentalium, & naturalium possunt inesse v. g. quòd sit liberalis, probus, communis, facundus à natura, item quòd sit animal rationale, risibile, &c.

5. Et quid signũ exceptivum.

Nota quartò: *Exceptiva* propositio excipit ratione Syncategorematis additi à principali prædicato universaliter significante aliquid particulare, & negat illud includi in illo prædicato; v. g. si dicatur, *omnis homo dormit præter Platonẽ.* Hæc sic exponitur, *solus Plato nõ dormit.*

6. Et quid signũ reduplicativũ.

Nota quintò: Propositio Reduplicativa alia est rigorosè reduplicativa; alia specificativè reduplicativa. *Rigorosè Reduplicativa* est illa, in qua signũ seu Syncategorema reduplicativũ denotat rationẽ, cui apponitur, esse causam convenientiæ prædicati cum subjecto v. g. si dicatur, *homo in quantùm rationalis est risibilis;* ubi ly *in quantùm* indicat rationalitatem esse causam, cur risibilitas conveniat homini. Reduplicativa rigorosè exponitur per causalem dicendo, *quia homo est rationalis, est risibilis.* *Specificativè Reduplicativa* est illa, in qua Syncategorema reduplicativum indicat rationem, cui apponitur, non esse causam, sed tantùm conditionem, vel modum particularem considerandi subjectum; v. g. si dicatur, *Musicus in quantum Musicus potest esse Logicus.* Hæc Reduplicativa exponitur sic, *ille homo qui est Musicus, potest simul esse Logicus.* Propositiones hactenus in hac quæstione recensitæ, & declaratæ, vocantur *Solubiles;* quia de facili exponibiles, & declarabiles per alias propositiones,

uti

uti patuit: restat nunc de *Insolubilibus* breviter aliquid dicendum. Unde

7. Quid proposi- tio insolubilis.

Nota sextò: *Propositionem insolubilem* vocari illam, quæ nulla ratione potest resolvi per expositionem, ita ut in aliquo sensu habeat veritatem; eò quòd se ipsam falsificet, & suam veritatem destruat; talis est hæc, *nulla datur propositio negativa*, quæ, cùm ipsa sit negativa, falsificat se ipsam. De hujusmodi propositionibus multa curiosa proponit noster P. Tartaretus insignis Sumulista *Tract. de Insolubilibus*. Sed quia modicæ sunt utilitatis, ab ijsdem supersedeo, ad alia utiliora properando.

QUÆSTIO IX.

De Veritate, & falsitate Propositionum; ac de Hypotheticis.

1. Explicatur veritas, & falsitas propositionis.

Nota primò: Veritatem de qua hìc, *esse conformitatem actûs cum objecto, seu re intellecta*; & habetur tunc, quando intellectus objecta, seu res intelligit taliter, qualiter sunt â parte rei, v. g. si intelligat Petrum esse animal rationale, quale reverâ est â parte rei. Falsitas verò *est difformitas actûs intellectûs cum objecto, seu re intellecta* v. g. si Platonem intelligat esse animal rugibile. Tam veritas, quàm falsitas descripta vocatur formalis; eò quòd tanquam forma inhæreat intellectui, ad distinctionem illius, quæ reperitur in rebus, & vocatur fundamentalis; eò quòd sit fundamentum formalis.

2. Quid veritas complexa, & incomplexa.

Nota secundò: Veritatem, & Falsitatem jam descriptas esse in duplici differentia. Alia enim est *Veritas incomplexa*, quæ est conformitas actûs intellectûs cum objecto, objectum simpliciter apprehendentis, & nihil de eo affirmantis, vel negantis; & hæc competit primæ operationi intellectûs, quæ dicitur *apprehensio simplex*. Alia est *Veritas complexa*, quæ est conformitas actûs intellectûs cum objecto, de objecto aliquid affirmantis, vel negantis; & hæc convenit secundæ operationi, quæ dicitur *judicium*; & de hac est præsens potissimè articulus quæstionis; estq; proprietas vera Propositionis Dialecticæ. Falsitas quoque alia est complexa alia incomplexa; & contrario modo describuntur, ac explanantur.

3. Eadem propositio successive vera, & falsa esse potest.

Nota tertiò: Eandem propositionem Contingentem posse successivè esse veram, & falsam, ùt habet Doctor Subtilis *4. Dist. 8. q. 2. §. aliter*; & ego ex professo *Tractatu in lib. Perihermenias, seu de interpretatione* ostendam; interim summaria ratio est; quia Veritas & Falsitas formaliter dependent â veritate fundamentali seu objecti; sicut cognitio dependet â re, cujus est cognitio: Veritas autem fundamentalis potest mutari mutatô scilicet objectô; sicut passio mutatur mutatô subjectô; adeóqoe facta tali mutatione, propositio tunc transit de vera in falsam; & sic quæ fuit vera, successivè fit falsa.

4. Non verò simul & semel.

Nota quartò: eadem tamen propositio nequit simul & semel esse vera, & falsa. Ratio est, quia aliàs eadem propositio esset simul & semel conformis, & difformis, v. g. hæc, Plato manducat, & Plato non manducat; quod videtur falsum: Ergo &c. Circa alterum Articulum quæstionis.

5. Quid propositio hypothetica.

Nota qointò: Propositio Hypothetica, seu composita quod idem est, ùt suprà *q. 3. notab. 2.* dixi, *est illa, quæ coalescit ex duabus propositionibus simplicibus*, cujus species *loco cit. not. 4.* sunt explicatæ. Et dicitur *Hypothetica* â Græca dictione ὑπὸ *sub*, & θέσις *positio* quasi suppositio, ut rectè notat Scotus, *quæst. 1. Secundi Prior.* eò quòd una pars talis propositionis alteri parti supponatur; seu quia, ùt explicat Petrus Hispanus *lib. 1. cap. 15.* una Categorica alteri Categoricæ supponitur.

6. Ejus duæ sunt copulæ.

Nota sextò: In hypothetica propositione reperiri plerumque duas Copulas, principalem, & minus principalem. *Principalis* est aliquod adverbium hypotheticæ insertum, puta ly *&*, *vel si &c.* quia aliquo horum duæ Categoricæ conjunguntur. *Minus principalis* est verbum *Est*, quod explicitè, vel implicitè habetur in Categoricis, & earum prædicata conjungit cum subjectis.

7. Materia, forma, quantitas & qualitas hypotheticæ.

Nota septimò: In hypotheticis quoque reperiri suo modo materiam, formam, quantitatem, & qoalitatem: *Materia* sunt termini, & connectio duarom categoricarum, ex quibus coalescit propositio

tio Hypothetica: estque vel necessaria; vel contingens, vel impossibilis juxta varietatem connectionis ipsarum categoricarum inter se. *Forma* est copula principalis uniens & connectens duas Categoricas inter se. *Quantitas* est eadem, quæ invenitur in ipsis Categoricis inter se connexis; unde si utraque est universalis, tota Hypothetica talis erit. *Qualitas* tandem est affirmatio, vel negatio; item veritas, vel falsitas Hypotheticæ.

8. *Regula pro cognoscenda veritate hypothetica.*

Nota octavò quasdam regulas, vigore quarum Hypotheticarum veritas, & falsitas ritè dignosci potest. *Prima Regula*; quando Hypothetica est *Conditionalis*, ut sit vera, vel falsa, consequentia debet secundùm se, & ex natura antecedentis deduci; unde hæc est vera, *si Plato rationalis est, risibilis est*: hæc verò falsa, *si homo musicus est, Philosophus est*. *Secunda*, quando Hypothetica est *Copulativa*, ut sit vera, vel falsa, utraque Categorica debet esse vera, vel falsa. Unde ista non est vera, *Plato est rationalis, & est lapis*. *Tertia*, quando Hypothetica est *Disjunctiva* rigorosa, ut sit vera, vel falsa, debet altera pars ejus esse vera, vel falsa; quia talis in rigore continet exclusionem alterius partis, & reddit hunc sensum, alterum tantum istorum est verum: talis est hæc, *omnis homo vel salvabitur, vel damnabitur*.

Nota nonò: Tyrones Dialecticos non multùm fatigandos esse circa oppositionem æquipollentiam, & conversionem Hypotheticarum, tum quia res hæc parvæ est utilitatis: tum quia confusum dubiúmque chaos continet: tum quia species oppositionum omnes non quadrant Hypotheticis; & consequenter defectu oppositionum nequit resultare debita æquipollentia; uti nec conversio; nam in Hypotheticis Conditionalibus, conditio non potest converti in conditionatum; & in Copulativis, ac Disjunctivis nequit servari identitas terminorum; cùm sint diversæ propositiones.

DISTINCTIO III.

De Modis, seu Instrumentis sciendi.

PRÆFATIO.

Quoniam Tyrones Dialectici scientiarum Philosophicarum avidi mediante notitiâ terminorum, & Propositionum scire desiderant Logicales positiones; idcirco rectè me facturum arbitror, si post ventilationem Terminorum, & Propositionum, distinctionem peculiarem de Modis sciendi in communi, & particulari subjecero; ut ita instrumentis sciendi iidem adjuti eò faciliùs, & feliciùs Philosophiæ Rationalis scientiam adipiscantur. Quare sit

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De quidditate; & multiplicatione Modi ſciendi in communi.

1. *Quid ſit modus ſciendi ùt ſic.*

DIco primò: Benè definitur, Modus ſciendi ùt ſic, *eſt oratio ignoti alicujus manifeſtativa.* Ita communis Sum̃uliſtarum.

Probat: Hæc definitio data eſt per genus, & differentiam, cæteráque requiſita ad bonam definitionem: Ergo eâ benè definitur Modus ſciendi ùt ſic. Ly *Oratio* ponitur locô generis; reliqua locô differentiæ. Dicitur autem *modus ſciendi* eſſe *Oratio*, id eſt integra aliqua complexio, ſive per viam illationis unius ex alio, ſive aliô modô confecta; ut oſtendatur, ſolos terminos incomplexos non eſſe ſufficientes ad diſtinctè manifeſtandum ignotum; ſed tantùm ad confusè ſignificandum, ùt habet Philoſophus *in Praem. Phyſ.* Additur in definitione *ignoti manifeſtativa*; quia Modi ſciendi adinventi ſunt, ut rem in tenebris ignorantiæ latentem eruant, & patulam, notamque faciant inquirentibus; unde & *inſtrumenta ſciendi* appellati ſunt; eò quòd inſerviant inſtrumentariè ad aſſequendas notitias rerum, & attingendas ſcientias de obſcuris, confusiſque objectis. Circa alteram partem quæſt.

2. *Species modi ſciendi.*

Nota primò: Modum ſciendi in communi à Summuliſtis communiter partiri, in definitionem; diviſionem, & argumentationem. Per *Definitionem* intelligunt illum Modum quô manifeſtatur natura alicujus rei ignotæ, vel quidditativè, vel deſcriptivè. Per *Diviſionem* illum Modum, quô per partitionem debitam, manifeſtantur partes ignotæ alicujus rei. *Per Argumentationem* Modum illum, quô aliquid complexum ignotum v. g. quòd *Plato ſit riſibilis* manifeſtatur adhibito diſcurſu v. g. tali *omne rationale eſt riſibile; ſed Plato eſt rationalis: ergo Plato eſt riſibilis.*

Dico ſecundò: Nec plures, nec pauciores dantur Modi ſciendi, quàm tres, Definitio, videlicet, Diviſio, & Argumentatio. Ita Scotus *1. Prior. q. 2.* Tartaret. Lamazares, Maſtrius, Lealis, Fuente, cæteríque Scotiſtæ; contra Zabarellam, & Fabrum, qui ſolam Argumentationem agnoſcunt pro Modo ſciendi; & contra alios, qui præter enumeratos, etiam Methodum ſeu ordinem tradendi doctrinam, propoſitiones, reſolutiones, & omnes ſecundas intentiones ſtatuunt pro Modis veris ſciendi.

3. *Tres tantũ exiſtant modi ſciendi.*

Probat. *primò* concluſio authoritate Philoſophi; qui hos tres Modos ſciendi, & non plures aſtruit, Definitionem *1. de ani. cap. 8.* Diviſionem *1. de ani. cap. 5.* Argumentationem *1. Top. 10.* Ergo nec plures, nec paucioręs dantur Modi ſciendi, quàm iſti tres. Probat: *ſecundò* ratione Philoſophicâ; juxta definitionem, datam Modus ſciendi eſt oratio alicujus ignoti manifeſtativa: Ergo tot, & non plurès, neque pauciores erunt Modi ſciendi, quotuplex eſt ignotum manifeſtabile. Subſumo; ſed non dantur plura, vel pauciora ignota, quàm triplicia diverſimodè manifeſtabilia: Ergo nec plures, nec pauciores Modi ſciendi præterquã tres.

Probat. Subſumptum; nam ignotum vel eſt incomplexum manifeſtabile quò ad eſſentiam, vel proprietates; & tunc maniſtifeſtatur per Definitionem eſſentialem, & deſcriptivam, eſſentia hominis v. g. per ejus definitionem hanc, homo eſt animal rationale: vel eſt incomplexum manifeſtabile quo ad partes; & tunc manifeſtatur per Diviſionem, ſic v. g. manifeſtantur partes hominis per diviſionem dicendo; *hominis alia eſt pars anima, alia eſt corpus:* vel tandem ignotum eſt aliquod complexum manifeſtabile, & tunc manifeſtatur per Argumentationem; v. g. ſit hoc ignotum. *Plato eſt riſibilis*, hoc iſtâ argumentatione manifeſtatur, *omnis homo eſt riſibilis; Sed Plato eſt homo: Ergo Plato eſt riſibilis.* Neque ullum aliud ignotum alio modo diſtincto ab his ritè manifeſtabile datur: Ergo non dantur plura neq; pauciora ignota, quam triplicia, diverſimodè manifeſtabilia.

Obijc: Ariſtoteles adverſatur concluſioni varijs in locis: Ergo nõ eſt aſſerenda. Probat. Ant. nam *primò 2. Metaph. cap. ult.* commemorat inter inſtrumenta ſciendi Methodum ſciendi, id eſt modum procedendi in tradendis doctrinis: adeóque intendit plures, quàm tres modos ſci-

sciendi adstruere. *Secundò 1. Prior. 1. & 1. Topic. cap. 16.* disserens de instrumentis sciendi solius Syllogismi facit mentionem: Ergo Aristoteles adversatur conclusioni.

4. *Aristoteles reconciliatur pro conclusione.*

Respondeo Neg. Ant: & ad anthoritates Philosophi dico; ex ijs non posse colligi assertivam ejus mentem; aliàs sibi contra diceret, nunc unum, nunc quatuor instrumenta sciendi afferendo: quare interpretor *primam authoritatem* ejusdem, & dico, eum *locô citatô Metaphysices* Methodum non usurpare pro aliquo distincto ab ipsis instrumentis sciendi; nam cùm Methodus bona sit ordinatus procedendi modus in scientijs tradendis, & quædã dispositio tenens se ex parte ipsorũ Morũ sciendi, Definitionis, Divisionis, & Argumentationis, ideo ab eis est indistinctus. Vel dic Philosophum *citatô locô* usurpare Modum sciendi in laxiori acceptione; non verò in rigorosa, uti procedit conclusio. Ad *secundam* anthoritatem dico, Aristotelem *locis citatis*, non facere adæquatam enumerationem Instrumentorum sciendi; sed tantùm procedere in sua subjecta materia, in qua agebat de doctrina solita acquiri per discursum; & de objecto complexo, quod per Argumentationem, seu viam illativam manifestatur, ac proinde pro tunc de hoc solo instrumento sciendi mentionem faciebat. In alijs tamen locis Definitionis, & Divisionis quoque meminit; nam *1. Met. 48.* inter instrumenta sciendi enumerat Definitionem; *& 1. de ani. cap. 5.* commemorat Divisionem.

QUÆSTIO II.

De Definitione.

1. *Quid nominis definitio.*

Nota primò: Secundùm nominis etymologiam *Definitio* derivatur à verbo *finitio*, eò quòd ita finiat, seu instar finium ita circumscribat naturam definiti, ut secernatur ab omni alio distincto: unde veteres Definitionem vocârunt *finitionem*; uti constat ex Quintiliano, qui eam sic explicat, *finitio est rei propositæ propria, & dilucida, ac breviter comprehensa verbis enunciatio.* Aristoteles *2. Post. cap. 10.* Sic definit Definitionem, *est oratio quod quid est esse rei significans;* Sed clarius.

Dico primò: Bene definitur Definitio, *est oratio manifestativa essentiæ, & naturæ aliàs ignotæ.*

2. *Definitur definitio.*

Probat: Hæc definitio formata est secundùm omnes leges bonæ definitionis infrà adducendas: Ergo eã bene definitur Definitio. Ly *oratio* scilicet enunciativa est genus: reliqua habent rationem differentiæ. Dicitur *oratio manifestativa essentiæ, & naturæ ignotæ*, ad distinctionem Divisionis, quæ est manifestativa partium; & ut detur intelligi, per definitionem aperiri, & distinctè explicari quandoque essentiam, quandoque alia Definiti aliàs ignoti, tenentia se ex parte Essentiæ tanquam proprietates, vel accidentia, ex quibus omnibus coalescit tota natura definiti.

3. *Quid definitio quid nominis, & quid rei.*

Nota secundò: Definitionem primã sui divisione partiri in Definitionem quid nominis; & Definitionem quid rei. *Definitio quid nominis* definitur à Scoto, *1. Prior. quæst. 5.* quòd *sit illa oratio, quæ exponit explicitè significationem implicitam termini definiti;* seu est brevis interpretatio nominis, vel dictionis alicujus ignotæ, per alia verba notiora notificantia quidditatem, seu significationem ejusdem. Talis habetur, si interpreteris hoc nomen *homo* sic, *homo est ens aliquod ab humo dictum:* Item hæc, *mulier est quasi mollis aër:* Item hæc, *Dux est qui ducit exercitum, Dialectica est scientia disputatrix, &c.* Huc revocantur omnes originationes, derivationes, & etymologiæ vocum. Definitio quid rei, *est oratio manifestativa ignota alicujus rei, quò ad ejus essentiam, proprietates, & alia in ipsa contenta.*

4. *Quid definitio essentialis; & descriptiva.*

Nota tertiò: Definitio quid rei (de qua potissimè hic) subdividitur in Essentialem, seu Quidditativam; & Descriptivam, seu Accidentalem. *Definitio Essentialis, seu Quidditativa* est oratio manifestativa ignotæ essentiæ alicujus rei per partes intrinsecas essentiales, & constitutivas: quæ si fuerint partes Physicæ v. g. corpus, & anima in homine, vocatur *Definitio Essentialis Physica;* si verò fuerint Metaphysicæ, puta genus, & Differentia v. g. in homine animal, & rationale, appellatur *Definitio Essentialis Metaphysica. Definitio Descriptiva, seu Accidentalis* est oratio manifestativa naturæ alicujus ignotæ vel per proprietates, seu passiones proprias, vel per causas extrinsecas, efficientem scilicet, finalem, & exemplarem, vel

vel tandem per accidentia communia. Exemplum Definitionis Descriptivæ datæ per *proprietates* habetur in hac descriptione, homo est animal risibile, & flebile. Exemplum Definitionis Descriptivæ datæ per causas extrinsecas habetur in hac descriptione, homo est ens à DEO creatum, & quidem ad imaginem DEI, & ad Beatitudinem supernaturalem assequendam. Exemplum Definitionis Descriptivæ datæ per accidentia exstat in hac circumscriptione, homo est animal implume, bipes, habens caput erectum, loquelâ præditum &c.

5. Quidditativa cum, & sine addito.

Nota quartò: Definitionem Quidditativam aliam esse purè Quidditativam, aliam Quidditativam cum additamento. *Prima* habetur, quando definitum exprimitur per solas partes essentiales constitutivas, & absolvitur ab omni alio extrinseco, ad quod diceret ordinem, & cum quo concipi deberet, hâc definitione definiuntur omnes substantiæ completæ v. g. *homo*, dicendo, *homo est animal rationale*. *Secunda* habetur, quando definitum exprimitur quidem per partes essentiales; sed simul cum aliquo ordine, & habitudine saltem transcendentali ad aliquod extrinsecum, sine quo perfectè concipi non potest; hac definiuntur omnes substantiæ incompletæ v.g. *materia prima* per ordinem ad formam; *accidens* per ordinem ad subjectum; entia omnia relativa &c.

6. Prima lex bonæ definitionis

Nota quintò: Summulistas concorditer quinque assignare leges seu conditiones, quibus constare debet omnis Definitio, ut sit bona, exacta, & recta. *Prima* & principalis est, ut constet genere, & differentiâ, vel aliquo supplente vices generis, & differentiæ, uti fit in Definitione accidentali, quæ caret proprio genere, & differentiâ. Per *Genus* intellige aliquam rationem, in qua definitum cum alijs convenit tanquam in aliquo communi pluribus. Per *Differentiam* aliquam rationem, in qua secernitur ab omnibus alijs v. g. in hac definitione hominis; *homo est animal*, ly *animal* est genus, & ratio communis pluribus; ly *rationale* est differentia, & ratio secernens hominem ab alijs animalibus. Debet autem hoc genus in Definitionibus essentialibus seu quidditativis esse genus proximum; aliàs non explicaretur bene essentia rei; cùm proxima pars constitutiva ejus (quale est genus proximum) non explicetur: unde non est exacta hæc definitio hominis data per genus remotum *vivens* sic, *homo est vivens rationale*.

7. Secunda lex.

Secunda lex; & conditio est; ut Definitio convertatur cum suo definito affirmativè, & negativè; ita nimirum, ut ab uno ad aliud valeat consequentia; v. g. in hac Definitione, *homo est animal rationale*, ly *animal rationale* quod est Definitio convertitur cum ly *homo*, quod est definitum; unde valet dicere affirmativè, *homo est: Ergo animal rationale est*: & rursus negativè, *non est homo: Ergo non est animal rationale.*

8. Tertia.

Tertia est; ut Definitio conveniat omni, & soli definito: unde hæc definitio hominis est bona, *homo est animal rationale*; quia aptari potest omni homini, & soli homini. Et hæc est mala, *homo est vivens*; quia aptari potest etiam Leoni, qui est aliquod vivens.

9. Quarta.

Quarta est; Definitio debet esse clarior, & notior suô definitô; cùm per eam debeat essentia rei aliàs ignotæ manifestari; unde quia notiùs est, quòd, sit animal rationale, ideò hæc Definitio hominis est bona, *homo est animal rationale.*

10. Quinta lex.

Quinta est; Definitio non debet esse superflua; neque diminuta, seu manca: non superflua, quia omnis superfluitas communiter parit confusionem; unde hæc est vitiosa, *homo est animal rationale, implume, bipes &c.* Non etiam diminuta, manca, & deficiens; quia aliàs non manifestaret totam rei essentiam, aut naturam: quare hæc est vitiosa *homo est animal*, ob defectum differentiæ, quæ est altera pars essentialis. Hæc de conditionibus ex parte Definitionis.

Nota sextò: Ut proba, & rigorosa rei definitio constituatur, requiruntur quoque certæ conditiones ex parte definiti, seu potiùs rei definibilis; non enim omnis res definiri potest Definitione propriè dictâ, & rigorosâ.

11. Prima conditio rei definibilis.

Prima est; ut definitum, seu res definibilis, sit ens reale, ut habet Scotus *4. d. 1. q. 2.* Ratio est; quia Definitio est oratio manifestativa rei ignotæ, adeòque, quod res, seu ens reale (quod idem est) non est, propriè & in rigore nequit definiri; defectu hujus conditionis impossibilia, & Entia rationis Definitione quidem rigorosâ nequeunt definiri.

Se-

12. Secunda conditio.

Secunda est; Ut definitum seu res definibilis sit ens per se unum, & non unum per accidens, ùt habet Aristoteles *7. Met. cap. 3. textu 16.* & Scotus *loco citato.* Ratio est; quia ens unum per accidens componitur ex pluribus entitatibus non subordinatis, v. g. homo albus, cumulus lapidum &c. unde unicâ Definitione nequit definiri. Hinc rigorosè definiri nequeunt Æquivoca, ùt habet Philosophus *6. Top. cap. 2.* nisì priùs, distinguantur; eò quod non significent unam tantùm essentiam, & naturam; similiter omnia illa entia, quæ constant pluribus naturis disparatis non subordinatis, rigorosè definiri non possunt.

13. Tertia.

Tertia; ut definitum seu res definibilis, sit in plures conceptus resolubile, ùt habet Aristoteles *8. Met. cap. 3. text. 9.* & Scotus *loco citato.* Ratio est; quia legitima Definitio debet constare genere, & differentia, quæ sunt duo conceptus; res autem simplex seu unius duntaxat conceptûs non involvit genus, & differentiam. Defectu hujus conditionis Ens ut sic nequit rigorosè definiri.

14. Quarta conditio.

Quarta; ut definitum, seu definibilis res sit universalis, & non singularis, ùt habet Scotus *loco citato, & 2. dist. 3. q. 6.* Ratio est; quia definitio rigorosa; & quidditativa est manifestativa duntaxat essentiæ; singulare autem includit aliud præter essentiam (puta formalitatem superadditam essentiæ, hæcceitatem) quod in ejus explicatione etiam manifestari debet; adeóque de tali formari nequit rigorosa Definitio.

QUÆSTIO III.

De Divisione.

NOta primò: De Divisione, quæ est alter Modus sciendi, admodū parum scripserunt veteres usque ad Boëtium, qui materiā hanc deinde ex professo discussit particulari libello, quem ingeniosè interpretatus est noster eruditissimus P. Antonius Andreas. Definitur communiter à Summulistis, quòd *sit oratio totum in suas partes distribuens.* Sed clariùs.

1. Definitur Divisio.

Dico primò: optimè definitur Divisio, quòd *sit oratio manifestativa alicujus entis totiûs ignoti per resolutionem ejusdem in suas partes.*

Probat. hæc definitio exactè confecta est juxta leges, & conditiones probæ definitionis, *priori quæst.* explicatas. Ergo eâ optimè definitur Divisio Dialectica. Ly *oratio* est genus; reliqua ponuntur pro differentia Divisionis à Definitione, & Argumentatione; nam per Definitionem manifestatur quid res aliqua ignota sit, seu quam essentiam habeat. Per Argumentationem qualis illa res ignota sit; seu quam qualitatem, vel proprietatem habeat: at per Divisionem manifestatur, quanta sit, seu quam quantitatem, & partium continentiam dicat. *Totum* quod per Divisionem dividitur à Dialecticis appellator *Divisum;* partes verò, in quas dissolvitur, vocantur *Membra dividentia*, seu *Membra Divisionis.*

2. Diversitas inter definitionē & divisionē.

Nota secundò: Tametsi per Divisionem etiam videatur manifestari essentia rei, sicut fit per Definitionem; tamen hi duo Modi omnino sunt dictincti; nam Definitio manifestat essentiam rei modô quôdam compositivô, conjungendo videlicet partes essentiæ v. g. dum definio hominem, quòd *sit animal rationale;* Divisio autem manifestat essentiam modô disjunctivô, separando nimirum ejus partes & earum multiplicitatem, ac confusionē explicando, v.g. dum dicitur; *hominis alia est pars rationalitas, alia animalitas.*

3. Quid divisio, quid nominis, & quid rei.

Nota tertiò: Divisionem primò esse quid nominis; & aliam quid rei, ex Scoto *q. 2. 3. univer. Prima* est resolutio nominis in suas significationes; v. g. ly *canis* in significationem canis cælestis, terrestris, & marini. *Secunda* est, quando res aliqua dividitur in suas partes, v. g. vivens in sensitivum, vegetativum, & intelligens.

4. Quid potentialis, actualis, & accidentalis.

Nota quartò: Tres sortes communiter à Dialecticis afferuntur Divisionis quid rei, puta Potentialis; Actualis; & Accidentalis. *Potentialis Divisio* est, quâ aliquod totum potentiale resolvitur in suas partes, quas sub se non actu, sed potentiâ continet; talis habetur, quotiescunque aliquod universale in sua inferiora dividitur, v.g. Genus in suas species; & Species in sua individua, quæ potentiā continet.

Actualis est illa, quâ aliquod totum, actu-

actuale reſolvitur in ſuas partes, ex quibus actu conſtat; talis habetur *primò*, quotieſcunque aliquod totum Metaphyſicum dividitur in ſuas partes Metaphyſicas v. g. *homo* in animal, & rationale dicendo, hominis alia pars Metaphyſica eſt animal, alia eſt rationale; & vocatur *Diviſio Actualis Metaphyſica*. *Secundò* habetur Actualis Diviſio quotieſcunque totum aliquod Phyſicum reſolvitur in ſuas partes Phyſicas; & hoc vel in eſſentiales v. g. *homo* in animam, & corpus dicendo, hominis alia eſt pars Phyſica anima, alia eſt corpus; vel in partes integrales v. g. *homo* in caput, manus, pedes, &c. dicendo, hominis alia eſt pars integralis caput, alia manus, alia pedes &c. hæ Diviſiones vocantur *Phyſicæ*; prima eſſentialis; altera integralis.

Accidentalis Diviſio eſt illa, quâ aliquod totum accidentale reſolvitur in ſuas partes accidentales; & contingit variè: *primò*, quando ſubjectum aliquod dividitur per accidentia; talis eſt v. g. quando *homo* dividitur in varia accidentia dicendo, homo alius eſt doctus, alius muſicus, alius albus, alius ruffus, &c. *Secundò*, quando aliquod accidens dividitur in plura ſubjecta, v. g. *album* in plura ſubſtrata, quæ afficit dicendo, album aliud eſt lac, aliud nix. *Tertiò*, quando unum accidens dividitur in plura alia accidentia in concreto; v. g. ly *album* dicendo, album aliud eſt dulce, aliud amarum, aliud frigidum, &c.

5. *Prima conditio rectæ diviſionis.*

Nota quintò: Secundùm communem Summuliſtarum certas quaſdam conditiones requiri, ut aliqua Diviſio rectè inſtituatur. *Prima* eſt; ut ſingula membra dividentia minùs latè pateant, quàm ipſum Diviſum; & ut ſingula membra dividentia ſimul ſumpta adæquent Diviſum: ita habet Ariſtoteles *2. Poſter. cap. 5.* Ratio primi eſt; quia cùm totum ſit majus ſuâ parte, ſecundùm primum principium lumine naturæ notum, idcirco ſingula membra dividentia debent minus continere, & minùs latè patere, quàm ipſum Diviſum, ſeu totum. Ratio ſecundi eſt; quia membra dividentia ſimul ſumpta ſunt collectivæ omnes partes totiûs: adeoque ſimul ſumptæ adæquare debent Diviſum. Defectu primi hæc non eſt bona Diviſio *animalis*, animal aliud eſt ſenſibile, aliud rationale; quia ly *ſenſibile*, æquè latè patet, & idem continet, quod animal. Defectu ſecundi hæc non eſt legitima Diviſio *hominis*, hominis alia eſt pars caput, alia pes; quia hæ partes ſolæ non adintegrant, & adæquant totum hominem.

6. *Secunda conditio.*

Secunda eſt; ne in Diviſione ſtatuantur multa membra Dividentia; ſed quantum fieri poteſt, fiat ſemper in proximiora, & hæc iterum ſecentur in alia; Ratio eſt; quia aliàs potiùs generaretur confuſio, quàm tolleretur: unde proba eſt hæc Diviſio *animalis*, animal aliud eſt rationale, aliud irrationale: & rurſus Irrationale aliud eſt volatile, aliud aquatile, aliud terreſtre; & hæc genera animalium rurſus dividantur in ſua inferiora. Hæc verò eſt vitioſa Diviſio *corporis animati*, corpus animatum aliud eſt homo, aliud eſt beſtia, & aliud eſt arbor; quia in ea fit præteritio duorum immediatorum, & proximorum generum *animalis*, & *plantæ*.

7. *Tertia.*

Tertia eſt; ut Diviſum revera comprehendat ſub ſe omnia membra dividentia. Ratio eſt; quia involvit implicantiam, totum aliquod in ea reſolvi, quæ revera non includit, & complectitur. Defectu hujus mala eſt hæc Diviſio *animalis*, animal aliud eſt homo, aliud Angelus; cùm Angelus ſub genere animalis nequaquam comprehendatur.

8. *Quarta conditio.*

Quarta eſt; ut membra dividentia aliquo modo inter ſe opponantur, & ſe excludant formaliter, ita ut unum de alio non prædicetur formaliter. Ratio eſt; quia aliàs non cenſerentur partes totiûs, verè inter ſe diſtinctæ. Defectu hujus mala eſt hæc Diviſio *animalis*, animal aliud eſt ſentiens, aliud vivens; quia vivens, & ſentiens non opponuntur, nec ſe excludunt; imò includuntur in eodem homine.

QUÆSTIO IV.

De Argumentatione ut ſic.

1. *Quid apprehenſio, judicium, & diſcurſus.*

NOta primò: Argumentationem (quæ eſt perfectiſſimus Modus ſciendi) correſpondere tertiæ mentis operationi; ſicut Termini correſpondent primæ; & Propoſitiones ſe-

secundæ: Ratio est; quia prima mentis operatio est *Apprehensio*, quâ objectū aliquod, & termin^s simpliciter apprehenditur, & repræsentatur menti sine ulla affirmatione; & negatione; ut si apprehendam *Platonem* nihil affirmando, quòd sit homo. Secunda dicitur *Judiciū*, quô mens duo objecta, vel duos terminos jam apprehensos judicat, an conveniant ad invicem, & fert de illis sententiam aliquid affirmando, vel negando, v. g. quòd Plato sit animal rationale. Tertia est *Discursus*, in quo una propositio jam judicata minùs nota ex alia notiori infertur, v. g. Plato est homo: Ergo Plato est animal rationale; & hujusmodi Discursus est Argumentatio, de qua hic: & propterea sic dicitur, quòd sit quædam *argutio mentis*, quâ edocetur modus arguendi errores intellectûs.

2. Definitur argumentatio ut sic

Dico primò: Bene definitur Argumentatio ut sic, *est oratio ignoti manifestativa per illationem propositionis minùs notæ ex alia notiori, vel pluribus notioribus.*

Probat. Hæc definitio constat genere, & differentiâ, alijsque requisitis necessarijs conditionibus bonæ definitionis: Ergo eâ bene definitur Argumentatio ut sic. Ly *oratio* est genus; reliqua habent rationem differentiæ. Dicitur *oratio ignoti manifestativa per illationem*, ut distinguatur Argumentatio ab alijs Modis sciendi, Definitione videlicet, & Divisione, quæ non fiunt viâ illationis. Additur *propositionis minùs notæ ex alia notiori, vel pluribus notioribus;* ut ostendatur varius modus illationis, quô confici potest Argumentatio; seu ut monstretur multiplex structura Argumentationis, quæ coalescit aliquando ex una illata propositione, & una inferente; aliquando ex una illata, & pluribus alijs inferentibus, ut dicetur paulò infrà. Ex his

3. Argumentatio bona requirit antecedens, vel præmissas; illationē unius ex alio; & notā illationis.

Nota secundò: In omni Argumentatione tria ad minimum requiri; *primò* ut ponatur una saltem propositio notior ex qua minus nota inferatur: & talis notior propositio vocatur *Antecedens* à Dialecticis; si Argumentatio sit Enthymema; si autem sit Syllogismus, tunc ponuntur duæ notiores, & vocantur *Præmissa, Major, & Minor. Secundò*, ut ponatur alia propositio ex notiori, vel notioribus illata; & talis illata vocatur *Consequens. Tertiò*, ut adsit nota, seu signum illationis, designatum per hanc dictionem *Ergo*, vel *igitur*. Est autem discrimen inter Consequens, & Consequentiam; quòd Consequens vocetur illa propositio ultima, quæ in Argumentatione aliqua ponitur post notam *Ergo* quomodocunque; Consequentia verò vocatur ipsa habitudo consecutionis, seu connexio, quæ resultat inter Antecedens, & Consequens, vigore cujus ultima propositio sequitur ex prima in forma, & methodo discursûs: unde in bona Dialectica nunquam negandum est Consequens; sed bene Consequentia, puta si sit mala connexio ultimæ propositionis cum prima: similiter nequaquam distingvenda est Consequentia; sed Consequens; puta si sit ambiguum, aut dubium, an hæc propositio, quæ tanquam Consequens post notam illationis ponitur, sit connexa cum prima, & ritè ex ea, ùt notiori inferatur. Circa species Argumentationis.

4. Quid consequens & consequentia.

5. Quid sit inductio.

Nota tertiò: Ab Aristotele *2. Prior. cap. 13. & 1. Poster. cap. 1.* quatuor assignari species Argumentationis, videlicet Syllogismum, Inductionem, Enthymema, & Exemplum. Quibus alij addunt Dilemma, & Soritem; alij præterea etiam Ascensum, & Descensum. *Syllogismus* definietur *sequenti quæstione. Inductio* est coacervatio plurium propositionum, quibus ex extraordinario eventu elicitur, & inducitur consequentia universalis v. g. si sic discurras; *Romulus non diu tulit fratrem imperij consortem, nec Pompejus Cæsarem, nec Augustus Antonium, nec aliquis alius, cujus memoria ad nos pervenisset: Ergo nemo est, qui consortem imperij diu ferat.*

6. Quid enthymema.

Enthymema (quod est Syllogismus truncatus, eò quòd una propositio subintelligatur in mente, in structura autem ejus omittatur) est discursus duabus duntaxat constans propositionibus, quarum posterior ex priori infertur; v. g. si sic ratiocineris, *Plato est homo: Ergo Plato est animal rationale.*

7. Dilemma.

Dilemma (quod & bicornis Syllogismus vocitatur) est discursus constans duabus propositionibus disjunctivè, harum si alterutram concedat respondens, necessariò deprehenditur, & arguens assequitur intentum; talem speciem Dilemmaticam argumenti proposuêre Christo Judæi, ut eum caperent in sermone, quando interrogârunt Matt. *22. licet tributum dare Cæsari, an non?* nam si Christus respondisset, *licet*, fecissent cum plebi odiosum,

sum, quasi præjudicaret Judæorum libertati, si respondisset *non licet*, tunc eum tanquam reum læsæ Majestatis ad Judices detulissent.

8. *Sorites*. *Sorites* est discursus ex pluribus propositionibus ita confectus, ut prædicatum præcedentis propositionis in subsequenti fit subjectum, & sic deinceps, donec perveniatur ad quandam ultimam, cujus prædicatum uniatur per illationem cum subjecto primæ propositionis, v. g. si sic ratiocineris, *homo est animal; animal est vivens; vivens est corpus; corpus est substantia; Ergo homo est substantia*.

9. *Exemplum*. *Exemplum* est discursus, in quo argumentum à facto alterius procedit, & ad idem operandum incitat: Talis est illa argumentatio D. Augustini, *poterant hi, poterant hæ, & tu Augustine non poteris?* Item hæc, *D. Franciscus coluit paupertatem, castitatem, & Obedientiam; D. Antonius coluit eadem; & multi alij Fratres Minores illa coluere: Ergo & nos eadem colere debemus*.

10. *Ascensus*. *Ascensus* est discursus, quò post sufficientem enumerationem singularium tandem ascenditur ad conclusionem universalem; v. g. si dicatur *Plato est rationalis; Socrates est rationalis; Plautus est rationalis: Ergo omnis homo est rationalis*.

11. *Descensus*. *Descensus* est argumentatio, quâ à superiori descenditur ad inferiora, v. g. sic, *homo est rationalis: Ergo & Plato est rationalis, & Plautus est rationalis, & Socrates est rationalis*. Et alius est Copulativus; alius Disjunctivus. *Primus* fit, si intertexatur propositionibus terminus copulativus, seu copula *Et*, dicendo v. g. omnis homo est risibilis, & admirativus: Ergo etiam Plato est risibilis, & admirativus. *Secundus* fit, quando intertexitur disjunctio *vel*; aut *nec*; v. g. sic, homo nec est lupus, nec est psittacus: Ergo nec Plato est lupus, vel psittacus.

DISTINCTIO IV.

De Syllogismo ut sic.

PRÆFATIO.

Syllogismi structuram potissimè attendit Dialectica; eò quòd sit perfectissima species Argumentationis, & Modus sciendi aptissimus, ad quem reliqua hactenus dicta de terminis, propositionibus, definitionibus, divisionibus, & cæteris ordinantur. Hunc post multas speculationes se primum invenisse refert Aristoteles; & idcirco in fine Elenchorum *postulat, ut sibi meritò referantur gratiæ pro ejusdem inventione, atque exacta pertractatione. Hoc instrumento sciendi, & discurrendi mens humana â plurimis purgatur erroribus, veritas genuina rerum eruitur, & Hæreticorum, aliorumque Erronum falsæ doctrinæ refelluntur, & eliduntur. Quare sit.*

QUÆSTIO I.

De quidditate; materia, & forma Syllogismi.

1. Quid nominis Syllogismus.

Nota primò: Syllogismus ethymologicè consideratus idem sonat, quod *Sermocinatio*, quasi continens sermonem artificiosum alicujus ignoti manifestativum: ab Aristotele vocatur nunc ratiocinatio, nunc discursus, nunc argumentatio; eò quòd ratio humana per eum artificiosè ratiocinetur, discurrat, & arguat, unum ex alio inferendo. Secundùm verò Dialecticam usurpationem.

2. Definitur Syllogismus.

Dico primò: Rectè definitur Syllogismus ùt sic, *est oratio in qua quibusdam positis aliud quiddam ab his, quæ posita sunt, necessariò sequitur, eò quòd hæc sunt.* Ita Philosophus. *1. Prior. cap. 1. & 1. Top. 1.* & Communis Dialecticorum.

Probat: Hæc definitio appositè explicat naturam Syllogismi ùt sic. Ly *Oratio* est genus, in quo convenit Syllogismus cum alijs speciebus argumentationis; reliqua collocantur pro differentia, in quibus disconvenit. Intelligitur autem nomine *Orationis* hic oratio composita ex pluribus propositionibus. Dicitur *in qua quibusdam positis*, id est in qua positis duabus præmissis propositionibus, dispositis in debito modo, & figura; per quod differt Syllogismus ab Enthymemate, Inductione &c. in quibus nō attenditur debitus aliquis modus, vel dispositio figuræ. Dicitur *aliud quiddam ab his quæ posita sunt*, id est conclusio, quæ à duabus præmissis procedit, & ab eis distinguitur. Additur *necessariò sequitur, eò quòd hæc sunt*, hoc est dicere, quòd virtute formæ Syllogisticæ necessariò deducatur memorata conclusio; eò quòd extrema præmissarum sint debitè unita cum medio, atque ita deinde etiam uniantur inter se; & unum in conclusione rectè prædicetur de altero: Talis Syllogismus est hic, *Omnis homo est animal rationale; Sed Plato est homo; Ergo Plato est animal rationale.*

3. Syllogismus ut quit rigorosè definiri.

Objicies: Doctor Subtilis *1. Post. q. 5.* negat Syllogismum posse definiri: Ergo vana est definitio in conclusione assignata. Respondeo interpretando Doctorem Subtilem, & dico, eum *locò citatò* solùm negare, quòd Syllogismus non possit definiri definitione rigorosâ, quæ datur de solo strictè reali positivo ente incomplexo, ùt monet idem Doctor *4. Dist. 1. q. 2.* non autem negat, quòd non possit definiri definitione latè accepta, quæ descriptio dicitur, & entibus non strictè realibus competit, cujusmodi est Syllogismus. Circa alterum articulum quæst.

4. Materia Syllogismi sunt termini, & propositiones.

Nota secundò: Ut Syllogismus sit legitimus, probus, & bonus, debet constare debitâ materiâ, & debitâ formâ. *Materia* autem Syllogismi dicitur illa, ex qua materialiter componitur ipse Syllogismus. Hujusmodi est duplex, Proxima, & Remota. *Proxima* sunt illæ tres propositiones, ex quibus immediatè Syllogistica fabrica formatur. *Remota* sunt termini, ex quibus coalescunt ipsæ tres propositiones. Hæ Materiæ vocantur etiam materialia Syllogismi.

5. Quid Major Minor, & Conclusio.

Nota tertiò: Prima propositio materiæ proximæ in Syllogismo vocatur *Major*, sive quia in ea est majus extremum positum; sive quia in ea extat majus robur Syllogismi. Secunda vocatur *Minor*, vel quia in ea reperitur minus Extremum; vel quia in ea extat minus robur Syllogismi. Hæ duæ propositiones vocantur *Præmissæ*, quia præmittuntur tertiæ. Tertia vocatur *Conclusio*, sive quia concludit intra se duo Extrema, priùs in Majori, & Minori medio termino unita; sive quia concludit intentum argumentantis per Syllogismum. Hæc propositio ponitur semper post notam illationis, *Ergo, igitur, &c.*

6. Quid majus Extremū minus Extremū, & medius terminus.

Nota quartò: Materiam Remotam Syllogismi, & consequenter omnē Syllogismū debere constare tribus duntaxat terminis; & si plures ponātur, est Syllogismus vitiosus, poreftque audacter negari ejus Consequentia. Unus istorum trium terminorum vocatur Majus Extremū, alter minus Extremum, tertius Mediū seu medius terminus; ex his ùt formentur tres propositionis, omnes tres termini debent bis repeti; ut patet in Exemplo statim allegando. Ratio autem est; quia in bono Syllogismo affirmativo in conclusione debet osten-

oſtendi, & inferri, quòd duo Extrema ſint inter ſe coñexa propter connexionem, quam habent cum aliquo tertio: quare priùs unum Extremum, Majus ſcilicet, debet connecti cum illo tertio, & ſic reſultat prima propoſitio, conſtans duobus terminis, ſcilicet uno Extremo, & Medio; deinde debet alterum quoque Extremum connecti cum eodem tertio, & ſic conſurgit ſecunda propoſitio, conſtans altero Extremo; tandem ipſa Extrema debent inter ſe connecti; & habetur tertia propoſitio, conſtans duobus terminis: Extremis ſcilicet repetitis, quæ ideo inter ſe benè connectuntur, quia priùs connexa fuêre in Medio termino, tanquam in aliquo tertio; v. g. in iſto Syllogiſmu, *omnis homo eſt animal: ſed Plato eſt homo; Ergo Plato eſt animal.* Ly *animal* eſt majus Extremum, ly *Plato* eſt minus Extremum, & ly *homo* eſt Medius terminus, cum quo, quia in præmiſſis bene connexa fuêre duo Extrema *animal, & Plato*, ideo in Concluſione quoque inter ſe bene connectuntur. In ſyllogiſmo verò negativo, Medium cum uno Extremo debet conjungi, & ab altero disjungi, ad hoc ut disjunctio ipſorum Extremorum à ſe invicem ſequatur in Concluſione; & ſic quoque non niſi tres termini ſunt ponendi, & tres propoſitiones ex eis conſurgentes

7. Collocatio 3. terminorum.

Nota quintò: Majus Extremum in Syllogiſmis directè concludentibus ponitur ſemper pro prædicato in Majori; minus verò Extremum pro ſubjecto in Minori; ùt patet in mox allato Syllogiſmo. Medius autem terminus debet nequaquam ingredi concluſionem, ut dicam uberiùs *infrà quæſt. 5.* Interea breviter Ratio datur; quia propter unionem Extremorum cum Medio, Extrema in concluſione inter ſe debent uniri, adeóque ipſe ibidem locum non habet. Circa tertium articulum quæſt.

8. Forma Syllogiſmi, eſt diſpoſitio terminorũ, & propoſitionum.

Nota ſextò: Formam Syllogiſmi appellari illas diſpoſitiones, ſeu ordinationes, quas debent habere tum termini inter ſe quo ad ſubjectionem, & prædicationem, tum ipſæ etiam propoſitiones quo ad debitam quantitatem, & qualitatem. Prima diſpoſitio vocatur Figura, ſecunda Modus; de his plura *infrà quæſt. 3.* Hæ formæ etiam vocantur principia formalia Syllogiſmi; eò quòd inſtar principii, ſeu cauſæ formalis inhæreant principiis materialibus, de quibus ſuprà, & eadem forment, & actuent ſuo modo, ut exinde debita fabrica Syllogiſmi conſurgat.

QUÆSTIO II.

De Varia Diviſione Syllogiſmi.

1. Quid ſit Syllogiſmus categoricus, & hypotheticus, ejusque ſpecies.

NOta primô: Syllogiſmũ ut ſic primò dividi in ſimplicem ſeu Categoricum; in Hypotheticum; & in Modalem. *Simplex ſeu Categoricus Syllogiſmus* eſt, qui conflatur ex tribus ſimplicibus ſeu categoricis propoſitionibus; talis eſt hic, *omnis homo eſt rationalis: ſed Plato eſt homo: Ergo Plato eſt rationalis. Hypotheticus* eſt, qui conflatur ex pluribꝰ propoſitionibꝰ hypotheticis, vel ſaltẽ una hypothetica, quæ ſit principalis, talis eſt iſte; *ſi Plato eſt rationalis, eſt riſibilis: Sed eſt rationalis; Ergo eſt riſibilis.* Hypotheticus alius eſt Conditionalis, alius Copulativus, & alius Cauſalis, qui tales dicuntur propter appoſitionẽ particularum vel conditionalis *ſi*, vel disjunctivæ *vel*, aut copulativarum *&*, *atque* &c. aut cauſalis *quia*, quibus conſtant propoſitiones, componentes ejuſmodi Syllogiſmos; horum explicatio patet ex explicatione ſuprà data de propoſitionibus Hypotheticis, *Diſt: 2. q. 3. notab. 4.* *Modalis* eſt; qui conſurgit ex tribus propoſitionibus, affectis aliquô ex iſtis quatuor Modis, neceſſe, impoſſibile, contingẽs, poſſibile nõ; talis eſt iſte, *omnem hominẽ eſſe animal eſt neceſſe: ſed Plato eſt homo; Ergo Platonem eſſe animal eſt neceſſe.* In his modus appoſitus non computatur pro uno ex tribus terminis neceſſarijs ad bonam fabricam Syllogiſmi. Item ſi in eis ambæ præmiſſæ ſint modales, etiam concluſio debet eſſe modalis. Item ſi utraque præmiſſa fuit affecta Modô *Neceſſe*, etiam concluſio debet eô affici. E contra ſi ambæ præmiſſæ ſint affectæ modô *contingens* in ſecunda figura nõ bene concluditur; unde malus eſt iſte Syllogiſmus, *eſt contingens nullum riſibile ambulare: ſed eſt contingens omnem hominem ambulare: Ergo eſt contingens nullum hominem eſſe riſibilem.*

No-

Nota secundò: Syllogismus Categoricus, seu Simplex alius est Demonstrativus, seu Scientificus; alius Dialecticus, Topicus, Probabilis, seu Opinativus, quæ sunt Synonima; & alius tandē Expositorius. *Demonstrativus* est, qui conflatur ex præmissis certis, veris, necessarijs, causisq; conclusionis, talis est hic; *omne animal rationale est risibile: Sed Plato est rationalis: Ergo Plato est risibilis.* Dicitur *Demonstrativus*, quia rem quæsitam ad oculum monstrat esse talem. *Dialecticus* est, qui componitur ex præmissis probabilibus duntaxat; talis est iste; *omnis mater diligit suos filios: sed Anna est mater: Ergo Anna diligit suos filios. Expositorius* est, qui rem aliquam dilucidè, & clarè exhibet per assumptionem termini singularis; talis est iste; *Plato est doctus: sed hic homo est Plato: Ergo hic homo est doctus.*

2. *Quid demonstrativus; & dialecticus.*

Nota tertiò: Syllogismus ut sic præterea dividitur in Formalem; & Objectivum. *Formalis* sunt ipsæ operationes, seu actus intellectûs, quibus Syllogizamus circa aliqua objecta rationabilia. *Objectivus* verò sunt ipsa objecta rationabilia, circa quæ intellectus Syllogizat, & discurrit, ut indicat Scotus. 1. *Post. q. 22.*

3. *Quid formalis & objectivus.*

Nota quartò: Iterum Syllogismus partitur in Perfectum, & Imperfectum. *Perfectus* Syllogismus dicitur ille, qui ita clarè, limpidè, & intelligibiliter est fabricatus, ut non egeat ad sui intellectum ullò aliò expositorio, aut emendatoriò in modo arguendi; tales sunt omnes Syllogismi confecti in quatuor modis primæ Figuræ. *Imperfectus* est ècontra, qui eget unò, aut pluribus expositorijs, aut reductorijs secundùm figuram, & modum perfectiorem; tales sunt omnes modi omnium trium Figurarum, præter primos quatuor primæ Figuræ.

4. *Perfectus, & imperfectus.*

Nota quintò: Syllogismus pariter alius vocatur Ostensivus, alius Ducens ad impossibile; de quorum via, & artificio infrà; alius Circularis; alius ex obliquis. *Ostensivus* est, qui adhibetur ad emendandum Syllogismum imperfectum per conversionem, aut transmutationem propositionum, modò infrà præfigendò. *Ducens ad impossibile* est, quo negans efficaciam Syllogismi alicujus ad eas deducitur angustias, ut cogatur fateri aliquid impossibile, v. g. duo Contraria, aut Contradictoria simul esse vera. *Circularis* est ille, in quo postquam probata fuit ex aliquo principio conclusio in uno, rursus ex conclusione illa probatur principiū; v. g. postquam in uno Syllogismo probata fuit hæc conclusio: Plato est rationalis, ex eo quòd sit risibilis; si rursus probetur Platonem esse risibilem, ex eo quòd sit rationalis, fit Syllogizatio Circularis. *Syllogismus* tandem *ex Obliquis* est, qui habet pro medio, vel extremo, aliquem casum obliquum, talis est iste; *omnis entis datur scientia: sed homo est ens: Ergo hominis datur scientia.*

5. *Ostensivus, circularis &c.*

Nota sextò: Dari quoque quosdam alios Syllogismos, qui vocantur Sophistici, seu apparentes, seu litigiosi, & sunt spurij syllogismi: & quosdam qui vocantur Pseudographi. *Syllogismus Sophisticus* (de quo infrà in particulari quæst.) est, qui procedit ex apparentibus esse vera, aut necessaria, aut probabilia; quæ tamen non sunt vera, neque necessaria; neque probabilia; talis est iste, *quidquid non amisisti habes: sed cornua non amisisti: Ergo cornua habes. Pseudographus* Syllogismus est, qui fit ex proprijs principijs malè intellectis; talis est iste, *omnes semicirculi sunt æquales: sed semicirculi majores, & minores sunt semicirculi: Ergo sunt æquales.* Major intelligitur à Mathematicis de semicirculis ejusdem circuli; non autem diversi circuli, ut intendit argumentum.

6. *Sophisticus, & pseudographus.*

QUÆSTIO III.

De Figuris, & Modis Syllogismi.

Nota primò: Sicut in compositione corporea hominis, vel alterius compositi boni partes corporeæ certis, coaptantur formis, & figuris; ita pariter in structura artificiosa Syllogismi termini, qui sunt partes ejus remotæ sub varijs quasi formis coadunantur, resultantibus ex varia Medij termini suppositione; quæ formæ à Dialecticis dicuntur Figuræ Syllogismorum.

1. *Quid sit Figura Syllogismi*

Dico primò: Bene describitur Figura Syllogismi, quòd sit *debita dispositio Medij termini cum Extremis, secundùm debitam subjectionem, & prædicationem in duabus præmissis alicujus Syllogismi.* Ita communis Dialecticorum.

Pro-

Probat. Hæc definitio constat genere, & differentiâ, aliisque conditionibus bonæ definitionis: Ergo &c. Ly *debita dispositio* est genus; reliqua dantur pro differentia. Dicitur *dispositio medij termini cum Extremis*, ad differentiam Modi Syllogistici, qui est dispositio ipsarum propositionum; Additur *secundùm debitam subjectionem, & prædicationem &c.* ad designandum rationem Figuræ Syllogisticæ in eo potissimè sitam esse, ut Medius terminus aptè construatur cum Extremis in ratione prædicati, & subjecti. Circa quam constructionem.

2. *Tres tantū extant distinctæ Figuræ.*

Nota secundò: Quia Medius terminus potest sub triplici differentia construi, & combinari cum duobus Extremis Syllogismi; ideo triplex ab Aristotele, & communi Peripateticorum assignatur Figura Syllogismi. *Prima* habetur, quando Medium in una præmissa est subjectum, & in altera prædicatum, v. g. si sic syllogizetur; *omnis substantia est ens: sed omnis arbor est substantia: Ergo omnis arbor est ens*: In hoc Syllogismo, quia ly *substantia* est Medium, & ponitur in Majori pro subjecto; in Minori verò pro prædicato, ideo hic Syllogismus est in prima Figura. Secunda habetur, quando Medium in utraq; est prædicatum, v. g. si sic ratiocineris; *nullus homo est lapis: sed aliquod marmor est lapis; Ergo aliquod marmor non est est homo.* Ubi Medius terminus *lapis* bis prædicatus efficit secundam Figuram. *Tertia* habetur, quando Mediū tam in Majori, quàm in Minori statuitur pro subjecto v. g. si arguas sic; *omnis homo est rationalis: sed omnis homo est risibilis; Ergo aliquod risibile est rationale;* ubi ly *homo* Medius terminus bis subjectus facit tertiam Figuram distinctam. Triplex hæc varia dispositio termini Medij, & Figurarum diversitas signatur hoc carmine.

Sub, Præ, prima; bis Præ secunda; tertia bis, Sub.

3. *Refellitur Figura quarta Galleni.*

Nota tertiò: Gallenum cum suis Medicis (quibus nonnulli etiam ex Peripateticis, ut Tartaretus, Roccus, Camerar. Blanc. &c. subscripsêre) asserere, præter tres jam explicatas Figuras, adhuc aliam distinctam, quæ idcirco *quarta Galleni* vulgò dicitur; & consistit in hoc, quòd Medium prædicetur in Majori, & subjiciatur in Minori dicendo v. g. *omnis homo est animal: sed omne animal est substantia; Ergo omnis homo est substantia.* Verùm cùm Philosophus *1. Prior. cap. 2.* Et Doctor Subtilis *1. Prior. q. 34.* Averroës, Zabarella, aliique Veteres, & communis, maximè Scotistarum tres duntaxat differentes Figuras admittat, idcirco quarta Galleni est repudianda; cujus rationem optimam reddit Doctor Subtilis *locô citatô*; quia videlicet dispositio Medij non potest essentialiter diversificari, nisi præfatis tribus modis *priori notabili* expressis: Ergò cum in quarta Figura Galleni Medium secundum primum modum disponatur, idcirco ab illa Figura prima Peripatetica non distingvitur, quæ essentialiter in hoc consistit, ut Medium semel sit subjectum, & semel prædicatum, sive sit subjectum in Majori, & prædicatum in Minori, sive prædicatum in Majori, & subjectum in Minori, quod non diversificat Figuram. Circa alterum punctum quæstionis.

Nota quartò: Cùm non obstante inventione trium Figurarum prænominatarum, latus adhuc sit campus ad errandum in dispositione Mediorum; propterea Philosophus intra certos terminos intellectum Syllogizantem concludit, quibus conclusio evidenter infertur; & hi vocantur *Modi*, eò quòd modificent Syllogismos secundùm quantitatem, & qualitatem propositionum.

Dico secundò: Benè definitur Modus Syllogisticus, *est debita dispositio propositionum Syllogismi secundùm debitam quantitatem, & qualitatem.* Ita communis Dialecticorum.

4. *Quid sit modus Syllogisticus.*

Probat: Hæc definitio convenit omni, & soli; habétque alia requisita ad bonam definitionem Modi Syllogistici: Ergo, &c. Ly *debita dispositio*, ponitur locô generis; reliqua locô differentiæ. Dicitur *dispositio propositionum* ad differentiam Figuræ Syllogisticæ suprà enucleatæ: & ut detur intelligi per Modos aptari ipsas propositiones, ut debitam formam sortiantur. Additur *secundùm debitam quantitatem, & qualitatem*; ut ostendatur in quo consistat ratio essentialis Modi, videlicet ut non omnes præmissæ in qualitate sua sint negativæ; sed una aliqua sit affirmativa; item ut non omnes in quantitate sint particulares; sed aliqua sit universalis.

Nota quintò: Modi utiles, & ad concludendum idonei sunt numerô novem-

vemdecim; puta novem primæ Figuræ; quatuor secundæ Figuræ; & sex tertiæ Figuræ. Ex his aliqui dicuntur *Directi*, seu rectè concludentes; eò quòd majus Extremum prædicetur in conclusione de minori Extremo, v. g. in hoc Syllogismo; *omne corpus est substantia: Sed omnis arbor est corpus; Ergo omnis arbor est substantia.* Aliqui *Indirecti*, seu indirectè concludentes; eò quòd minus Extremum in conclusione prædicetur de majori Extremo, v. g. in hoc; *omne corpus est substantia: sed omnis lapis est corpus: Ergo aliqua substantia est lapis.* Rursus ex his Modis aliqui sunt *Perfecti*, & sunt soli quatuor primæ Figuræ; dicuntur tales quia ita clarè dispositi sunt, ut statim veritas consequentiæ appareat; siquidem directè concludunt. Aliqui sunt *Imperfecti*; quia obscurè concludunt, & sunt reducibiles ad quatuor Perfectos. Suntque reliqui quinque primæ Figuræ, & omnes alij tum secundæ, tum tertiæ Figuræ. Omnes porro Modi utiles Peripatetici tam Perfecti, quàm Imperfecti exhibentur sequentibus versibus.

5. *Novemdecim idonei modi cõceduntur, ex his perfecti, & imperfecti sunt.*

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum,
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Nota sextò: Quamlibet ex his dictionibus repræsentare unum ex novemdecim Modis, puta *Barbara* primum modum primæ Figuræ; *Celarent* secundum; *Darij* tertium ejusdem Figuræ; & sic deinceps. *Ad primam Figuram* pertinent isti, Barbara, Celarent, Darij, Ferio, qui sunt Directi, & soli Perfecti Modi, clarè scilicet, & directè concludentes: item ad eandem Figuram spectant Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum, qui sunt Indirecti, & Imperfecti Modi, indirectè concludentes; sicut & omnes alij sequentes concludunt. *Ad secundam* pertinent Cesare, Camestres, Festino, Baroco. *Ad tertiam* spectant Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

6. *Versuũ modos continentium explanatio.*

Nota septimò: Præfatas dictiones Modorum repræsentativas omnes esse trisyllabas, quibus tres propositiones Syllogismi denotantur; prima Syllaba denotat Majorem, secunda Minorem, tertia Conclusionem, v. g. in Barbara, ly *Bar.* designat Majorem, ly *Ba* Minorem, ly *Ra* Conclusionem; & licet in *Baralipton*, & *Frisesomorum* contineantur plures Syllabæ; tamen finales id est ly *ton*, & *orum* additæ sunt solùm gratiâ carminis complendi.

Nota octavò: In istis tribus Syllabis cujuslibet distinctionis certæ vocales continentur, puta A. E. I. O significativæ quantitatis, & qualitatis ipsarũ propositionum; A. significat suam propositionẽ esse universalem, & affirmativam; E. universalem, & negativam; I. particularem, & affirmativam; O. particularem, & negativam, juxta versus tritos Dialecticorum.

Asserit A; negat E; sunt universaliter ambæ.
Asserit I; negat O; sunt particulariter ambæ.

Exempli gratiâ, quia in Modo *Barbara*, continentur in omnibus tribus Syllabis tria A. A. A. idcirco omnes tres propositiones debent esse universales, & simul affirmativæ; v. g. in isto Syllogismo; *omne animal est vivens; sed omnis homo est animal: Ergo omnis homo est vivens*: & sic discurrendum de alijs vocalibus, correspondentibus alijs Modis.

QUÆSTIO IV.

Proponuntur Exempla in omnibus novemdecim Modis trium Figurarum.

Nota primò: Ut Tyrones ex inspecta idea, ac exemplari Dialectico expeditiùs Syllogizare valeant in omnibus Modis prælibatis triuni Figurarum, propono sequentia Exempla, exordiendo à 4. Modis Directis, & Perfectis primæ Figuræ, in qua Medius terminus semel subjicitur, & semel prædicatur, juxta illud: *Sub, præ, prima.*

Modi quatuor Directi primæ Figuræ.

I.

Bar Omne animal est vivens:
ba Sed omnis homo est animal:
ra. Ergo omnis homo est vivens.

Ce-

I I.

Ce Nulla arbor est rationalis:
la Sed omnis Cerasus est arbor;
rent. Ergo nulla Cerasus est rationalis.

I I I.

Da Omne corpus est substantia;
ri Sed aliquod animal est corpus:
i. Ergo aliquod animal est substantia.

I V.

Fe Nullum animal est expers vitæ:
ri Sed quidam leo est animal;
o. Ergo quidã leo nõ est expers vitæ.

Modi quinq; Indirecti primæ Figuræ.

I.

Ba Omne animal est substantia:
ra Sed omnis homo est animal;
lipton. Ergo quædã substantia est homo.

I I.

Ce Nullum brutum est rationale:
lan Sed omnis canis est brutum;
tes. Ergo nullum rationale est canis.

I I I.

Da Omne vivens est substantia:
bi Sed aliquod animal est vivens:
tis. Ergo aliqua substantia est animal.

I V.

Fa Omne animal est corpus;
pes Sed nullus lapis est animal:
mo. Ergo aliquod corpus non est lapis.

V.

Fri Quoddam animal est substantia:
se Sed nullus color est animal:
somorũ. Ergo quædam substantia non est color.

Modi quatuor Secundæ Figuræ.

In his quatuor Modis Mediũ bis prædicatur juxta illud, *bis, præ secunda.*

I.

Ce Nulla planta est rationalis:
sa Sed omnis homo est rationalis:
re. Ergo nullus homo est planta.

I I.

Ca Omnis homo est animal:
mes Sed nullus lapis est animal;
tres. Ergo nullus lapis est homo.

I I I.

Fes Nullus lapis est sentiens:
ti Sed aliquis homo est sentiens:
no. Ergo aliquis homo non est lapis.

I V.

Ba Omne animal est vivens:
ro Sed aliquis lapis non est vivens:
co. Ergo aliquis lapis non est animal.

Modi sex tertiæ Figuræ.

In sequentibus sex Modis Medius terminus bis subjicitur, juxta illud; *tertia bis sub.*

I.

Da Omnis homo est animal:
rap Sed omnis homo est rationalis:
ti. Ergo aliquod rationale est animal.

I I.

Fe Nullus homo est planta:
lap Sed omnis homo est rationalis:
ton. Ergo aliquod rationale non est planta.

I I I.

Di Aliquod animal est corpus:
sa Sed omne animal est vivens;
mis. Ergo aliquod vivens est corpus.

I V.

Da Omne animal est vivens;
ti Sed aliquod animal est rationale:
si. Ergo aliquod rationale est vivens.

V.

Bo Aliqua arbor non est animal;
car Sed omnis arbor est corruptibilis:
do. Ergo aliquod corruptibile non est animal.

V I.

Fe Nullus lapis est accidens:
ri Sed aliquis lapis est substantia;
son. Ergo aliqua substantia non est accidens.

QUÆSTIO V.

De Principijs Generalibus; & Legibus Syllogismi.

1. Quid sit esse principium generale Syllogismi.

N Ota primò: Per Principia Generalia Syllogismi Dialectici intelligi illas rationes communes fundamentales, quibus omnis ars Syllogistica innititur, & è quibus omnis Syllogismus bonus suam perfectionem, evidentiam, atque certitudinem sortitur in con-

G

concludendo, assignant autem communiter sequentis.

2. *Primum principium generale.* Primum Principium generale: *quae sunt eadem uni tertio, sunt etiam eadem inter se;* in hoc principio (quod Metaphysicum est) teste Scoto *1. dist. 2. q. 4. & q. 7. §. ad primum* fundatur universa structura Syllogismorum affirmativorum; & ab eodem sic explicatur, *quaecunque aliquâ identitate sunt eadem alicui, illâ tali identitate inter se sic sunt eadem, quòd non potest concludi aliqua identitas Extremorum inter se, nisi secundùm illam identitatem, quâ sunt eadem Medio, & Medium in se sic sit idem.* Itaque utSyllogismi affirmativi veridicè fabricentur juxta hoc principium, debent duo Extrema in Praemissis priùs ritè uniri cum tertio, scilicet Medio, ad hoc ut in conclusione veridicè inter se uniantur; ut ampliùs dictū est suprà, *quaest. 1. Notab. 4.* Illa porro unio in conclusione non erit major, vel minor, quàm fuerit utriusque cum Medio; v. g. ut bene inferatur, Platonem esse animal, debet sic dici, *Omnis homo est animal: sed Plato est homo: Ergo Plato est animal.*

3. *Secundum.* Secundum Principium generale: *quorum unum est idem cum tertio, & alterum non, illa non sunt eadem inter se.* In hoc Principio Metaphysico stabilitur fabrica Syllogismorum negativorum; & facit hunc sensum; ut Syllogismi negativi legitimè construantur, & debitè concludant, debent Extrema in conclusione non uniri; sed unum de altero negari; eò quòd unum eorum in praemissis non fuit unitum cum Medio; v. g. ut bene inferatur, Platonem non esse lapidem, debet sic dici, *nullum animal est lapis: Sed Plato est animal: Ergo Plato non est lapis.*

4. *Tertium.* Tertium Principium generale est: *Dici de omni;* hoc principium generale inservit Syllogismis affirmativis regulandis; & facit hunc sensum; quidquid universaliter affirmatur, in Syllogismo affirmativo, seu praedicatur de aliquo ejus subjecto, affirmatur, & praedicatur etiam de quolibet inferiori contento sub tali Subjecto; unde quia *ly animal* affirmatur, & praedicatur de homine; idcirco etiam affirmatur, & praedicatur de quolibet individuo sub hoc contento sic v. g. *Plato est animal, Petrus est animal, Joannes est animal &c.*

5. *Quartum principium.* Quartum Principium generale: *dici de nullo;* hoc principio generali gubernantur Syllogismi negativi, & facit hunc sensum; quidquid universaliter negatur de aliquo subjecto in syllogismo negativo, negatur etiam de quovis inferiori contento sub tali subjecto; unde quia ly *arbor* negatur de *homine*, propterea etiam negatur de quovis individuo hominis; v. g. *Plato non est arbor, Socrates non est arbor, Plautus non est arbor &c.* Circa Leges probi Syllogismi.

6. *Prima lex boni syllogismi.* Nota secundò: Ut Syllogismi fabrica ritè constituatur, Dialectici sequentes etiam praescripsêre Leges. *Prima Lex est*, ut non omnes propositiones Syllogismi sint particulares; nam vi formae syllogisticae nihil concluditur ex particularibus. Ratio hujus Legis est; quia in particularibus propositionibus Medium non completè distribuitur; id est non accipitur secundùm totam suam universalitatem, & latitudinem; sed incompletè; id est secundùm partem tantùm: & idcirco ex vi connexionis cum Medio Extrema ipsa inter se connecti non possunt absolutè: unde malus est iste Syllogismus; *aliquod animal est homo: Sed aliquis canis est animal: Ergo aliquis canis est homo;* quia ly *animal* non distribuitur completè; sed accipitur tantùm pro una specie animalis: ut autem completè distribueretur, deberet sic in Majori dici, *omne animal est homo;* sed tunc propositio redditur falsa. Haec Lex fundatur in illo principio *dici de omni.* Possunt tamen omnes propositiones syllogismi esse singulares, & vi formae concludere; uti fit in syllogismo Expositorio; ratio est: quia Medium in ejusmodi argumento, cùm sit singulare, summitur secundùm se totum.

Dixi *ex meris particularibus vi formae Syllogistica nihil concludi;* quia vi materiae aliquando concluditur; v. g. in isto syllogismo; *aliquod animal est substantia: Sed aliquis homo est animal: Ergo aliquis homo est substantia.*

7. *Secunda lex.* *Secunda Lex* est; ut non omnes propositiones syllogismi sint negativae; *nam vi forma Syllogistica ex puris negativis nihil sequitur.* Ratio hujus Legis est; quia in merè negativo syllogismo Medium nunquam conjungitur cum Extremis; cùm tamen cum uno deberet esse conjunctum, & ab altero disjunctum, ut subsit ratio, cur Extrema inter se deinde disjun-

juncta ponantur: unde malus est iste syllogismus; *nulla arbor est sentiens: sed nullus homo est arbor; Ergo nullus homo est sentiens;* quia ly *arbor* nec in Majori, nec in Minori conjungitur cum aliquo Extremo. Hæc lex fundatur in illo principio generali, *dici de nullo.*

8. Tertia lex.

Tertia lex est; Ut si una præmissarũ sit particularis, seu specialis, conclusio quoq; inferatur particularis; item si una earum sit negativa; Conclusio pariter ponatur negativa; nam *conclusio sequitur semper debiliorẽ partẽ*, cujusmodi sunt propositio particularis, & negativa in concursu universalis, & affirmativæ. Ratio est; quia præmissæ sunt causa conclusionis, & conclusio est earum effectus; effectus autem debiliorem partem suæ causæ prosequitur; ùt patet in agentibus naturalibus, concurrentibus ad eundem numero effectum, ubi effectus assimilatur particulari, & inferiori; v. g. homo genitus suo patri, & non Soli, vel DEO, ut rectè observat Scotus *1. dist. 3. q. 7.* unde malus est iste Syllogismus; *Omnis homo est rationalis: sed aliquis lapis non est homo; Ergo omnis lapis est rationalis;* quia debet negativè, & simul particulariter inferri sic: *Ergo aliquis lapis non est rationalis.*

9. Quarta lex.

Quarta lex; ut Medius terminus non ingrediatur conclusionem. Ratio est; quia aliàs conclusio non differret ab alterutra præmissarum, sicq; causa ab effectu non distingueretur; quod est contra communem doctrinam Philosophorum: tum quia officium Medij termini est conjungere duo Extrema in præmissis; & propterea bis ponitur in ipsis, ut deinde Extrema ipsa in conclusione collocari, & connecti queant. Unde malus est iste syllogismus; *Omnis homo est animal: Sed Plato est homo; Ergo Plato est homo.*

10. Quinta lex.

Quinta Lex est; Ut Medium in aliqua præmissarum perfectè distribuatur; tunc autem distribuitur perfectè; quando vel est subjectum alicujus præmissæ universalis affirmativæ; vel prædicatum universalis negativæ, defectu hujus Legis malus est hic syllogismus; *aliquod animal est hinnibile: Sed omnis equus est animal: Ergo aliquis equus est hinnibilis.*

11. Sexta lex.

Sexta lex est; Ut in Medio, & Extremis non varientur proprietates, & affectiones terminorum; quare non debent usurpari æquivocè, ampliari in uno, & in altero restringi, aliàs procederetur à termino magis amplo ad minùs amplum; quod vetitum est in bonis syllogismis: neque in conclusione debet distribui aliquis terminus, qui non fuit distributus in præmissis; aliàs procederetur à non distributo ad distributum; quod pariter in bonis syllogismis detestandum. Ratione hujus malus est iste syllogismus; *omnis homo est substantia: Sed nullus canis est homo: Ergo nullus canis est substantia;* quia ly *substantia* in Majori non est distributum, id est universaliter acceptum; sed pro ea duntaxat substantia, quæ in homine reperitur; in conclusione autem est distributum, & accipitur etiam pro eo, quod est in cane. Ratio generalis totiùs istius Legis est; quia aliàs inducerentur quatuor termini in argumentum; eò quòd aliter & aliter usurpetur aliquis terminus, dum fit æquivocatio, ampliatio, restrictio, & distributio. Omnes enumeratæ Leges pro faciliori retentione memoriæ inclusæ sunt sequentibus versibus.

Nil sequitur puris ex Particularibus unquam.
Ex q; Negativis nil bene conficitur.
Si specialis adest, nihil hinc generale sequetur.
Si præmissa Negans, inde ferenda Negans.
Conclusis Medium non includatur oportet.
Completò Medium distribuisse decet.
Latius & nullam sumat conclusio vocem.
Quam præmissa aliquo sumpserit ante loco.

QUÆSTIO VI.

De Regulis particularibus trium Figurarum.

1. Prima Figuræ prima regula.

Nota primò: Dialectici pariter pro Syllogismi cujuslibet Figura in particulari determinatas præfixerunt Regulas, observandas quotiescunque quis syllogizare intendit in Modis earundem Figurarum. Pro prima Figura extant duæ sequentes. *Prima Regula* est, ut in syllogismis factis in aliquo Modorum Directorum primæ Figuræ Major sit universalis; aliàs nihil sequi-

quitur in conclusione. Ratio Scoti *tract. 4. Sum. part. 1. lect. unica* est; quia Major in Syllogismis directè concludentibus debet procedere distributivè, ita nimirum ut medium distributivè sumatur; aliàs argueretur à non distributo Majoris ad distributum conclusionis, contra regulam generalem sextam *priori quæst.* adductam. Defectu hujus regulæ malus est iste Syllogismus; *aliquod animal est irrationale: Sed omnis homo est animal: Ergo aliquis homo est irrationalis;* quia Major non est universalis.

2. Secūda regula primæ Figuræ.

Secunda Regula primæ Figuræ est, ut in syllogismis Modorum Directorum primæ Figuræ Minor non sit negativa. Ratio est; quia aliàs in conclusione, quæ ob negativam Minorem deberet esse quoque negativa, distribueretur aliquis terminus, qui non fuit distributus in præmissis, & sic procederetur à non distributo ad distributum; quod est contra Legem generalem Syllogismi sextam *priori quæst.* datam; nam majus Extremum non distribuitur in Majori; quia hæc deberet esse universalis affirmativa; cum Minor foret Negativa; in universali autem affirmativa prædicatum non distribuitur, in conclusione verò distribueretur; quia esset universalis negativa, in qua per signum negativum distribuitur tam subjectum, quàm prædicatum; cùm negatio sit malignantis naturæ, & neget de subjecto quidquid invenit post se. Defectu hujus Regulæ nō est bonus iste Syllogismus, *omnis homo est corpus: Sed nullus canis est homo: Ergo nullus canis est corpus;* quia Minor est negativa. Hæc duæ Regulæ concluduntur sequenti carmine.

Sit Minor affirmans; nec Major particularis.

3. Secunda Figuræ prima regula.

Nota secundò: Pro secunda Figura extant pariter duæ Regulæ. *Prima* est, ut Syllogismi in Modis secundæ Figuræ confecti non constent meris affirmativis universalibus propositionibus; v. g. similibus; *Omnis canis est substantia: Sed omnis equus est substantia: Ergo omnis canis est equus;* Ratio est, quia medium v. g. *Substantia* non distribuitur; cùm debeat esse bis prædicatum in hac Figura; prædicatum autem non distribuitur in affirmativa universali: nam dum dicitur; *omnis canis est substantia*, non est sensus, quòd sit omnis substantia.

4. Secunda regula ejusdem Figuræ.

Secunda Regula; Major ex præmissis non sit particularis; unde malus est iste Syllogismus; *aliqua substantia est corpus: nullus spiritus est corpus: Ergo nullus spiritus est substantia.* Ratio est; quia in conclusione aliquis terminus, puta majus Extremum *Substantia* distribuitur, qui non est distributus in præmissis; & sic datur Antecedens verum, & Consequens falsum; quod est inconveniens. Utraque regula recensetur hoc carmine.

Præmissa una negat; nec Major particularis.

5. Tertia Figura prima regula.

Nota tertiò: Pro tertia Figura extant similiter duæ Regulæ. *Prima* est, ut syllogismi fabricati in modis tertiæ Figuræ constent Minori affirmativa. Ratio est; quia aliàs aliquis terminus distribueretur in conclusione, qui non fuit distributus in præmissis; unde malus iste Syllogismus; *omnis canis est substantia: Sed nullus canis est leo: Ergo aliquis leo non est substantia;* quia ly *substantia* distribuitur in conclusione ratione negationis, quæ est malignantis naturæ, cùm in Majori non sit distributum; quia Major est universalis affirmativa, in qua prædicatum nunquam distribuitur.

6. Secūda regula.

Secunda Regula est; In Syllogismis istius Figuræ conclusio semper debet esse particularis. Ratio est eadem, quæ in priori regula; nam si conclusio esset universalis, aliquis terminus distribueretur in conclusione, qui non est distributus in præmissis; unde est vitiatus iste Syllogismus; *omne animal est vivens: Sed omne animal est corpus: Ergo omne corpus est vivens;* quia ly *corpus* distribuitur in conclusione, & non in præmissis. Utraque ista regula comprehenditur isto carmine.

Sit Minor affirmans; conclusio particularis.

QUÆSTIO VII.

De Reductione Syllogismi per viam Ostensivam.

1. Quid sit reductio per viam ostensivam; & quis ejus finis.

Nota primò: Suprà *quæst. 3.* dictum est, solos primos quatuor modos primæ Figuræ, videlicet, *Barbara, Celarent, Darij, Fe-*

Ferio, esse perfectos, id est directè, & ita clarè concludentes, ut veritas conclusionis neminem latere valeat: alij autem omnes modi sunt imperfecti; quia indirectè, & non ita clarè inferunt conclusionem; quare egent limatione, & reformatione quadam, ut & ipsi perfectionentur. Pro hoc autem excogitavit Philosophus, & sequitur Doctor Subtilis *Quodl. 2. & quæst. 12. prædicam.* duas vias, Reductionis scilicet Ostensivæ; & Reductionis per Impossibile. *De Prima* in præsenti quæstione agetur. Describitur autem Reductio ùt sic, quòd *sit alicujus Syllogismi, in modo imperfecto facti revocatio ad Syllogismum in modo perfecto constructum*; seu commutatio quædam Syllogismi in perfectum ex quatuor modis primæ Figuræ.

2. *Primum requisitum ad reductionem ostensivam.*

Nota secundò: Primam viam ideo vocari *Reductivam Ostensivam*, quia in ea ostendimus, & quasi digitò monstramus evidentiam, atque efficaciam conclusionis, secutam ex revocatione Syllogismi imperfecti ad perfectum. Ut ejusmodi Reductio ritè instituatur: *Primò* investigandum est, in quo modo imperfecto Syllogismus imperfectus, & meritò reducendus sit confectus; nam si confectus sit in modo, qui habet initialem litteram B. cujusmodi est *Baralipton*, reducendus est ad modum perfectum, qui gaudet simili litterâ initiali, scilicet ad *Barbara*; si sit confectus in modo imperfecto incipienti à litera C. reducendus est ad perfectum ab eadem littera exordientem, puta ad *Celarent*; si sit fabricatus in modo D. reducendus est ad *Darij*, si tandem sit constructus in F. reducendus est ad *Ferio*.

3. *Limitatio prioris.*

Nota tertiò: Ab ista doctrina communi excipiendos esse Syllogismos confectos in duobus modis imperfectis, *Baroco*, & *Bocardo*, qui per viam ostensivam ad *Barbara* non possunt reduci; sed per Reductionem ad impossibile. Ratio est; quia constant duabus propositionibus particularibus negativis, quæ neque per conversionem, neq; per transmutationem reddi possunt universales affirmativæ sicuti debent esse propositiones in modo perfecto *Barbara* repertæ.

4. *Secundum requisitum.*

Nota quartò: Præterea ut facili negotiò ista Reductio ostensiva in praxi succedat; *Secundò* investigandum est, quas ex istis quatuor litteris S. P. M. C. modus ille imperfectus, in quo confectus est Syllogismus imperfectus, & meritò reducendus post aliquam vocalem, non autem initialiter, contineat; & talis littera indicabit reformationem ipsarum propositionum talis Syllogismi necessariò faciendam, ut evadat perfectus; vel notabit aliam viam reductionis; v. g. si adsit in modo imperfecto S. in *Darisi*, indicat propositionem immediatè præcedentem istam litteram puta secundam, debere converti simpliciter; si adsit P. ut in *FelaPton* propositionem præcedentem converti per accidens; si adsit M. ut in *CaMestres* denotat præmissas esse transmutandas, ita ut ex Minori fiat Major, & è contra: si tandem adsit C. post aliquam vocalem, uti in *BaroCo*, & *BoCardo* solis (nam C. in initio modi, ut in Cesare, Camestres, & Celantes non attenditur) denotat Syllogismos in his modis non ostensivè, sed per impossibile posse reduci, juxta vulgatos versus Dialecticorum,

S. vult simpliciter verti; P. verò per acci


M. vult transponi; C. per impossibile duci.

Cape exemplum hujus Reductionis per viam Ostensivam ex Modo imperfecto Celantes, in quo si hunc imperfectum Syllogismum cudisses, *nullus homo est lapis: Sed omne rationale est homo; Ergo nullus lapis est rationalis*: reduc eum propter C. initialem litteram ad *Celarent*; & propter S. post tertiam vocalem positum converte conclusionem simpliciter, & inferes evidenter, atque clarè sic; *nullus homo est lapis: Sed omne rationale est homo: Ergo nullum rationale est lapis.*

5. *Calculatio Modorum pro expedita reductione ostensiva fabricanda.*

Nota quintò: Ut autem Tyrones expeditè sciant, ad quem perfectum modum quisque imperfectus reducendus sit Ostensivè, pono calculationem sequentem; *Baralipton* efficitur *Barbara*, si solam conclusionem per accidens convertas. *Dabitis* efficitur *Darij*, si pariter solam conclusionem simpliciter convertas. *Fapesmo* fit *Ferio*, si Majorem per accidens convertas, Minorem convertas simpliciter; & transmutes præmissas, statuendo pro Majori Minorem, & Minorem pro Majori. *Frisesomorum* fit quoque *Ferio*, si ambas præmissas convertas simpliciter; & easdem deinde transmutes faciendo ex Majori Minorem, & è contra. *Cesare* efficitur *Celarent*, si Majorem solam conver-

tas simpliciter. *Camestres* efficitur quoque Celarent; si Majorem, & Conclusionem convertas simpliciter; & deinde transmutes inter se præmissas. *Festino* efficitur *Ferio*, si solam Majorem convertas simpliciter. *Darapti* efficitur *Darij*, si solam Minorem convertas per accidens. *Felapton* efficitur *Ferio*, si solam quoque Minorem per accidens convertas. *Disamis* efficitur *Darij*, si Majorem convertas simpliciter, & transmutes præmissas. *Datisi* pariter efficitur *Darij*, si Minorem convertas simpliciter. *Ferison* tandem efficitur *Ferio*, si solam Minorem simpliciter convertas. *Celantes* efficitur *Celarent*, si sola conclusio convertatur simpliciter. Quod totum in annexo schemate relucet sub Fig. III.



QUÆSTIO VIII.

De Reductione per viam ad Impossibile.

1. Quid reductio per viam ad impossibile.

NOta primò: Altera via limandi, & perficiendi Syllogismos imperfectos, seu obscuros vocatur ideo *Reductio ad Impossibile*; quia ad impossibile compellit; quando nimirum per reformationem Syllogismi vigore *Reductionis ad impossibile* ità constringitur protervus respondens, & negans aliquam conclusionem aliàs bonam, ut cogatur quandoque contraria, quandoque planè contradictoria admittere esse simul vera; quod est impossibile. Reductio ista fit pariter sicut ostensiva per revocationem syllogismi imperfecti ad aliquem perfectum, ex quatuor primis Modis primæ Figuræ. Circa quem

2. Primum documentū pro instituenda reductione ad Impossibile.

Nota secundò: Ut in ista via præfata revocatio debitè fiat, & legitimè procedatur ab argumentante, observanda sunt sequentia. *Primò*, si respondens protervè neget aliquam conclusionem alicujus Syllogismi imperfecti, illico investigandum est, in quo Modo, & Figura sit Syllogismus, cujus conclusio negatur; quod colligitur ex dispositione Medij in præmissis, ac ex universalitate, & particularitate trium propositionum; hôc habitò ulterius investigandum est ad quem modum ex quatuor præfatis primæ Figuræ reducatur, quod facilè rescitur beneficiò hujus versus vulgaris, à Dialecticis ad hunc finem excogitati.

Phabifer axis; obit terras; spherámque quot annis.

In quo versu bene observandæ sunt, tum ipsæ dictiones, tum vocales in dictionibus contentæ. Dictiones primæ duæ *Phebifer axis* denotant primos quinque modos imperfectos primæ Figuræ, puta *Baralipton*, *Celantes*, *Dabitis*, *Fapesmo*, *Frisesomorum*, quorum cuilibet ex illis duabus dictionibus correspondet una syllaba, videlicet primo Modo Baralipton ly *Pha*; Secundo Modo Celantes ly *bi*, tertio Dabitis ly *fer*, & sic deinceps. Secundæ duæ dictiones *Obit terras* denotant per suas quatuor syllabas quatuor modos imperfectos secundæ Figuræ, scilicet *Cesare*, *Camestres*, *Festino*, *Baroco*; nam per ly *ob* denotatur *Cesare*; per *it* Camestres; & sic de alijs. Tertiæ tandem dictiones, *Spherámque quot annis* denotant per suas syllabas imperfectos sex Modos tertiæ Figuræ, nimirum *Darapti*, *Felapton*, *Disamis*, *Datisi*, *Bocardo*, *Ferison*, ita ut ly *sphe* significet *Darapti*; ly *ram* Felapton; & sic successivè.

3. Secundum documentum ad idem.


Observandæ quoque sunt in dictionibus præfati vulgaris versûs quatuor istæ vocales A. E. I. O. quæ statim monstrant, ad quem modum perfectum aliquis Syllogismus in imperfecto modo factus, reduci debeat; si enim tali modo imperfecto v. g. *Baralipton* correspondeat vocalis ista E. in PhoEbifer, sicut revera correspondet juxta paulò ante dicta; tunc Syllogismus in eo confectus reducendus est ad illum modum perfectum, qui desinit, seu in sua finali syllaba habet E. puta *CelarEnt*; si autem modo imperfecto v. g. *Celantes* correspondeat I. in PhæbIfer; tunc Syllogismus in eo fabricatus reducendus est ad illum modum perfectum, qui habet in sua syllabâ finali I. & est *DarIl*. Si modo imperfecto correspondeat in versu O. Syllogismus reducendus est ad modum perfectum similiter desinentem videlicet ad *FeriO*. Si tandem modo imperfecto v. g. *Fapesmo* correspondeat in versu A. tunc Syllogismus reducendus est ad modum perfectum tali vocali terminatum, qui est *BarbarA*.

4. Calculatio modorum ad quos fit hæc reductio.

Nota tertiò: Ut autem novelli Dialectici absque fatigiosa reflexione super præfatas dictiones, & vocales allegati versûs statim sciant, ad quem perfectum modum imperfectus hâc viâ reduci debeat, pono sequentem calculationem; ex primis quinque modis imperfectis primæ Figuræ Baralipton reducitur ad *Celarent*; Celantes ad *Darij*; Dabitis ad *Celarent*; Fapesmo ad *Barbara*; Frisesmo ad *Darij*. Ex modis quatuor secundæ Figuræ Cesare revocatur ad *Ferio*: Camestres ad *Darij*, Festino ad Celarent: Baroco ad *Barbara*. Ex modis sex tertiæ Figuræ Darapti revocatur ad *Celarent*: Felapton ad *Barbara*, Disamis ad *Celarent*: Datisi ad *Ferio*; Bocardo ad *Barbara*: Ferison ad *Darij*; tota hæc calculatio relucet in annexo Schemate, sub Fig. IV, in quo lineæ tenuiores ex quindecim modorum imperfectorum conclavibus ductæ usque ad cameram alicujus modi perfecti, signant ad quem reduci debet imperfectus quilibet modus.

No-

fig: IV.


Baralipton
Maior fit Minor, et Contradictorium ponitur pro Majori.
Celantes
Minor fit Maior; et Contradictorium pro Minori ponitur
Dabitis
Major fit Minor; et Contradictorium fit Maior.
Ferison.
Locô Maioris ponitur Contradictorium; et Minor manet
Fapesino.
Maior fit Minor, et Contradictorium fit Maior.
Bocardo.
Locô Maioris ponitur Contradictorium et Minor manet
Frisesomorum
Maior fit Minor; fit Contradictio Maior
Datisi
Locô Maioris ponitur Contradictorium; et Minor manet
Cesare.
Maior manet; et locô Minoris ponitur Contradictorium
Disamis
Locô Maioris ponitur Contradictio; et Minor manet
Camestres
Maior manet; et locô Minoris ponitur Contradictorium
Felapton.
Locô Maioris ponitur Contradictio; et Minor manet
Darapti.
Locô Maioris ponitur Contradictorium; et Minor manet
Baroco
Maior manet; et locô Minoris ponitur Contradictorium.
Festino
Maior manet; et locô Minoris ponitur Contradictorium
PhoE
bI
fEr
A
nIs
An
sIs
quOt
O
quE
bIt
rAm
SphE
rAs
Er
BarbarA.
CelarEnt.
DarI.
FerIO

4. *Regulæ pro singulis modis Figurarum.*

Nota quartò: Posteaquam ex præfata doctrina, & inspectione præmissi schematis deprehensus est Modus perfectus primæ Figuræ, ad quem reduci debet ille imperfectus, cujus conclusionem protervus respondens negavit; ulteriùs pro legitima ejusdem Reductione attendendæ sunt certæ regulæ, omnibus modis imperfectis trium Figurarum præscriptæ, & reperiuntur insertæ schemati mox allato, exprimunturque certis versibus, ut sequitur.

Pro Modis imperfectis primæ Figuræ.
Major fit Minor; fit Contradictio Major;
Excipe *Celantes*, in quo convertitur ordo.

Pro Modis imperfectis secundæ Figuræ.
Servat Majorem; variatque secunda Minorem.

Pro Modis imperfectis tertiæ Figuræ.
Tertia Majorem variat; servatque Minorem.

In quibus ultimis duobus versibus, ly *variare Majorem*, vel *Minorem*, idem est, ac locò Majoris, vel Minoris substituere contradictoriam conclusionis negatæ in Syllogismo aliquo imperfecto: & ly, *in quo convertitur ordo* in secundo versu positum significat, hunc modum *Celantes* non gubernari communi regulâ aliorum modorum imperfectorum primæ Figuræ, quæ est, servare hunc ordinem inter situm propositionum, ut Major fiat Minor; & è contradictoria propositione fiat Major, sed mutatur hic ordo, & Minor fit Major; contradictoria verò fit Minor.

5. *Praxis totius Reductionis.*

Nota quintò: Itaque si contingat protervum respondentem negare aliquam consequentiam syllogismi imperfecti, sub prætextu, quòd non fit in debita forma Syllogistica illata; statim argumentans assumat contradictoriam propositionem istius negatæ consequentiæ, eamque juxta regulas datas *in notabili 4.* cum altera ex præmissis jam concessis construat in aliquo modo perfecto, secundùm doctrinam præscriptam *in notabi. 2. & 3.* & tandem inferat conclusionem contradictoriam alicui ex præmissis concessis syllogismi imperfecti, quo factò constringetur Respondens vel negare, quòd concesserat priùs; vel concedere duo contradictoria; vel saltem contradictoria simul esse vera. Cape exemplum hujus reductionis, si v. g. Respondens neget consequentiam, seu conclusionem factam istius syllogismi in modo imperfecto *Cesare*; *nullus lapis est risibilis: Sed omnis homo est risibilis: Ergo nullus homo est lapis;* assumat statim Arguens hujus consequentiæ negatæ contradictorium hoc; *Ergo aliquis homo est lapis*; & statuat id pro Minori; cùm *Cesare* sit modus imperfectus secundæ Figuræ, in qua contradictorium juxta regulas datas debet fieri Minor: Majorem verò allati syllogismi conservet in suo loco, & in terminis, ut jacet; & tandem inferat hanc conclusionem, seu consequentiam in modo perfecto *Ferio*, ad quem reducendus est allegatus Syllogismus imperfectus, propter vocalem O. quæ correspondet huic modo *Cesare*; in versu *Phœbifer axis &c.* & signat eum esse reducendum ad modum perfectum in O. desinentem, puta ad *Ferio*; & sic ratiocinetur; *nullus lapis est risibilis: sed aliquis homo est lapis: Ergo aliquis homo non est risibilis;* quæ consequentia est contradictoria Minori, quam Respondens jam concesserat in primo syllogismo; unde cùm hanc contradictoriam tanquam in optima forma, & modo perfecto illatam negare nequeat, cogetur duo contradictoria, puta conclusionem ultimi syllogismi, & Minorem primi syllogismi concedere esse simul vera; aut negare, quòd in primo syllogismo concesserat; quod utrumque est absurdum.

Nota sextò: Summulistas primitiantes in Dialectica, & Logica, non esse plùs solitò angariandos circa frequens exercitium Reductionis sive Ostensivæ; sive ad Impossibile; cùm artificia hæc, etsi in se subtilia, non multùm utilitatis eisdem afferant, neque adeò necessaria sint ad Philophiæ rationalis notitiam capescendam; ex alio verò capite plurimorum memoriam sæpe confundant, opprimant, fatigentque non modicè intellectum, ut bene observat noster P. Lamazares *sect. 7. cap. 1. prioris partis Logicæ.*

DISTINCTIO V.

De Syllogiſmo Demonſtrativo; Topico; & Falſigrapho in particulari.

PRo Summuliſtarum complemento, hanc de Syllogiſmis Demonſtrativo, Topico, & Sophiſtico in particulari ſubjicio diſtinctionem; cùm eorum particularior notitia ſummè proficua, & neceſſaria ſit novellis Dialecticis, volentibus aptè ſyllogizare: afferam autem in præſentiarum ea duntaxat, quæ præcisè hæc Izagoge Dialectica poſtulat pro Tyronum præambula informatione; uberiorem cum Ariſtotele relinquendo diſcuſſionem harum Materiarum ad libros Poſteriorum, Analiticorum, Topicorum, & Elenchorum. Sit itaque

QUÆSTIO I.

De Syllogiſmo Demonſtrativo.

NOta primò: Syllogiſmum Demonſtrativum eſſe omnium Syllogiſmorũ perfectiſſimũ; cùm per eum veluti fæcundam parentem ſcientia de objectis generetur; unde eum Ariſtoteles appellat Syllogiſmum *Epiſtemonicon*, id eſt ſcientialem, ſeu facientem ſcire, vel cauſantem ſcientiam.

1. Definitur Syllogiſmus demõſtrativus.

Dico primò: Bene definitur Syllogiſmus Demonſtrativus ut ſic, quòd *ſit Syllogiſmus confectus ex præmiſſis generantibus ſcientiam.* Deducitur ex Ariſtotele *lib. 1. Poſt. cap. 2.* dicente; *Demonſtratio eſt Syllogiſmus faciens ſcire.*

Probat. Hæc definitio conſtat genere, & differentiâ; cæteriſque legalibus ad bonam definitionem requiſitis: Ergo eâ bene definitur Syllogiſmus Demonſtrativus ut ſic. Ly *Syllogiſmus*, eſt Genus: reliqua collocantur pro differentia hujus Syllogiſmi ab alijs; nam in Topico præmiſſæ generant ſolùm opinionem; & in Sophiſtico errorem.

2. Quid demonſtratio propter quid; & demõſtratio quia.

Nota ſecundò: Syllogiſmum Demonſtrativum ut ſic partiri tanquam in ſpecies in Demonſtrationem *propter quid*; & in Demonſtrationem *quia*; ut habet Philoſophus *citat.* & Scotus *in Prolog. quæſt. 1. num 14.* Prima vocatur paſſim à Philoſopho, & alijs demonſtratio *à priori*, & potiſſima; Secunda Demonſtratio *à poſteriori*. Demonſtratio *propter quid* procedit ſemper per cauſam proximam, & adæquatam tanquam per medium ad demonſtrandum aliquam concluſionem; unde hæc demonſtrat nos ſcire propter quid res hæc, vel illa ſit, v. g. dum volo hac demonſtratione demonſtrare Platonem eſſe riſibilem, debeo aſſumere pro medio rationalitatem, tanquã cauſam proximam, & adæquatam riſibilitatis, & ſic arguere, *omne rationale eſt riſibile: ſed Plato eſt rationalis: Ergo Plato eſt riſibilis.* Demonſtratio *quia* eſt, quæ non procedit per cauſam proximam, & adæquatam; ſed per aliam mediatam, v. g. dum per effectum aliquem, puta paſſionem hominis, riſibilitatem, demonſtro eſſentiam hominis ſic ſyllogizando; *omne riſibile eſt rationale: Sed Plato eſt riſibilis; Ergo eſt rationalis*: vel dum per effectum demonſtro cauſam eſſe.

3. Prima cõditio bonæ demonſtrationis.

Nota tertiò: Philoſophum *1. Poſter. cap. 2.* quinque poſtulare conditiones ad legitimè conficiendam Demonſtrationem, maximè *propter quid*: dum ait,

De-

Demonstratio est Syllogismus procedens ex veris primis, & immediatis, notioribus, prioribus, & causis conclusionis. Primò petit, ut Præmissæ in Demonstratione *sint veræ.* Ratio est; tum quia præmissæ debent esse causa conclusionis veræ; propter quod & ipsæ debent continere veritatem; tum quia præmissæ Demonstrationis causant scientiam, seu conclusionem scientificam tanquam effectum verum: Ergo ipsæ quoque debent præcontinere veritatem. Unde licèt aliquando ex falsis præmissis sequatur verum, v. g. in hac argumentatione; *omnis lapis est animal: Sed omnis homo est lapis: Ergo omnis homo est animal:* hoc tamen est per accidens, & ratione formæ syllogisticæ; non verò per se, & ratione materiæ.

4. *Secunda conditio.*

Secundò petit, ut præmissæ *sint prima, & immediatæ* (intellige formaliter, vel virtualiter, & finaliter) ut explicat Scotus *1. Poster. quæst. 11.* quæ duæ dictiones in præsentiarum pro synonimis sumuntur, & significant præmissas Demonstrationis *propter quid* debere esse formaliter indemonstrabiles à priori, seu per alias propositiones, in eodem genere priores ipsis; tales præmissæ indemonstrabiles sunt, v.g. istæ, *homo est animal rationale; & totum est majus suâ parte:* quia non reperitur propositio prior his, per quam possent demonstrari. Ratio hujus conditionis est; quia si præmissæ demõstrationis *propter quid* non essent primæ, & immediatæ formaliter, seu si possent ulteriùs per alias demonstrari, hæ iterũ possent per alias demonstrari; & sic fieret processus in infinitum, quem bonus Philosophus debet evitare.

Dixi, vel *saltem virtualiter, & finaliter*; quia tametsi in Demonstratione *quia* præmissæ non sint primæ, & immediatæ formaliter; sunt tamen primæ, & immediatæ virtualiter, atq; finaliter continentur in virtute alicujus principij formaliter primi, & immediati; & quatenus tales finaliter sunt resolubiles in aliquas propositiones priores, & indemonstrabiles à priori; & hoc sufficit ad veram Demonstrationem, ut ex Aristotele *1. Top. cap. 1.* docet Scotus *1. Poster. quæst. 11.* aliàs nulla daretur scientia subalternata; tales præmissæ virtualiter, & finaliter primæ immediatæ sunt istæ v. g. *homo est risibilis; homo est flebilis, est admirativus, &c.* quæ finaliter resolvi possunt in hanc formaliter immediatam, *homo est rationalis.*

5. *Tertia cõditio ad idem.*

Tertiò postulat Philosophus, ut præmissæ Demonstrationis *sint priores conclusione.* Ratio est; quia præmissæ sunt causa conclusionis (ut paulò post dicetur) omnis autem causa est ordine, & naturâ prior suo effectu; ut patet de igne A. causante ignem B. Item de Patre generante Filium, &c.

6. *Quarta conditio pro eodem.*

Quartò postulat, ut præmissæ *sint notiores* conclusione. Ratio est; quia conclusio accipit suam evidentiam, & perfectionem, seu notitiam à præmissis, ut causis; quare ipsæ præmissæ debent esse in se evidentiores, & perfectiores, & consequenter notiores, juxta illud vulgare axioma Aristotelis *1. Poster. cap. 2. propter quod unumquodque tale, & illud magis,* (supple) *est tale.* Quod axioma, etsi non possit verificari in omni materia; nam non sequitur, *filius est homo propter Patrem; Ergo Pater est magis homo.* Item non sequitur, *homo est ebrius propter vinum: Ergo vinum est magis ebrium &c.* verificatur tamen hoc axioma in illis, quæ se habent tanquam causa, & effectus (uti se habent præmissæ, & conclusio) adhibitis quibusdam conditionibus; quarum *Prima* est; ut illud prædicatum, seu ratio, quæ dicitur magis causæ convenire, quàm effectui, conveniat utrique formaliter: defectu hujus conditionis nõ verificatur hoc axioma in exemplo allato de ebrietate hominis, & vino. *Secunda* est; ut illa ratio convenientiæ suscipiat majus, & minus: defectu hujus non verificatur hoc axioma in exemplo allegato de Patre, & Filio homine. *Tertia* est; ut causa quæ dicitur *magis talis* non communicet effectui formam illam, secundùm quam dicitur talis, in eodem gradu, quò ipsam possidet: defectu hujus non verificatur hoc axioma in isto exemplo; *aqua calida ut quatuor producit calorem ut quatuor in manu: Ergo aqua calida ut quatuor est magis calida, quàm manus calida ut quatuor.* *Quarta* est; ut illa ratio convenientiæ utriusque sit verè causa per se, & totalis, ob quam ponatur talis effectus: defectu hujus non verificatur hoc axioma in isto exemplo; *pictura est diversi coloris propter pictorem: Ergo ipse pictor est magis diversicolor.* Quando itaque axioma præfatum Aristotelis adhibe-

hibetur cum allatis quatuor conditionibus (pro ut adhibetur in præmissis quâ notionibus respectu conclusionis) optimè verificatur.

7. Quinta conditio.

Quintò postulat Philosophus, ut præmissæ *sint causa conclusionis*. Ratio est; quia scire aliquam rem, est illam per causas cognoscere. Sed tantùm scimus conclusionem per præmissas: Ergo præmissæ debent esse causæ conclusionis.

8. Sexta conditio.

Sextò præterea postulat Aristoteles *1. Poster. cap. 4.* & cum eo Scotus *quæst. 14.* Item *1. dist. 3. quæst. 4.* ut præmissæ Demonstrationis veræ etiam *sint necessariæ*; id est tales, ut in eis prædicatum necessariò conveniat subjecto, & non contingenter; talis est omnis definitio rei quidditativa; item data per proprietates Metaphysicas rei. Ratio est; quia aliàs Syllogismus Demonstrativus non distingveretur à Topico, cujus præmissæ sunt tantùm contingentes, id est tales, in quibus prædicatum contingenter convenit subjecto: Ergo præmissæ in Demonstratione, seu Demonstrativo Syllogismo debent esse necessariæ.

9. Septima.

Septimò petit similiter, ut præmissæ sint *de omni Posterioristico*; ut habet Aristoteles, & Scotus *locis citatis*. Ratio est; quia illa appellatur propositio *de omni posterioristico*, cujus prædicatum de omni inferiori contento sub subjecto, quò constat talis propositio, enunciari potest pro omni temporis differentia, & perpetuitate; talis est hæc; *omnis homo est animal*; sed præmissæ demonstrationis debent esse tales; eò quòd debeant esse necessariæ, ut dictum est: Ergo &c. Propositio autem *de omni Prioristico* est, in qua prædicatum enunciatur de omni inferiori subjecti nullâ habitâ ratione ad differentias, & perpetuitatem temporis; talis haberetur, si omnes homines essent albi, & tunc diceretur, *omnis homo est albus*.

10. Octava.

Octavò tandem postulat, ut præmissæ sint universales incorruptibiles, seu perpetuæ, id est æternæ veritatis propriæ, & per se; seu ut prædicatum in eis per se conveniat subjecto; primum habet Aristoteles *1. Post. cap. 14.* & Scotus ibidem *quæst. 34.* secundum habet Aristoteles *1. Poster. cap. 7.* Et Scotus *ibidem quæst. 14.* Alia puncta tenet quoque Philosophus *1. Poster. cap. 1. 4. & 7.* Ratio primi est; tum quia conclusio in Demonstratione est scientia; scientia autem est universalium *ex 2. de Anima text. 60.* tum quia singularia non habent passiones distinctas à passionibus naturæ universalis; adeoque ex iis non potest constitui Demonstratio: & consequenter ejus præmissæ debent esse universales. Ratio secundi; tum quia rursus conclusio est scientia; scientia autē est de incorruptibilib⁹, seu æternis; ut habet idē Aristoteles *citat.* Ergo præmissæ inferentes conclusionem scientificam, debent esse incorruptibiles, seu æternæ: tum quia præmissæ sunt necessariæ: necessarium autem est incorruptibile: Ergo &c. Ratio tertij est; quia conclusio oritur à præmissis, quarum prædicatum per se conveniat subjecto, ut mox dicetur: tales autem vocantur præmissæ propriæ, seu non alienæ, & extraneæ, in quibus prædicatum extraneum est à ratione subjecti: Ergo &c. Ratio quarti; quia præmissæ demonstrationis sunt necessariæ, ut dictum est; ista autem necessitas dicit aliquem modum per se, quò prædicatum inest subjecto; puta vel quia prædicatum inest ut pars essentialis subjecti; vel ut propria passio subjecti; vel ut forma causans aliquid in subjecto.

11. Nona conditio.

Nota quartò: Ad Demonstrationem ritè conficiendam prærequiri quædam *Præcognita*, quæ præcognosci debent ante Demonstrationis structuram; *omnis enim* (inquit Philosophus *1. Poster. cap. 1.*) (*Doctrina, & disciplina dianoëtica fit ex antecedente cognitione*; & consequenter etiam Demonstratio, quæ est quædam doctrina, & disciplina dianoëtica, id est discursiva cognitio. Tria autem sunt potissima *Præcognita proxima*, subjectum, prædicatum, & præmissæ; quibus præcognitis facilè confici potest Demonstratio.

12. Quid ex parte subjecti, & prædicati præcognosci debeat à Demonstrante.

Nota quintò: *De Subjecto* cognosci debet; *quod sit*, id est, quòd existat; vel secundùm esse actuale, vel possibile, vel futurum; & *quid sit*, sive quantùm ad nominis significationem; sive quantùm ad ejus naturam. Ratio est; tum quia si utrumque ignoretur, intellectus nesciret, quid esset probaturus: tum quia quidditas rei, seu definitio est medium in Demonstratione à priori; & talis quidditas supponit existentiam aliquam rei; adeòque utrumque oportet præcognoscere de Subjecto. Similiter *de Prædicato* memorata duo præcognosci debent. *De Præmissis* præcognosci debet *primò*, quòd sint legitimo ordine, secundùm materiam, & for-

formam coordinatæ: *Secundò*, quòd sint veræ, seu ex principijs veris deductæ.

24. Dici de omni; & dici de nullo, præcognosci debent.

Nota sextò: *Præcognita remota* ante Demonstrationem scienda sunt quædam axiomata, seu Principia lumine naturali nota, qualia sunt illa, quibus dixi supra *Dist. 4. quæst. 5.* omnem artem Syllogisticam initi; ut *dici de omni*; *dici de nullo &c.* horum notitiam debet Demonstrans præ oculis habere, ut ritè conficiat demonstrationes.

24. Medium demonstrationis propter quid est definitio subjecti; Quia verò passionis.

Nota septimò: Medium assumendum in Demonstratione potissima, seu *propter quid* est definitio subjecti; ut habet Scotus hìc *quæst. 56.* non autem definitio passionis, subjecto inhærentis. Ratio est; quia definitio subjecti est causa proxima, & immediata, cur passio aliqua possit demonstrari de subjecto: Ergo talis definitio debet assumi pro medio in Demonstratione potissima. Ant. patet; nam *animal rationale*, quæ est definitio hujus subjecti *hominis*, est causa proxima, & immediata, cur risibilitas, ut passio possit de homine demonstrari: Ergo &c. Medium autem in Demonstratione *quia* assumendum, est vel definitio passionis in subjecto imbibitæ, v. g. definitio rugibilitatis in Leone; vel effectus respectu suæ causæ; v. g. si ex respiratione probetur *aliquod ens esse animal*: vel causa respectu sui effectûs, v. g. si ex præsentia ignis arguatur calor.

QUÆSTIO II.
De Syllogismo Topico.

1. Quid nominis Syllogismus Topicus.

Nota primò: Syllogismus Topicus, sic denominatur à verbo Græco Τόπος quod est *locus* (subintellige Dialecticus) quia enim sunt varia loca, seu sedes (ut paulò post dicetur) ex quibus Dialecticus depromit argumenta probabilia, ideo Syllogismus ex eis desumptus vocatur *Topicus*, seu localis. Dicitur etiam *Dialecticus*, quia ejus usus est frequentissimus apud Dialecticos. Aristoteles eum quoque appellat *Epicherema*, id est aggressionem; eò quòd ad disputationem instituendam aggressum, seu accessum facilem subministrat; nam qui apprimè callet hoc argumentandi genus, de quovis problemate expeditè prò, & contra disceptare valebit.

2. Definitio Syllogismi Topici.

Dico primò: Bene definitur Syllogismus Topicus, *est Syllogismus constans præmissis, probabilitatem duntaxat generantibus.* Deducitur ex Philosopho. *1. Top. cap. 7.*

Probat. Hæc Definitio debitè explicat naturam Syllogismi Topici; Ergo eà bene definitur Syllogismus Topicus. Ly *Syllogismus* est genus; reliqua formant differentiam Topici à Demonstrativo, qui constat præmissis scientiam generantibus.

3. Quid sit esse probabilis propositionem.

Nota autem secundò: Illas præmissas dici generativas duntaxat probabilitatis; quæ sunt tantùm probabiles propositiones; id est tales, quæ quidem hìc & nunc ex motivo rationabili procedunt; nullam tamen præ se ferunt audienti certitudinem, neque evidentiam ex terminis proprijs, neque necessariam connexionem prædicati cum subjecto; tales sunt hæ & similes: *honores sunt procurandi*; *& divitiæ sunt expetendæ.*

4. Gradus probabilitatis.

Nota tertiò: Propositiones probabiles esse multifarias; nam quædam secundùm Aristotelem *locô citat. cap. 7. Probabilia sunt, quæ videntur omnibus* (supple talia) *vel plerisque; vel sapientibus; atque his; vel omnibus, vel plerisq., vel maximè notis, & claris*; modò non sint quædam paradoxa, id est præter omnium opinionem. *Propositio probabilis, quæ omnibus videtur talis*, est v. g. hæc: Parentes amant suas proles; intellige communiter; nam nonnunquam deprehenduntur parentes osores suarum prolium. *Propositio apparens plerisq. probabilis* est v.g. hæc, honores, & divitiæ sunt procurandæ, & expetendæ; subintellige absque delicto. *Propositio probabilis apparens omnibus sapientibus* est v. g. hæc, bona animi sunt præferenda bonis corporis. *Propositio probabilis apparens plerisque sapientibus quà puris Philosophis* est hæc v.g. anima hominis non est mortalis. *Propositio probabilis apparens solis notis, claris, seu sapientibus, quà puris Philosophis* est v. g. hæc; mundus est in tempore creatus: & astra moventur ab Intelligentijs; Dixi *quà puris Philosophis*: nam sapientibus Religione vera Christiana instructis, illæ duæ propositiones, *anima hominis non est mortalis*: *& mundus est in tempore creatus* non apparent probabiles; sed certissimæ, & infallibilis veritatis; quia sunt revelatæ, & articuli fidei.

No-

5. *Sufficit unam præmissam esse probabilem in Topico.*

Nota quartò: Non esse necessè, ut ambæ præmissæ in Syllogismo Topico semper sint generativæ probabilitatis; sed quandoque sufficit, si una sit ejusmodi: nam tunc adhuc ex conclusione erit tantùm quædam probabiliras, & opinio. Ratio est; quia conclusio sequitur debiliorem partem, qualis est una præmissa probabilis in concursu alterius præmissæ scientificæ.

6. *Loca Topica sunt varia.*

Nota quintò: Ut quivis Philosophus de quolibet proposito problemate (id est quæstione in utramq; partem disputabili) thesi, vel propositione expeditè conficere valeat syllogismos Topicos; varia assignantur Loca Topica, quæ sunt certæ *Sedes*, ut loquuntur D.D. seu *Capita, & promptuaria*, ex quibus desumi possunt proportionata media ad argumentandum, contra aliquam partem problematis, thesim, & negatam, vel assertam propositionem. Hujusmodi Loca Topica plura assignantur ab Aristotele, & ejus asseclis. primò autem.

7. *Quid locus Maxima.*

Locus Topicus alius est, qui vocatur Maxima; alius differentia Maximæ. *Locus Maxima* est aliqua propositio generalis, ita evidens, & per se nota, ut ex terminis cuivis intelligenti appareat vera prior, ac notior in illo genere; talis est v. g. hæc, *de quocunque prædicatur aliquod definitum, de eodem etiam prædicatur definitio.* Item *quidquid convenit generi distributo, convenit etiam cuilibet speciei, sub eo contenta.* Appellatur autem *Maxima*, eò quòd sit nata dirigere, plures argumentationes Topicas particulares; v. g. ista prima Maxima *de quocunque prædicatur &c.* nata est dirigere has particulares Topicas argumentationes; *de quocunque prædicatur definitum invidi, prædicatur etiam definitio:* Item *de quocunque prædicantur definita avari, justi, sancti, generosi &c. etiam prædicantur definitiones similium.*

8. *Locus differentia Maxima.*

Locus Differentia Maxima est classis quædam generalis recolligens, & complectens plures propositiones Maximas in eodem genere, & easdem distingvens â propositionibus Maximis contentis in alio genere; â qua etiam distinctione, & differentia sortitus est hic locus nomen *Differentia Maxima*; v. g. *Locus â genere* est generalis classis, complectens omnes Maximas solitas fieri ex Loco â genere, puta has; *cuicunque convenit genus, convenit etiam aliqua species generis:* Item *genus latiùs patet suis speciebus.* Item *genus non includit in suo conceptu formalis differentias &c.* quas, & similes Maximas *Locus à genere* facit differre ab alijs Maximis, formatis per *Locum â specie*, vel *â proprio*, vel *â causis*, vel *ab oppositis*, & alijs.

9. *Quid sit Locus differentia Maxima intrinsecus, extrinsecus & medius.*

Nota sextò: Locus Topicus Differentia Maximæ est famosissimus, & multiplex; nam primò subdividitur in Intrinsecum; Extrinsecum; & Medium. *Locus Intrinsecus* est, qui præbet medium ex ijs, quæ pertinent ad intrinsecam constitutionem, & substantiam rei; vel quæ concomitantur substantiam rei: prioris generis sunt *Locus â definitione; Locus â descriptione, &c.* *Locus Extrinsecus est*, qui subministrat argumentum, seu mediū terminū ab ijs; quæ planè sunt sejuncta ab intrinseca ratione, & substantia rei; tales sunt, *Locus ab oppositis, Locus â Majori ad minus, &c.* *Locus medius* est, ex quo petitur medium, quod partim est conjunctum cum substantia rei, partim verò dejunctum; tales sunt, *Locus â conjugatis; Locus â casibus &c.* de quibus omnibus *in sequenti quæst.*

QUÆSTIO III.

Omnia Loca Topica in particulari elucidantur.

1. *Quid locus â definitione ad definitum.*

NOta primò: Inter Loca Intrinseca ex ijs, quæ pertinent ad substantiam rei, principalis est Locus *â definitione ad definitum*; ex isto quatuor sequentia eruuntur Media, seu argumenta, inservientia ad probandam aliquam propositionem Dialecticam: primum est, *quidquid affirmatur de aliqua definitione; affirmatur pariter de subjecto definito*, v. g. quia de definitione hominis, quæ eum dicit esse *animal rationale*, bene affirmatur, quòd *sit risibile*; etiam de homine definito bene affirmatur, quòd *sit risibilis*, juxta hoc argumentum; animal rationale est risibile: Ergo & homo est risibilis. Secundum argumentum ex hoc Loco est, *de quocunque affirmatur definitio, de eodem quoque affirmatur*

tur definitum v. g. Suhſtantia eſt ens per ſe ſubſiſtens : Ergo corpus eſt eus per ſe ſubſiſtens. Tertium eſt; *quidquid negatur de definitione, negatur etiam de definito*, v. g. nullum animal rationale eſt inanimatum ; Ergo nullus homo eſt inanimatus. Quartum, *de quocunque negatur definitio, itidem negatur definitum* v. g planta uou eſt auimal rationale : Ergo planta nou eſt homo. Iſte Locus Topicus *à Definitione* (qui aliàs etiam eſt Demonſtrativus, ſeu præbens argumentum Demonſtrativum) tunc tantùm cenſetur eſſe Topicus, quando aſſumitur definitio aliqua, de qua hìc & nuoc uon conſtat, quòd ſit vera, propria, & eſſentialis definitio rei; aut quando non conſtat prædicatum cnoclufionis convenire definitioni ſubjecti; aut definitionem prædicati concluſionis convenire ſubjecto : quod proportione ſervata etiam intelligi debet de alijs Locis Topicis, aliàs etiam ſubminiſtrantibus argumenta neceſſaria.

2. Locus à deſcriptione ad deſcriptum.

Nota ſecuudò : Alter Locus Intrinſecus eſt *à Deſcriptione ad deſcriptum ;* ex hoc quatuor pariter formari poſſunt argumenta ; ſicut à Definitione. Et adhibetur Locus iſte tunc, quando non conſtat de propria, & eſſentiali definitione ; unde naturam rei explicare oportet per deſcriptinnem, adhibendo proprietates, & accidentia varia; cujuſmodi ſunt in homine deſcribendo *riſibilitas, flebilitas, admirativitas, mortalitas, corruptibilitas, mobilitas, &c.*

3. Locus à notatione ad notatum.

Nota tertiò : Tertius Locus Intrinſecus eſt *à Notatione ad notatum* ; in hoc proceditur ex ethymologia nominis ſic, v. g. omnis qui pollet Chriſti nomine, debet colere Chriſtum : ſed Chriſtianus pollet Chriſti uomine ; Ergo debet colere Chriſtum. Ex hoc loco eadem fermè depromi poſſunt argumenta, quæ ex prioribus duobus.

4. Locus à toto univerſali ad partem ſubjectivā; & è contra.

Nota quartò : Inter Loca Intrinſeca, & ex ijs, quæ concomitantur ſubſtantiam rei, primus eſt Locus *à toto univerſali ad partem ſubjectivam*; ſeu *à genere ad ſpeciem ;* ex hoc licet arguere negativè, & formatur iſta Maxima, *à quocunque removetur totum univerſale, ſeu genus, etiam removetur pars ſubjectiva, ſeu ſpecies*, v. g. lapis non eſt animal : Ergo lapis non eſt homo. Secundus Locus priori è regione correſpondens eſt à *parte ſubjectiva ad univerſale ;* ſeu *à ſpecie ad genus :* Hinc licet arguere affirmativè : & cuditur iſta Maxima, *quidquid affirmatur de parte ſubjectiva, ſeu ſpecie; affirmatur etiam de ſuo univerſali, ſeu genere ;* v. g. homo currit : Ergo animal currit.

5. A toto integrali ad partē integralem; & è contra.

Nota quintò : Tertius Locus eſt *à toto integrali ad partem integralem ;* ex iſto licet argumentare affirmativè ; & eruitur hæc Maxima, *ſi totum integrale eſt ; partes integrantes principales habet ;* v. g. ſi palatium eſt, parietes ſunt. Quartus Locus iſti correſpondens eſt, *à parte integrali ad totum integrale ;* ex iſto licet arguere negativè, & formatur iſta Maxima, *deſtructa parte integrali principali, deſtruitur totum* ; v. g. paries non eſt : Ergo palatium non eſt.

6. A toto in quantitate ad partē; & è cōtra.

Nota ſextò : Quintus Locus eſt *à toto in quantitate, ad partem in quantitate* : accipitur autem hìc totum quantitatis pro aliquo univerſali, quod ſigno univerſali afficitur; quale eſt v. g. Ly *omne animal* : *pars* verò *in quantitate* accipitur pro aliquo, quod includitur in toto, & afficitur ſigno particulari; quale eſt v. g. Ly *aliquis homo*. Ex Loco itaque à toto in quantitate tenet argumentū affirmativè, & negativè ; & cuduntur iſtæ duæ Maximæ: Prima, *quidquid affirmatur de toto in quantitate, affirmatur de omnibus, & ſingulis partibus*, v. g. Omnis avis volat : Ergo & aquila volat, & alauda volat, &c. Secunda, *quidquid negatur de toto, negatur quoq; de omnibus, & ſingulis partibus*, v. g. nullus lapis vivit ; Ergo neque marmor vivit, neque ſilex vivit, &c. Sextus Locus huic correſpondens eſt, *à partibus in quantitate, ad totum in quantitate ;* ex hoc tenet argumentum affirmativè, & negativè ſub iſtis Maximis. Prima, *quidquid affirmatur de omnibus partibus ſimul ſumptis, affirmatur de toto in quantitate*, v. g. aquila volat, ciconia volat, hirundo volat, & reliquæ volant : Ergo omnis avis volat. Secunda, *quidquid negatur de omnibus partibus ſimul ſumptis, negatur pariter de toto in quantitate*, v. g. ſilex non eſt animatus, marmor non eſt animatum, & reliqui lapides non ſunt animati : Ergo nullus lapis eſt animatus.

7. A toto in modo ad partem in modo ; & è contra.

Nota ſeptimò : Septimus Locus eſt *à toto in modo, ad partem in modo.* Intelligitur autem per *totum in modo* aliquid commune non modificatum, neque de-

ter-

terminatum aliquo accidentali determinativô; tale est, v. g. *homo*, ut abstrahit ab albo, nigro, & similibus accidentibus modificantibus, & determinantibus. Per *partem in modo* intelligitur aliquid jam modificatum, & determinatum est, v. g. homo albus, niger. Ex isto ergo Loco formatur hæc Maxima tantùm negativa; *destructô totô in modo, destruitur qualibet ejus pars*, v. g. Plato non est musicus: Ergo non est musicus magnus, vel eximius. Octavus Locus isti correspondens est, *à parte in modo, ad totum in modo*; hinc consurgit ista Maxima: *quidquid affirmatur de parte in modo, affirmatur quoque de toto in modo*, v. g. Scotus est subtilis Philosophus: Ergo est Philosophus.

8. A toto in loco ad partē in loco; & è contra.

Nota octavò: Nonus Locus est *à toto in loco, ad partem in loco*. Per *totum in loco* intelligitur aliquid, quod omnem locum significat; tale est ly *ubiq*, & similia. Per *partem in loco* intelligitur aliquid, quod partem loci significat, quale est ly *hic, ibi*, &c. Per istum Locum proceditur ad argumentandum affirmativè, & negativè per istas Maximas; Prima est, *cuicunq, convenit totum in loco, convenit etiam pars in loco*, v. g. Si DEUS est ubique Ergo etiam est hic. Secunda est, *à quocunque removetur totum in loco, removetur etiam pars*, v. g. Chymæra nullibi sedet: Ergo neque hic sedet. Decimus Locus huic correspondens est *à parte in loco, ad totum in loco*, & dat hanc tantùm Maximam negativam, *à quo removetur pars in loco, removetur etiam totum in loco*, v. g. Plato non moratur hic, nec ibi, nec alibi: Ergo moratur nullibi.

9. A toto in tempore ad partē; & è contra.

Nota nonò: Undecimus Locus est *à toto in tempore, ad partem temporis*; & valet tum affirmativè; v. g. DEUS est omni tempore: Ergo etiam est in tempore præsenti: tum negativè; ut Antichristus nullô adhuc tempore existit: Ergo neque istô existit. Duodecimus isti correspondens est *à parte temporis, ad totum in tempore*, v. g. DEUS operatur in præsenti tempore, præterito, & futuro: Ergo operatur in omni tempore.

10. Locus causæ ad effectum; & primo materialis.

Nota decimò: Duodecimus Locus est *causæ ad effectum*; dicitur autem *causa* illud, quod communicat aliquod esse alteri, seu quod influit in esse alterius. Sic Pater dicitur causa filij, quia ei communicat esse. *Effectus* verò vocatur illud alterum, quod recipit esse, v. g. filius respectu patris. Quatuor porro causæ assignantur à communi Philosophorum, materialis, formalis, efficiens, & finalis, quæ varias præbent maximas. Materialis rursus alia est ex qua, id est ex qua efficitur aliud: alia in qua, id est in qua, ut in subjecto fit aliud; alia tandem circa quam, id est circa quam ut objectum fit operatio. Ex *materiali ex qua*, cuditur hæc Maxima; *illud, ex quo fit aliud transeunter, transmutatur in aliud*, v. g. ex vino fit acetum: Ergo vinum transmutatur in acetum. Ex *materiali in qua* cuditur ista; *illud quod exigit nobiliorem materiam, in qua fit, est perfectius*, v. g. species intelligibilis exigit fieri in intellectu: Ergo est perfectior specie visibili. Ex *materiali circa quam* construitur ista Maxima; *quod habet nobilius objectum circa quod versatur, est perfectius*; v. g. Theologia versatur circa DEUM: Ergo est perfectior scientia.

11. Causa formalis ad effectū.

Causa formalis alia est essentialis, id est constitutiva rei, v. g. anima hominis; alia accidentalis, id est non constitutiva, sed adventitia rei, ut albedo hominis. *Ex Causa formali essentiali* petitur hæc Maxima; *positâ causâ formali essentiali*, vel *eâ remotâ, ponitur, vel removetur effectus*, v. g. anima est in corpore Platonis: Ergo in eo est vita; & non est anima in Platone: Ergo non est vita. *Ex causa formali accidentali* consurgit ista; *positâ causâ formali accidentali in subjecto, denominatur ab ea subjectum; & eâ amotâ non denominatur*; v. g. albedo informat facarum: Ergo denominatur album. Item ista, *forma accidentalis perfecta perficit suum subjectum*; v. g. Plato habet scientiam Logicalem: Ergo est doctus.

12. Causa efficientis ad effectū.

Causa efficiens est, quæ aliud producit: ex hac elici possunt variæ Maximæ. Prima; *positâ causâ efficienti bonâ, vel malâ, sequitur effectus bonus, vel malus*; v. g. voluntas Archangeli Michaelis est recta: Ergo rectè operatur. Item voluntas Luciferi est perversa: Ergo perversè operatur. Secunda; *positâ causâ efficiente in actu cum alijs requisitis, sequitur effectus in actu*; v. g. ignis est: Ergo calefacit, vel adurit materiam dispositam. Tertia; *primum efficiens continet eminenter omnia efficientia secundaria*: v. g. DEUS est causa prima efficiens: Ergo con-

continet eminenter omnes causas secundas effectivas.

13. *Et causa finalis ad effecta.*

Causa finalis est, cujus gratiâ aliquid fit ab efficiente; ex hac eliciuntur istæ Maximæ. Prima; *ob finem bonum, & honestum licitum est operari*, v. g. scire Philosophiam est bonum, & honestum: Ergo licitum est studere Philosophiæ. Secunda; *ad finem bonum attingendum applicanda sunt media bona*, v. g. Beatitudo est finis bonus, imò optimus, & principalis, ad quem est conditus homo: Ergo ad eum attingendum merita sunt præmittenda.

14. *Ab effecta ad causam.*

Nota undecimò: Locus decimus-tertius priori correspondens est Locus, *effectûs ad causam*: ex quo tot fabricari possunt Maximæ, quot sunt causarum genera mox explicata, comparando videlicet vice versa effectû cum quavis sua causa, & afferendo habitudinem ejusdem effectus ad easdem; v. g. ex Loco effectûs ad causam Efficientem hæc potest erui Maxima correspondens; *effectus bonus supponit causam efficientem bonam*, ut Petrus planxit casum suum: Ergo habuit rectam voluntatem effectricem planctûs pænitentialis; & sic de alijs.

15. *Locus à generatione ad genitum.*

Nota duodecimò: Locus decimus-quartus est *à generatione ad genitum*: hìc intelligitur per *generationem* quævis productio tam substantialis, qualis est productio equi v. g. quam accidentalis, qualis est productio habitûs scientialis in intellectu: formantur ex isto Loco hæ Maximæ: Prima; *cujus operatio est bona, genitum quoque est bonum*, v. g. generatio equi est bona: Ergo equus generatus pariter est bonus. Secunda; *cujus generatio est mala, genitum similiter est malum*, v. g. generatio morbi est mala: Ergo & morbus genitus est malus.

16. *A corruptione ad corruptum.*

Nota decimotertiò: Locus decimusquintus est *à corruptione ad corruptum*. Per corruptionem intelligitur quævis deperditio tam esse substantialis, quàm accidentalis: & ab ipsa eliciuntur istæ Maximæ: Prima; *cujus corruptio est bona, corruptum est malum*; v. g. corruptio seu expulsio habitus vitiosi sæpe mentiendi est bona: Ergo ipse habitus mendacij est malus. Secunda; *cujus corruptio est mala, ipsum corruptum est bonum*, v. g. corruptio habitûs virtuosi est mala: Ergo ipse habitus virtuosus est bonus.

17. *Usus ad rem usatam.*

Nota decimoquartò: Locus decimussextus est *usûs ad rem, quæ subjacet usui*: hinc formantur istæ Maximæ: Prima; *si usus rei sit licitus, & bonus; res quoque ipsa bona censenda est*; v. g. usus linguæ Latinæ est bonus: Ergo ipsa quoque Lingua Latina est bona. Secunda; *si usus rei sit malus, & prohibitus, ipsa parster res est prohibita*; v. g. usus veneni est malus: Ergo ipsum quoque venenum est malum.

18. *Ab antecedenti ad consequens.*

Nota decimoquintò: Locus decimusseptimus est *ab antecedenti ad consequens: & à consequenti ad antecedens*; nomine *antecedentis* intelligitur id, ex quo aliud sequitur; & nomine *consequentis* id, quod sequitur; hinc oriuntur istæ Maximæ: Prima; *posito antecedente necesse est ponere consequens*; v. g. pluvia est; ergo humida aura est. Secunda; *sublato consequente, necesse est tollatur antecedens*, v. g. Ecclypsis solis amplius non est: Ergo interpositio Lunæ inter nostrum aspectum, & Solem non est.

19. *A circumstantijs ad rem.*

Nota decimosextò: Locus decimusoctavus est *à circumstantijs, ad rem circumstantionatam*; nomine *circumstantiarum* veniunt quædam accidentia, quæ vel præcurrunt rem, ut sunt potentia, nobilitas majorum, &c. quæ præcedunt v. g. Cæsaris natales; vel concomitantur rem, ut locus, tempus, species, figura corporis, &c. vel quæ sequuntur rem; ut si post natalem Cæsaris apparerent portenta, accederet morbus, inimicitiæ, amicitiæ, divitiæ &c. ex his fabricatur ista Maxima; *quales sunt circumstantiæ, talis versimiliter est res circumstantionata*; exemplum de circumstantijs præcurrentibus; advertitur aër corruptus, videtur cometarum ortus: Ergo sequitur contagio: exemplum ex concomitantibus; hic pusio habet vivaces oculos, serenam frontem, cellulas capitis aptè dispositas, & corpus bene organizatum: Ergo erit ingeniosus: exemplum de subsequentibus; Cæsar acquirit divitias magnas, Regum fœdus, armorum potentiam: Ergo erit victoriosus contra hostes. Hæc de Locis potiribus intrinsecis.

20. *Locus extrinsecus ab oppositis.*

Nota decimoseptimò: Inter Loca extrinseca primus est *ab oppositis*: estque habitudo unius oppositi ad aliud; cùm autem, juxta communem Dialecticorum doctrinam, quadruplicem contingat fieri oppositionem, puta relativam, contrariã, pri-

privativam, & contradictoriam: idcirco complures ex isto Loco nascuntur Maximæ particulares; generales autē sunt hæ duæ: Prima; *de quocunque affirmatur unum oppositorum, negatur alterum respectu ejusdem, & secundùm idem* v. g. Plato est pater Plauti: Ergo Plato non est filius Plauti. Secunda; *Opposita oppositis conveniunt*, v. g. continentia est laudabilis; Ergo luxuria est vituperabilis.

21. Maxime ab opposit.

Particulares Maximæ pro oppositis relativè sunt istæ: Prima; *positō unō relativè oppositō, ponitur alterum*, v. g. Plato pater est: Ergo filium habet. Secunda; *remotō unō relativō, removetur & alterum*; v. g. Cicero non est Dominus: Ergò non habet servum.

22. Maxime ab oppositis contrariè, contradictoriè, & privativè.

Particulares Maximæ pro immediatè oppositis contrariè sunt istæ: Prima; *positō unō immediatō contrariō in subjectō, alterum removetur*; v. g. ista aqua est calida: Ergo non est frigida. Secunda; *remotō unō contrariō immediatō, ponitur alterum*, v. g. aqua calida non est: Ergo frigida est. Particulares Maximæ pro privativè oppositis sunt istæ: Prima, *positō unō in subjectō, removetur alterum*; v. g. Plato videt: Ergo non est cœcus. Secunda; *remotō unō privativè oppositō, ponitur alterum*, v. g. aër non est tenebrosus: Ergo est lucidus. Particularis Maxima pro contradictoriè oppositis est, *si unum contradictorium est verum, alterum est falsum*, v. g. si sit verum Platonem esse rationalem; falsum est eum non esse rationalem.

23. A majori ad minus.

Nota decimooctavò: Secundus Locus extrinsecus est *à majori ad minus*; *per majus* intellige illud, quod habet majorem apparentiam, probabilitatem, facilitatem, aut verisimilitudinem, quàm alia; v. g. magis apparens, facilè, & probabilè est, quòd mille possint expugnare castrum, quàm decem: per *minus* intellige illud, quod habet minorem apparentiã, facilitatem, probabilitatem, aut verisimilitudinem; v. g. minùs verisimilè, & facilè est, quòd decem milites expugnent urbem, quam mille non possunt expugnare. Itaque ex Loco à majori ad minus constituitur ista Maxima; *si id quod majus est, nequit convenire; minus id, quod est minus*, v. g. Dux nequit capere Pragam cum quinquaginta millibus: Ergo neque miles gregarius eam capiet cum decem. Tertius Locus huic correspondens est *à minori ad majus*; & Maxima sic fit, *si alicui conveniat minus, convenit utique majus in eodem genere*, v. g. si Praga potuit à milite gregario expugnari cum decem millibus; poterit etiam à Duce cum quinquaginta millibus.

24. A simili, & proportione.

Nota decimononò: Locus quartus extrinsecus est *à simili*, & *à proportione*, inter quæ duo exigua est differentia; & intelligitur per *simile*, ac *proportionem* illud, quod cum altero habet convenientiam in aliquo. Formatur autem Maxima sic; de *similibus, & proportionalibus est idem judicium*; v. g. proprietates hominis, cujusmodi sunt risibilitas, flebilitas &c. identificantur homini: Ergo & proprietates equi, cujusmodi sunt, hinnibilitas, mobilitas &c. eidem identificantur. Locus quintus est, *à dissimili, & disproportione*: & Maxima est ista; *dissimilibus dissimilia conveniunt*, v. g. sobrietas est laudanda: Ergo ebrietas vituperanda.

25. Locus à pari.

Nota vigesimò: Locus sextus extrinsecus est *à pari*; & sæpe coincidit cum Loco *à simili*: in hoc ob parem rationē duorum argumentum formatur per similem Maximam; *ubi par utriusque est ratio, idem de utroque est affirmandum*, v. g. qui percutit malitiosè Episcopum, est excommunicatus: Ergo & qui percutit Provincialem.

26. Ab authoritate.

Nota vigesimo primò: Locus septimus extrinsecus est *ab authoritate*, seu *à testimonio Divino; vel humano*. Per *authoritatem Divinam* intellige assertum DEI infallibile; per *humanam* assertum probabile hominis in scientia, in qua asserit, valde experti, & æstimabili. Ex hoc Loco solùm affirmativè procedi potest; non verò negativè; nam non sequitur; Aristoteles hoc non docuit: Ergo hoc non est verum. Maximæ hujus Loci sunt istæ; *revelationi est fides attribuenda*; v. g. Evangelium docet, proximum esse diligendum: Ergo hoc est credendum: & *unicuique in sua arte benè experto est credendum*, v. g. Scotus docet dari Distinctionem Formalem: Ergo revera talis asserenda est à sequacib⁹ Scoti.

27. A conjugat.

Nota vigesimo secundò: Inter Loca media primus est Locus *à conjugatis*; nomine *conjugatorum* hic veniunt concreta, & abstracta, v. g. album, & albedo, quæ idem principale significatum habent; etsi in modo significandi differant;

eò

eò quod unum ſub modo concretionis puta album; alterum ſub modo abſtractionis, puta albedo (quæ concipitur ab albo abſtracta) illud ſignificent. Ex hoc Loco trahuntur iſtæ Maximæ. Prima; *cum quo cohæret unum conjugatorum, cohærent & reliqua*; v. g. ſi homo caſtus eſt laudabilis: Ergo etiam caſtitas eſt laudabilis. Secunda; *cum quo non cohæret unum conjugatorum, nec cohærent reliqua*, v. g. ebrietas non eſt laudabilis: Ergo nec ebrius laudabilis. Huic Loco valde affinis eſt Locus *à caſibus*; per caſus intelligunt hic Dialectici adjectivum, & adverbium ab adjectivo derivatum: v. g. caſtus, & caſtè: ex hoc loco formantur eædem Maximæ, quæ ex priori, v. g. juſtum eſt bonum: Ergo & quod fit juſtè.

28. Et à diviſione

Nota vigeſimotertiò: Locus ſecundùs medius eſt *à diviſione*: hinc conſurgunt iſtæ duæ Maximæ. Prima; *aſſertò unò membrò dividente, & negatis reliquis omnibus, concluditur bene illud unum*; v. g. homo eſt animal; & non eſt irrationalis: Ergo eſt rationalis. Secunda; *de quo negantur omnia membra dividentia, etiam negatur ipſum diviſum*; v. g. lapis non brutum, neque homo eſt: Ergo neque animal eſt. Hæ ſunt potiſſimæ ſedes Dialecticæ, ex quibus ingenioſus Philoſophus in quavis materia diſcurſui ſubſtrata facilè aliquid poterit eruere argumentum. Cæterùm ad promptè media, tum ex præfatis Locis, tum ex alijs in progreſſu Philoſophiæ allegandis, eruenda plurimùm adminiculatur nativa ingenij acies, & bonitas, maturumque judicium, quæ ſunt talenta DEI, ipſi naturæ inſerta. Item diligens totius Philoſophiæ ſtudium, authorum variorum lectio, nec non frequens exercitium argumentandi, & diſputationum publicarum frequentatio.

QUÆSTIO IV.

De Syllogiſmo Sophiſtico.

1. Quid nominis Sophiſticus ſyllogiſmus.

Nota primò: Syllogiſmus Sophiſticus ſic dicitur à ſuo authore, & fabricatore *Sophiſta*, quo nomine primitùs compellabantur omnes Philoſophi, & veræ ſapientiæ profeſſores, denominatione accepta à ly Σοφὸς, quod eſt ſapiens; verùm deinde Sophiſtæ vocitari cæperunt ſoli illi, qui fictam quandam ſapientiæ ſpeciem jactabant; ut habet Cicero, *lib. 1. de nat. Deorum*, quique oſtentationis, & quæſtûs causâ, ſeu inanis honoris philoſophabantur, varia ſophiſmata, quæ Græcis ſunt *fraudes, & deceptiones*, in diſputando afferentes, & veræ Philoſophiæ ſectatores captioſè circumvenientes apparentibus Syllogiſmis. Horum itaque Syllogiſmorum naturam, multiplicitatem, & loca præſenti quæſtione afferam, non ut Dialecticos noſtræ Scholæ ſophiſticè, captioſè, & fallaciter argumentari inſtruam; cùm ingenuô Philoſophô prorſus indignum ſit uti ſophiſmatibus, & pſevdoſyllogiſmis; ſed ut technas, fallacias, & dolos Sophiſticorum aliorum ſibi objectos dignoſcere, atq; ſolvere queant. Unde

2. Definitur ſyllogiſmus Sophiſticus.

Dico primò: Bene deſcribitur Syllogiſmus ſophiſticus ſic, *eſt quædam propoſitionum ad inſtar alicujus ſyllogiſmi collectio, facta ex ijs, quæ videntur vera; & tamen non ſunt vera.* Ita colligitur ex Ariſtotele *8. Top. cap. 4.*

3. Qua ratione dicatur ſyllogiſmus peccare in materia.

Probat. Hac deſcriptione debitè explicatur natura Syllogiſmi Sophiſtici: Ergo &c. Ly *quædam propoſitionum collectio* ponitur locô-generis; reliqua pro differentia. Dicitur *collectio propoſitionum inſtar ſyllogiſmi*, ad oſtendendum Syllogiſmum Sophiſticum, utpote captioſum, deceptorium, & apparentem &c. non convenire realiter in genere cum Syllogiſmo vero; ſed eum duntaxat moræ ſimiæ imitari; & dicitur *ad inſtar ejus* apparenter fabricari; & ſic ſolo nomine cum eo convenit. Unde additur in deſcriptione, *facta ex ijs, quæ videntur vera; & tamen non ſunt vera*; nam in fabrica Syllogiſmi applicantur propoſitiones, quæ primâ fronte apparent eſſe veræ, & debitè inferentes conclusionem; ſi tamen bene ruminentur, deprehenditur eas revera peccare in aliquo, ut mox dicam. Quare

Nota ſecundò: Omnes Syllogiſmos Sophiſticos peccare vel in materia; vel in forma; vel in utroque ſimul, ut conſtat ex Doctore *1. Diſtinctione 42.* Ille dicitur peccare *in materia*, qui conficitur ex terminis indebitis, & captioſis, v. g. æquivocis, qui ſunt materia remota Syllogiſmi; talis eſt iſte, *omnis canis latrat*: *Sed quædam*

dam stella est canis: Ergo quædam stella latrat. Ubi ly *canis* est terminus æquivocus. Ille dicitur peccare *in forma*, qui non conficitur in aliquo modo, & figura suprà *dist. 4. quæst. 3.* recensitis: talis est iste; *nullus homo est planta: Sed nullus equus est homo; Ergo nullus equus est planta:* hujus Syllogismi ex meris negativis non reperitur modus ex legitimis *loc. cit.* allegatis. Ille tandem peccat in *utroque*, qui nec debitos terminos, nec debitum modum, & figuram observat; talis est iste; *aliquis canis latrat: Sed quædam stella est aliquis canis; Ergo quædam stella latrat*; ubi est peccatum materiæ in ly *canis*, & peccatum formæ in collectione trium propositionum particularium.

4. In forma, & utroque.

5. Quid fallacia in se.

Nota tertiò. Dialecticos singulari industriâ pro initiantium utilitate potiores technas Sophistarum, & captiosos modos arguendi ad tredecim reduxisse Loca, quas *Sedes Sophismatum*, seu *fallacias Sophistarum* consuevêre nominare: Describitur autem Fallacia sophistica à Doctore *quæst. 5. prædic. §. ad quæst. dicendum*, quòd *sit locus idoneus ad decipiendum respondentem per argumenta sophistica.*

6. Quid fallacia in, & extra dictionem.

Nota quartò: Præfatas 13. Fallacias discriminari in fallacias in dictione; & in fallacias extra dictionem. *Fallaciæ in dictione* sunt illæ, quæ ortum ducunt ex ipsa dictione, seu ex termino accepto vel æquivocè, vel amphibologicè, vel sub alio aliquo ex mox dicendis modis; & sunt sex sequentes, fallacia æquivocationis; amphibologiæ; compositionis; divisionis; accentûs; & figuræ dictionis. *Fallacia extra dictionem* sunt illæ, quæ ortum habent ex aliquo alio principio, quàm dictione, & numerantur sequentes; fallacia accidentis; dicti secundùm quid ad dictum simpliciter; consequentis; ignorationis elenchi; petitionis principij; non causæ ut causæ; & plurium interrogationum ut unius. Evolvamus singula.

7. Fallacia æquivocationis; & ejus solutio.

Nota quintò: Prima fallacia in dictione *æquivocationis* est captio seu deceptio ortum ducens ex uno nomine, quod plures habet diversas significationes; ut asserit Doctor 1. *Perih. quæst. 5.* & fit tripliciter. Primò; si aliquod nomen vel sit purè æquivocum, id est, quod merè à casu accepit plures significationes æquè proprias; quale est v. g. *canis* respectu cælestis, terrestris, & marini; & *gallus* respectu hominis Gallicani, & volucris: hinc formari potest hoc sophisma; *omnis gallus habet alas: sed hic homo est gallus; ergo habet alas.* Solvitur per distinctionem unius termini æquivoci *Gallus*, positi in Majori, sic; omnis gallus avis habet alas Conced. Mai. omnis Gallus homo Neg. Mai. Secundò; si aliquod nomen non sit purè æquivocum; sed analogum, id est, habens quidem plures significationes; sed unam propriam, & principalem; alteram verò metaphoricam, & à consilio impositam; quale est v. g. *pedes*, qui propriè animalibus conveniunt, & metaphoricè tantùm alijs rebus, v. g. monti; hinc formari posset tale sophisma; *quidquid habet pedes potest currere: Sed montes Pyrenæi habent pedes ex utraque parte: Ergo possunt currere.* solvitur rursus per distinctionem hujus termini analogi *pedes* positi in Maj: sic; quidquid habet pedes propriè dictos, potest currere Con. Maj. impropriè dictos Neg. Maj. Tertiò; si aliquod nomen collocatum, & constructum cum uno sortiatur unam significationem, & constructum cum alio aliam; quale est ly *invisum*, quod constructum cum homine inimico significat *exosum*; & constructū cum DEO significat *non visum*; si hinc cudatur talis cavillus; *omne invisum est exosum: Sed DEUS est invisus; Ergo DEUS est exosus:* Solve eum rursus per distinctionem termini æquivoci *invisus* positi in Majori, sic; quod est invisum, id est oculis mentis non visum: seu adversarium est exosum Conc. Maj. quod est invisū id est oculis corporis non visum, sicut est DEUS, est exosum, Neg. Maj.

8. Amphibologia fallacia; & ejus solutio.

Nota sextò: Secunda fallacia in dictione *amphibologiæ* est deceptio orta ex ipsa oratione (in qua distingvitur à priori, quæ ortum ducit ex nomine seu termino) quando ambigua est, seu plures habens sensus; de qua Scotus *quæst. 18. Elench.* & alibi. Hæc fallacia pariter triplici viâ graditur. *Primâ*; si assumatur aliqua oratio habens plures sensus æquè principales, & in præmissis usurpetur in uno, in conclusione verò in alio; v. g. si dicatur sic; *quidquid est Scoti, possidetur à Scoto: Sed hæc Quodlibeta sunt Scoti: Ergo possidentur à Scoto.* Diluitur tale sophisma per distinctionem Majoris, & oste-

ostensionem duplicis sensûs, qui in Majori latet, sic; quidquid est Scoti, id est quidquid spectat ad Scotum, possidetur à Scoto Conc. Maj. *Secunda via* ex hoc Loco est; si assumatur in argumento oratio, quæ rursus habet duplicem sensum; unum principalem, & alterum minùs principalem, & improprium, quorum unus reperitur in præmissis, & alter in conclusione; v.g. si quis argumentetur sic; *qui Æthiopem lavat, aquam adhibet: sed qui induratum hæreticum conatur convertere, Æthiopem lavat: Ergo talis adhibet aquam.* Enodatur tale argumentum rursus per distinctionem Majoris duplicis sensûs, qui in eadem latet, manifestatione sic; qui Æthiopem lavat lotione physica, aquam adhibet Conc. Maj. qui Æthiopem lavat lotione morali, id est inutilem conatum adhibendo circa aliquid, aquam adhibet, Negat. Maj. *Tertia via* ex isto Loco est; si arguens usurpet orationem aliquam, quæ per se sumpta habet unum sensum, & constructa cum alia facit alium diversum; v.g. si dicatur; *quidquid videt aliquis hoc videt: Sed Plato videt stellam: Ergo stella videt.* Dissolvitur iterum per distinctionem, & monstrationem duplicis sensûs, qui in Majori reperitur, sic; quidquid videt aliquis, hoc videt, usurpando ly *hoc* in accusativo, id est *istam rem videt*, Conc. Maj. usurpando ly *hoc* in nominativo, acsi diceret, *ista res videt*, Neg. Maj.

9. *Fallacia compositionis; ejusq; enodatio.*

Nota septimò: Tertia Fallacia in dictione *compositionis* est deceptio resultans ex eo, quod arguens procedat à sensu diviso vero, ad sensum compositum falsum: sensus autem compositus habetur, quando duo termini aliàs sejungendi, seu dividendi, simul uniuntur, seu componuntur; uti contingit in hoc sophismate; *possibile est album esse nigrum: sed hæc charta est alba: Ergo possibile est hanc chartam esse nigram*: quæ conclusio in sensu composito est falsa; vera in sensu diviso. Resolvitur per distinctionem Maj. & adductionem sensûs compositi, ac divisi, sic; possibile est album esse nigrum in sensu diviso (ut sensus sit, res modò albedini substans, si dividatur, & separetur ab albedine, potest pro tempore substare nigredini) Conc. Maj. in sensu composito (ut sensus sit, res affecta albedine, & remanens composita cum albedine potest substare nigredini) Negat. Maj.

10. *Fallacia divisionis; & ejus resolutio.*

Nota octavò: Quarta Fallacia *divisionis* est deceptio consurgens ex eo, quòd Sophista procedat à sensu composito vero ad sensum divisum falsum. *Sensus divisus* habetur, quando duo termini aliàs componendi, & conjungendi, sejunguntur; & dividuntur, uti evenit in hoc sophismate; *impossibile est hominem sedentem posse ambulare: Sed Plato sedet: Ergo impossibile est Platonem posse ambulare*; hæc conclusio in sensu composito est vera; in diviso falsa. Solvitur denuò per distinctionem, & manifestationem sensûs compositi, ac divisi, sic; impossibile est hominem sedentem posse ambulare, in sensu composito (id est, quàm diu manet sessio composita cum homine) Conc. Maj. in sensu diviso (si videlicet sessio dividatur, & tollatur ab homine pro alia differentia temporis) Neg. Maj.

11. *Fallacia accentûs; ejusque evasio.*

Nota nonò: Quinta fallacia *accentûs* est deceptio, ortum ducens ex alio, & alio modo proferendi, vel scribendi aliquod vocabulum, quod habet diversas significationes; vel ratione diversi accentûs Grammaticalis, acuti, vel gravis, seu quantitatis Poëticæ; vel ratione prolationis divisæ, & compositæ; vel ratione ortographiæ, si diphtongus pro vocali scribatur; ratione aspirationis; & diversæ propositionis, v.g. ironicæ, seriæ, interrogatoriæ, &c. Ratione accentûs fabricantur talia sophismata; *omnis populus est arbor: Sed gens Alemanna est populus. Ergo gens Alemanna est arbor.* Item, *qui occidit, moritur: sed sicarius occidit: ergo sicarius moritur.* Item, *qui venatur lepores, adhibet canes: sed Poeta venatur lepores: Ergo Poeta adhibet canes.* Ratione prolationis divisæ, & compositæ conficitur istud; *tu es, quies: sed quies est requies: Ergo tu es requies.* Ratione ortographiæ istud; *Equi sunt hinnibiles: sed Sancti sunt aqui; Ergo Sancti sunt hinnibiles.* Ratione aspirationis istud; ara est in templo: Sed stabulum porcorum est harra: Ergo harra est in templo. Ratione diversæ propositionis istud; *Discipulus sedulus est laudandus: Sed Lector dum corripit negligentem ait, tu es sedulus: Ergo negligens discipulus est laudandus.* Solvuntur omnia ista, & similia sophismata per distinctionem Maj. & ostensionē variæ significationis, quæ resultat ex vario accentu, prolatione differenti, ortographia variata, aspiratione, & variatione propositionis.

No-

12. *Fallacia Figuræ dictionis, & ejus destructio*

Nota decimò : Sexta Fallacia *Figuræ dictionis* est deceptio tracta ex Figura, id est similitudine unius dictionis, seu vocabuli cum alio, ex quo arguit Sophista id, quod convenit uni, convenire quoque alteri : & procedit triplici viâ. *Primò*, si ob eandem desinentiam duorum vocabulorum attribuat eis eandem affectionem Grammaticalem; v. g. sic, *nomina desinentia finaliter in A. sunt generis feminini : Sed hoc nomen Papa finaliter desinit in A. Ergo est generis feminini*. Solvitur ista rochna Neg. Maj. universaliter; nam ab illa regula Majoris statuunt Grammatici exceptiones multorum vocabulorum, inter quæ est etiam nomen *Papa*, *Poeta* &c. & ipse *Sophista*. *Secundò*, si arguat à vocabulo significante solùm substantiam, ad vocabulum significans tum substantiam, tum simul aliquod accidens; v. g. sic, *quidquid emisti heri, comedisti hodie. Sed heri emisti gallum cantantem ; Ergo hodie gallum cantantem comedisti*. Solvitur per distinctionem Maj. sic; quidquid emisti heri; comedisti hodie quo ad substantiam Conc. Maj. *Tertiò*; si attribuat Sophista aliquam dictionem inferiori, quæ soli superiori, ut abstrahit ab inferiori, attribui debet; aut è contra; v. g. dum paralogizat sic; *homo est species : Sed Plato est homo ; Ergo Plato est species*. Respondetur distinguendo Maj. & ostendendo variationem suppositionis simplicis in personalem, quæ non est licita in eodem syllogismo, sic; homo est species, prout species supponit simpliciter, id est pro natura communi abstracta Neg. Maj. pro ut supponit personaliter, id est pro natura jam contracta ad inferiora Conc. Maj. Hæc de Fallacijs intra dictionem, quæ semper invehunt quatuor terminos in syllogismum, ob duplicitatem significationis, & sensûs; unde Consequentia audacter potest negari.

13. *Fallacia accidentis; & ejus solutio.*

Nota undecimò : Inter Fallaciam extra dictionem prima fat frequens est fallacia accidentis. *Accidens* in præsentiarum vocatur non semper id, quod est quintum prædicabile; sed omne illud, quod est extraneum ab altero, id est tale, quod est ex parte divisum cum altero, cum quo conjungitur, de quo prædicatur : hoc sensu tam superiora respectu suorum inferiorum, v. g. animal respectu hominis, & bruti; quàm ipsa inferiora, v. g. homo & brutum respectu animalis dicuntur accidentia, propter inadæquatam identitatem inter illa, ut rectè hìc discurrit Mastrius. Illud, quod habet rationem accidentis in hac Fallacia, semper ponitur pro medio termino sophismatis. Consurgit itaque ista deceptio accidentis, vel ex inadæquata, & particulari identitate accidentis cum extremis ; uti fit in Syllogismis affirmativis. Et contingit tribus modis. *Primò*; quando Sophista ex conjunctione extremorum cum accidente ut mediò in præmissis infert fraudulenter indebitam, & majorem conjunctionem ipsorum extremorum in conclusione, quàm fuerit in præmissis assumpta; tale sophisma est illud, quod commemorat Scotus; *Essentia Divina est Pater : Sed Filius est essentia Divina : Ergo Filius est Pater*. In ista conclusione est major identitas, & conjunctio extremorum, scilicet planè personalis, quàm fuerit in præmissis assumpta, quæ tantùm est essentialis. Itaque etsi Pater, & Filius conjungantur in Essentia Divina (quæ in proposito habet rationem accidentis) ita ut sint unum in Essentia; non tamen conjunguntur ita inter se, ut etiam in ratione Personæ sint unū. Hoc sophisma solvitur *primò* Neg. Conseq.; & quando Sophista contra illā arguit ex comuni generali principio Syllogismorum bonorum, *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se* : Sed Pater, & Filius ex concessa Majori, & Minori sunt idem Essentiæ Divinæ : Ergo etiam sunt idem inter se ; tunc respondendum est, explicando illud principium Maj. quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, eâdem tantùm identitate, quâ in tertio conveniunt; non autem majori : nunc autem Pater, & Filius in Essentia, ut tertio, sunt idem identitate tantùm essentiali; non autem personali; quare inter se nullatenus possunt idem esse identitate personali. *Secundò*; quando Sophista ex aliquā nō identitate extremorū cum accidente, ut medio in præmissis infert pariter nō identitatem, & quidem majorem eorum in conclusione; v. g. si dicat, *nullus leo est homo : nullum risibile est Leo : Ergo nullum risibile est homo*. Solvitur Negando Conseq. & ostenditur dolus, quòd nimirum in conclusione sit major distinctio, seu non identitas inter extrema ; quàm fuerit in præmissis. *Tertiò* Quando Sophista aliqua vel divisim, vel conjunctim proponit in præmissis ; in conclusione verò eadem indebitè vel conjungit, vel dividit; v. g. si dicat, *Petrus est albus : Sed Petrus est monachus : Ergo est albus monachus* : Item, *iste est homo mortuus* :

Ergo est homo, & est mortuus. Solvitur Neg. Conseq. & ostenditur deceptio, quòd nimirum in primo exemplo fit indebita conjunctio eorum, quæ in præmissis erant divisa; in secundo verò indebita divisio eorum, quæ antecedenter erant conjuncta: quæ omnia non cohærent cum bona Dialectica.

14. *Fallacia dicti secundùm quid ad dictum simpliciter.*

Nota duodecimò: Secunda Fallacia extra dictionem est *dicti secundùm quid, ad dictum simpliciter.* Committitur, quando Sophista facit transitum à termino sumpto cum modificatione, & determinatione, ad terminum sumptum simpliciter; v. g. si dicat, *Æthiops est albus secundùm dentes: Ergo Æthiops est albus.* Item *Christianis non licet vesci carnibus die veneris: Ergo Christianis non licet vesci carnibus.* Solvitur Neg. Conseq. detegitur dolus Sophisticus, qui est in transitu à termino sumpto cum modificatione, & determinatione; ad terminum sumptum simpliciter, & sine modificatione, ac restrictione; quod non licet in bona Dialectica.

15. *Fallacia consequentis; & ejus dilutio.*

Nota Decimotertiò. Tertia Fallacia est consequentis; committitur quando ex eo, quod ex aliquo antecedenti sequatur consequens, Sophista contendat ex positione consequentis quoque inferre positionem antecedentis; vel ex negatione antecedentis, negationem consequentis: Exemplum primi, si arguat sic; *si homo est; Ergo animal est. Ergo si animal est, homo est.* Exemplum secundi, si arguat sic; *non est homo: Ergo non est animal.* Diluuntur similes doli Neg. Conseq. & ostenditur Sophismatis ineptia, progredientis à positione consequentis, ad positionem antecedentis: item ex negatione antecedentis, ad negationem consequentis, quæ omnia in bona Dialectica non tolerantur.

16. *Fallacia ignorationis elenchi; & ejus evitatio.*

Nota decimo quartò: Quarta Fallacia est *ignorationis Elenchi.* Elenchus hic vocatur Syllogismus contradictorius, id est ostendens contradictionem ejus, quod est à respondente concessum; ista Fallacia contingit, quando Sophista cogit respondentem ad concedendum aliquam propositionem tanquam contradictoriam; quæ tamen contradictoria non est; *V. g. Plato est in Schola, & non est in horto; Ergo est, & non est.* Solvitur Conc: totum argumentum, respectu diversorum, & pro alia & alia differentia temporis; simulque ostenditur non esse contradictionem, esse, & non esse respectu diversorum locorum; & pro alia, & alia differentia temporis.

17. *Fallacia petitionis principij; & ejus resolutio.*

Nota decimoquintò: Quinta Fallacia est *petitionis principij.* Hæc committitur, quando Sophista sub alijs terminis assumit pro medio ad probandum aliquod illud ipsum, quod est in quæstione; aut quando obscurum per æque obscurum, aut controversum per æque controversum probat; v. g. si dicat; *omne animal est animatum: Ergo omne animal est vivens.* Item, *quod est gladius acutus est ensis acutus: Sed machæra est gladius acutus; Ergo machæra est ensis acutus,* Solvitur Neg. eandem propositionem, quæ correspondet illi, quæ negata fuit in priori argumento Sophistæ.

18. *Fallacia nõ causæ ut causæ.*

Nota decimosextò: Sexta Fallacia est *non causæ ut causa.* Committitur quando Sophista aliquem effectum attribuit alicui ut causæ per se; quæ tamen rationem causæ per se non habet; dum arguit sic; *aliqui Theologi excogitârunt hæreses: Ergo Theologia est scientia perniciosa.* Solvitur Neg. Conseq. & dicitur, Sophistæ Theologicam scientiam non fuisse per se causã excogitandi hæresim; sed tantùm per accidens, & occasionaliter.

19. *Plurium interrogationum.*

Nota decimoseptimò: Septima Fallacia extra dictionem est *plurium interrogationum ut unius.* Contingit quando Sophista plura proponit ut unum, & urget unicam responsionem; quæ si detur, respondentem decipi necesse est; v. g. si dicat; *mel, & fel suntne dulcia?* Si respondeatur, *sunt*: statim Sophista inferet; *Ergo fel est dulce;* si respondeatur, *non*: ipse inferet; *Ergo mel non est dulce.*

20. *Regula generalis in proposito*

Nota decimo octavò: Pro regula generali; si Syllogismus Sophisticus peccet in materia; respondens distingvat illam præmissam, in qua est peccatum Dialecticum, seu defectus; prout vides factũ suprà in solutione Sophismatum, & Fallaciarum intra dictionem. Si peccet in forma, Concedat Maj. & Minorem, Neget autem Conseq. audacter; & ostendat vitium Syllogismi; ut vides factum suprà in solutione Sophismatum, & illarum Fallaciarum, quæ sunt extra dictionem. Si tandem peccet tam in materia, quàm in forma; poterit respondens vel distingvere illam præmissam, in qua est peccatum; vel certè negare Consequentiam, cum assig-

signatione vitij; nam tales Syllogismi semper habent quatuor terminos, qui eò ipsô faciunt vitiosum Syllogismum, & cujus Consequentia meritò est neganda. Omnes fallaciæ hactenus discussæ sequentibus versibus comprehenduntur.

Arma Sophistarum, tredecim numerantur, Elenchi:
Dictio sex intra; septem complectitur extra;
Æquivocum; amphibolum; divisum; compositumque;
Accentus varius; cui sextam junge Figuram;
Fallax inde sequela strepit; fallacius accidens;
A non simpliciter dicto; ex inscitia elenchi.
Principium petitur; non causa ut causa refertur;
Denique non rarò velut unum plura rogantur.

Finit Dialectica.

LOGICA.

SEU

DE ENTE LOGICO.

TRACTATUS PRIMUS.

In Procemialia Logicæ Scotiſtarum.

PRÆFATIO.

LOgicam, *ſive Philoſophiam Rationalem, tum veteres, tum recentiores Scriptores illuſtribus exornârunt prædicatis, unde Auguſtinus* lib. 1. de ordine cap. 18. *eam appellat* artem artium, ſcientiam ſcientiarum, quâ apertâ aliæ referantur, & quâ clausâ cæteræ obſtruuntur. *Et Plato* 7. de Rep. apicem diſciplinarum. *Et Cicero*, artium maximam, & lucem omnium; *ut ſcribit* de claris Oratoribus. *Ipſa eſt, quæ intellectum hominis liberat, & præſervat ab erroribus; ipſa eſt, quæ mentem ad contemplandas, & attingendas genuinas veritates rerum dirigit; ipſa eſt; quæ ad alias facultates ritè addiſcendas viam ſternit. In hanc famoſam ſcientiam, juxta morem recentiorum DD. pono ſequentia Prolegomena, ceu quædam præludia, & procemia neceſſaria hujus inclytæ ſcientiæ debitè capeſſendæ.*

DISTINCTIO UNICA.

In qua varia circa Logicam examinantur.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De Notione; quidditate; divisione; existentia; inventione; & proplantatione Logicæ.

1. Quid nominis Logica.

NOta primò: Ly *Logica* derivatur à Græca voce λογ☉, quod Latinis est sermo; eò quòd hæc facultas dirigat sermonem, ut sit rectus; quare ab alijs *scientia sermocinalis* vocatur. Dirigit autem per se sermonem solum internum, id est, conceptum, & verba mentis; & per accidens tantùm axternum, quatenus nimirum intrinsecus exprimitur ad extra per sermonem externum, quem aliàs per se dirigit Grammatica.

Dico primò: Bene definitur Logica ut sic, *est scientia rationem dirigens, ne in suis operationibus erroribus subjiciatur.* Eruitur ex Scoto *quæst. 1. univers.* ubi Logicam appellat *scientiam rationalem*, id est rationis directivam.

2. Definitur Logica ut sic.

Probat. Hæc definitin formata est secundùm regulas, & leges bonæ difinitionis: Ergo eâ bene definitur Logica ut sic. Ly *scientia* est genus, in quo convenit Logica cum Physica, Metaphysica, & alijs scientijs; reliqua collocantur pro differentia ejusdem ab omnibus alijs scientijs. Dicitur *rationem dirigens*, &c. quia Logica, & quidem ipsa sola rationem, seu intellectum Philosophantis illustrat, manuducit, & instruit, ne apprehendendo, judicando, & discurrendo labatur in errores: & per hoc differt ab alijs scientijs.

3. Quid Logica naturalis, & artificialis.

Nuta secundò: Logicam sic descriptam primò dividi ab Aristotele *1. Elench. cap. 8.* in naturalem; & artificialem. *Logica Naturalis* est ipsa ingenita hominibus virtus ratiocinandi, seu ipsum lumen naturæ, dictans modum rectè apprehendendi, judicandi, & discurrendi: talis reperitur in multis rusticis, dignoscentibus totum esse majus sua parte; item cælum esse majus terrâ. *Artificialis* est scientia acquisita industriâ Logici, sæpe ratiocinantis juxta præcepta veri Magistri, instruens quô pactô conficiendæ sint rectæ apprehensiones, judicia, & discursus.

4. Quid docens; & utens.

Nota tertiò: Logica artificialis ex Scoto *quæst. univers.* subdividitur in docentem; & utentem. *Logica Docens* est, quæ docet, & præscribit regulas ritè dividendi, definiendi, & argumentandi in quavis scientia. *Utens* est ipse usus, & exercitium regularum; seu illa Logica, quæ regulis præfatis utitur in actu exercito sive in sua materia, sive in materia aliarum scientiarum efficiendô bonas divisiones, definitiones, & argumentationes.

5. Quid docens actualis; & habitualis.

Nota quartò: utraque ista Logica rursus partitur in actualem; & habitualem. *Logica docens Actualis* sunt ipsi actus Logicæ docentis, quibus cognoscuntur regulæ bene dividendi, definiendi & argumẽtandi. *Logica docens Habitualis* est habitus quidam ex frequentatis cognitionibus dictarum regularum relictus in ratione, seu in intellectu, facilitans, & inclinans ad similes cognitiones *Logica utens Actualis* est ipse usus, seu exercitatio, quâ conficiuntur, divisiones, definitiones, & argumentationes secundùm regulas præcognitas. Habitualis est habitus relictus in intellectu ex similibus frequentatis actibus confectionum.

Dico secundò: Existit in intellectu cujusvis hominis, aliàs physicè per defectum aliquem naturæ, vel ætatis non impediti, Logica Naturalis. Ita deducitur ex Aristotele, *1. Rhet. cap. 1.* ubi docet homines à natura esse Rhetores, & Dialecticos; quod idem est, ac Logicos. Conclusio quoque tenetur à Socrate, & Platone; ut habetur *in Philebo Platonis 2.*

6. Extat Logica naturalis.

Probat. Tum quia ut rectè discurrit D. Augustinus *quæst. 80. nov. Test.* multi homines absque prævia instructione Magistri, & studio Logicali de multis rebus rectè ratiocinantur; v. g. nautæ de ventorum ortu, ac tempestatum imminentia; agricolæ de aëris intemperie futura, sterilitate, &c. Alij de bona politia, æquitate, & fabricis ritè construendis; unde experimentô constat, plures in quavis Provincia reperiri Juristas, & Causidicos naturales: Ergo in his latet conge-

nita quædam notitia, quæ dicitur Logica Naturalis. Tum quia Author naturæ condens intellectum in anima hominis immeritò eum in quovis individuo alligâsset Magistro, qui id Logicâ artificiali deberet erudire in ordine ad rectè apprehendendum, judicandum, & discurrendum; cùm rara sit talis scientia in regionibus Barbarorum, ubi Logices artificialis studia non vigent: Ergo dicendum est, hominem aliàs physicè non impeditum, à natura sortiri Logicam quandam Naturalem.

Dico tertiò: Existit quoque in intellectu plurium hominum vera Logica Artificialis. Ita patet ex Philosopho *loc. citat.* Et communi DD.

7. Similiter artificialis.

Probat. Tum quia in Aristotele fuit Logica Artificialis; qui proinde eandem scientiam posteritati tradidit, componendo nobile opus Logices, quod Organum appellavit. Tum quia in Scoto fuit eadem scientia; is siquidem memoratum Organum Aristotelis subtilissimis quæstionibus Logicalibus illustravit. Tum quia in Platone, S. Augustino, alijsque Græcæ, & Latinæ Ecclesiæ Doctoribus mira perfectione resedit illustris hæc facultas; uti patet ex eorum scriptis, quæ sunt plena ratiocinijs eruditis. Tum quia quotannis videmus prodire in lucem erudita volumina, continentia scientiam Logicalem; & homines omnis nationis Europææ studere, & discere eandem: Ergo existit in intellectu plurium hominum vera Logica Artificialis.

8. Aristoteles Logica restaurator.

Nota quintò: De inventione, & proplantatione Logicæ idem dicendum est, quod *in Prolog. in Universam Philosophiam quæst. 1. notab. 2. & sequentibus* dixi de origine, & proplantatione totiûs Philosophiæ; cum qua hæc facultas simul sortita est incunabula, & sua incrementa. Hoc solùm superaddendum est, quòd Aristoteles Logicam plurimùm collapsam rursus novâ, eâque perfectissimâ methodo restauraverit, novis complutibus præceptis, & regulis necessarijs antiquitùs ignoratis illustraverit; & adeò ad eximiam perfectionem adduxerit, ut quasi ejusdem postliminiò secundarius institutor, & Author censeri possit: Unde Cicero in *Topicis* vocat Aristotelem *Principem Dialecticæ* (quo nomine venit Logica) cui adstipulantur S. Isidorus, Origenes, & Zabarella.

9. Logica artificialis inventa est post alias scientias.

Nota sextò: Logicam Artificialem etiam primævam (quæ jam, etsi cum quadam imperfectione, vigebat tempore Zenonis, Cleantis, Architæ Tarentini, & aliorum viventium ante Aristotelem, teste Platone *in Dialogis*) primitùs inventam esse post alias scientias; ut habet Scotus *1. Post. q. 46.* Ratio est; quia ut narrat Aristoteles *1. Met. cap. 1. & 2.* homines ex admiratione Philosophare cœperunt, videndo varios effectus, quorum causas indagare cœperant; & quidem naturâ ita propendente, & ducente à minoribus, & facilioribus, ad majora, & difficilia processerant, priùs constituendo scientias,& artes practicas; deinde verò speculativas; & ex speculativis in methodum, & regulas priùs reducendo eas, quæ sunt faciliores captu: Logica autem est cæteris scientijs practicis, & speculativis difficilior; cùm agat de secundis intentionibus, genere, specie, differentia, subjecto, prædicato, syllogismo, &c. quæ sicut habent minimam entitatem, ita minimam intelligibilitatem: adeòque Logica primitùs inventa est post alias scientias.

10. Logica artificialis tradenda est ante alias scientias.

Quæres: An Logica Artificialis rectè ante alias scientias sit tradenda, & discenda? Plato *7. de Reip.* arbitrabatur, Mathematicam ante omnes alias facultates esse tradendam, & discendam, & hoc non nisi 30. annô ætatis. Respondeo ego cum Scoto *q. 46. & 2. Met. cap. 3.* Logicam Artificialem esse præmittendam alijs scientijs. Ratio est; quia ut ait Philosophus *1. Rhet. t. & 2.* absurdum est quærere scientiam, & modum sciendi: sed Logica Artificialis est modus sciendi alias disciplinas: Ergo non debet quæri cum alijs scientijs: neque potest; quia modus præsupponitur illi, ad quod est modus. Deinde Logica est instrumentum, sine cujus applicatione non potest acquiri perfecta notitia in quacunque facultate: Ergo Logica Artificialis est omnino præmittanda ordine doctrinæ alijs scientijs.

QUÆSTIO II.

Utrum Habitus Logicæ sit ars; vel scientia.

No-

1. Quid habitus naturalis; & artificialis.

Nota primò: Nomine *Habitûs* ut ſic intelligitur qualitas potentiæ alicui ſuperaddita, quæ eandem vel inclinat, & facilitat; vel elevat ad promptè operandum. Habitus alij ſunt naturales; alij ſupernaturales. *Naturales* ſunt, qui à potentijs naturalibus per frequens exercitium acquiruntur; tales ſunt habitus Logicæ, Phyſicæ, Mathematicæ, &c. *Supernaturales* ſunt, qui à DEO ſolo infunduntur; tales ſunt habitus Theologici Fidei, Spei, & Charitatis virtutū Theologalium.

2. Quid intellectualis; & moralis.

Nota ſecundò: Habitus naturales alij ſunt intellectuales; alij morales. *Intellectuales* (qui & *virtutes intellectuales* nominantur) ſi ad verum inclinent ex Ariſtotele *6. Ethic. cap. 3.* ſunt illæ qualitates, quæ ſubjectantur in intellectu, inclinantes, & facilitantes eundem ad ſuos actus promptè, & delectabiliter ponendos. *Morales* ſunt, qui ſubjectantur in voluntate, vel alia potentia voluntati ſubjecta, eandémque inclinant, & facilitant ad ſuos actus ponendos; hi ſi ad bonum moris inclinent, dicuntur *virtutes morales.*

3. Quid ſit Sapientia, prudentia, intelligentia, ars; ſcientia, & opinionis habitus.

Nota tertiò: Secundùm Philoſophum *5. Eudemiorum cap. 3.* quinque ſunt ſpecies habitûs naturalis intellectualis; ſapientia; ſcientia; prudentia; intelligentia; & ars. Sapientia ex Ariſtotele *loc. citat. cap. 7. eſt habitus mentem dirigens, & inclinans circa res altiſſimas, & univerſales*, v. g. *circa DEUM, Angelos, &c.* Scientia ex Ariſtotele *Poſter. cap. 2. eſt habitus inclinans ad cognitiones certas, & evidentes de re neceſſaria per demonſtrationem comparandas.* Scientia actualis ab habitu proveniens erit ipſa cognitio certa, & evidens, de objecto neceſſario, habita per diſcurſum. Prudentia ex Scoto *3. diſt. 34. quæſt. unic. eſt habitus cum recta ratione activus, ſeu conſiliativus, inclinans ad opera prudentialia.* Intelligentia ex Scoto *1. Poſter. cap. 2.* ſeu intellectus (ut loquuntur alij) *eſt habitus primorum principiorum, inclinans ad promptè intelligendum prima principia*; qualia ſunt v. g. omne totum eſt majus ſua parte; item, quodlibet eſt, vel non eſt, &c. Ars ex Scoto *1. diſt. 38. quæſt. unicâ eſt habitus cum recta ratione factivus*, id eſt, eſt habitus talis, qui rectificat potentiam, eandémque dirigit, ut rectè ponat ſua opera. His adde Opinionem; quæ eſt habitus quidam inclinans ad cognitiones probabiles tantùm.

4. Artis varia uſurpatio.

Nota quartò: Ars duplicem habet uſurpationem apud AA. *Primò* aliquando ſumitur impropriè, pro quolibet habitu, ſive practico, ſive ſpeculativo; hôc ſenſu uſurpavit artem Philoſophus *1. Met. text. 1.* ubi Mathematicas diſciplinas vocat artes; quas tamen *12. Meta. text. 44.* nominat ſcientias; quare in hoc ſenſu coincidit cum habitu ſcientiæ. *Secundò* ſummitur propriè pro ut præcisè importat habitum factivum inclinantem ad opus ſive internum particulare perficiendū per intellectum; ſive externum perficiendum per potentiam aliquam externam mediante organo corporeo; ſic uſurpatur ab eodem Philoſopho *6. Ethic. cap. 3.* & à Doctore *1. Diſt. 3. quæſt. 7.*

5. Quid Ars liberalis, & Mechanica; & quo tuplex.

Nota quintò: Ars propriè dicta alia eſt liberalis; alia mechanica. *Ars Liberalis* eſt ea, quæ ordinatur ad opus rationis, quæ libera eſt; & habet ſub ſe ſeptem ſpecies, Grammaticam, Rhetoricam, Logicam utentem, Arithmeticam, Muſicam, Geometriam, & Aſtrologiam; Poëſis reducitur ad Rhetoricam, juxta illud Ciceronis, *eſt finitivus Oratori Poëta*: memoratæ artes continentur hoc verſu.

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, aſtra.

Ars Mechanica eſt, cujus opus organô corporeô, v. g. manu perficitur: continet quoque ſeptem principales ſpecies; ad quas aliæ reducuntur; ſuntque agricultura, venatio, armatura, navigatio, medicina, lanificium, & theatrica, juxta verſum

Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber.

Ars mechanica agricultura comprehendit omnes modos colendi agros, plantandi prata, & hortos, &c. *Venatio* complectitur omnes modos, inventiones, & praxes feras capiendi, aucupia, & piſcationes exercendi; artes itidem conficiendi varios cibos, miſcendi potus, &c. *Armatura* reſpicit duas primarias ſibi ſubordinatas artes, achitectonicam ſcilicet, & frabrilem. Sub Architectonica continentur cementaria, carpentaria, omneſque artes in materia lignorum laborandi; uti eſt domifactoria, ſculptoria, &c. item ars lapides ſcindendi, poliendi, & ſculpendi &c. Sub fabri-

li

li resident malleatoria, fusoria, metallorum omnium inventiva, separativa, solidativa, & signativa. *Navigatio* comprehendit omnes praxes, & modos permeandi maria, flumina, lacus, &c. *Medicina* sub se continet Chirurgiam, Pharmacoceupticam, & similes. *Lanificiū* omnes artes texendi, & consuendi in quacunque materia. Theatrica omnes artes ludos præparandi, depingendi omnis generis figuras, & alios modos inventos, & ordinatos ad recreationes mortalium.

6.
Quid sit scientia largè, & strictè sumpta

Nota sextò: Scientiam habitualem duplicem habere acceptionem apud AA. sicut & scientia actualis duplex est, ad quam ordinatur habitualis. *Primò* enim accipitur largè, & impropriè pro omni habitu, qui inclinat ad notitiam, & cognitionem intellectualem; sive ea evidens sit, sive non: quâ ratione etiam Fides dicitur scientia ab Apostolo 1. ad Corinth. 8. *omnes scientiam habemus*, id est Fidem; imò omnis habitus intellectualis, inclinans ad certum, & verum scitum per discursum, vel experimentum; hoc sensu dicitur scientia; etsi evidens non sit; quo sensu eam usurpet Philosophus *6. Ethic. cap. 4. & 7.* *Secundò* capitur scientia strictè, & propriè pro habitu inclinante præcisè ad notitias, & cognitiones certas, claras, & evidentes de objecto necessario, per discursum maximè demonstratorium acquisitas. Ex his

7.
Quatuor conditiones requiruntur ad scientiam rigorosam habitualem.

Nota septimò: Ad scientiam habitualem in rigore, & propriè dictam sequentes requiri conditiones, quas insinuat Philosophus 1. *Paster. cap. 2. & 5. & 6. Ethicor. cap. 3.* & alibi, ut expendit Doctor Subtilis *in Prologo 1. Sent. quæst. 3. Et 3. dist: 24.* *Prima* est, ut sit habitus inclinans ad notitiam certam: per hanc à ratione scientiæ excluditur opinio, & suspicio. *Secunda*, ut sit habitus inclinans ad notitiam evidentem: per hanc excluditur à ratione scientiæ Fides habitualis, quæ innititur obscuro. *Tertia*, ut sit habitus de objecto necessario, id est de eo, quod habet essentiam, & passiones demonstrabiles, quæ necessariò connectuntur cum essentia: per hanc excluditur ars, quæ est de objectis contingentib⁹. *Quarta*, ut sit habitus per discursum syllogisticum demonstrativū acquisitus; per hanc intelligentia, seu notitia primorū principiorū, quæ non est propriæ scientia, exclusa est. Eædem conditiones requiruntur ad scientiam actualem rigorosam. His notatis ad quæstionem.

8.
Habitus Logicæ Docentis nō est Ars.

Dico primò: Habitus Logicæ Docentis (idem dic de ipsa Logica Docente actuali) non est Ars; sed est scientia in rigore, & propriè dicta; & quidem quoad omnes suas partes. *Prima*, & secunda pars deducitur ex Philosopho 1. *Prior. cap. 2* Et tenet eas expresse Doct. Subt. *quæst. 1. univers. §. dicendum*, cum tota sua Schola Subtili. Item S. Augustinus *8. de civ. DEI cap. 4.* D. Thomas cum suis; & communi Peripateticorum; contra Ammonium, Alexandrum, Themistium, Philipponum, & alios Græcos; ac ex Latinis contra Zabarellam, Balduinum, Magnesium, Zimaram, &c. asserentes, Logicam totam esse duntaxat Artem: tertia pars est Doct. *q. 3. Elench.* Ubi Topicam Docentem dicit scientiam.

Probat. Prima pars: Ars propriè dicta ex *notab. 4.* est habitus factivus, inclinans ad opus particulare internum, vel externum: Sed habitus Logicæ Docentis non est talis; quia inclinat ad actus notitiarum universalium; & solus habitus Logicæ utentis ad particulares actus confectionis syllogismi, definitionis, &c. inclinat: Ergo non est Ars.

9.
Sed est scientia.

Probat. Secunda pars *primò*: habitus Logicæ Docentis habet omnes conditiones *notab. 6.* à Philosopho assignatas pro scientia in rigore, & propriè dicta. Ergo &c. Probat. Ant. percurrendo singulas præfatas conditiones: *Primò*; habitus Logicæ Docentis inclinat ad notitias certas, puta ad contemplationes, & cognitiones de natura, & essentia syllogismi, propositionis, termini, definitionis, divisionis, & similium, eorumque proprietatibus, & passionibus, quibus demonstratis intellectus firmiter adhæret, & indubitatâ certitudine assentitur; & sic Logicæ Docentis habitus habet primam conditionem scientiæ rigorosæ, & propriæ, quæ est *certitudo*. *Secundò*; idem habitus inclinat ad notitias evidentes, cujusmodi sunt cognitio syllogismi, quòd constet tribus terminis; & totidem propositionibus; item quòd propositio categorica constet unô subjectô, & unô prædicatô; item quod definitio constet genere, & differentiâ; item quod ex duabus præmissis universalibus affirmativis debitè dispositis in figura, & modo debeat inferri conclusio affirmativa; quæ & similia sunt clara, & evidentia bo-

bono Logico; & sic habitus Logicæ docentis habet secundam conditionem scientiæ rigorosæ, quæ est *evidentia*.

Tertiò: Habitus Logicæ Docentis versatur circa objecta necessaria; puta circa Syllogismum, cujus essentia necessariò connectitur cum passionibus ejusdem Syllogismi, quæ sunt modus, figura, habere tantùm tres terminos, &c. item circa propositiones, quarum passiones, puta conversio, compositio &c. necessariò quoque connectuntur cum eis: & sic habitus Logicæ Docentis est *de objecto necessario*, quæ est tertia conditio scientiæ rigorosæ.

Quartò: Habitus Logicæ Docentis acquiritur per discursum demonstrativum, dum causatur à Logica actuali, eliciente has, & similes demonstrationes; omnis perfecta definitio debet constare genere, & differentiâ: sed definitio, quâ dicitur homo est animal rationale, constat genere, & differentiâ: Ergo est definitio perfecta. Item, omnis oratio in qua quibusdam positis aliud quid ab eis, quæ posita sunt, necessariò sequitur, est verus Syllogismus: Sed Syllogismus demonstrativus est talis oratio: Ergo syllogismus demonstrativus, est verus syllogismus, &c. & sic habitus Logicæ Docentis habet quartam conditionem, quæ est; *acquiri per discursum demonstrativum*: Ergo consequenter habet omnes quatuor conditiones rigorosæ scientiæ.

10. Logica etiam in Topica & Sophist. est scientia.

Probat. Tertia pars ratione Scoti *q. 1. univers.* Logicus etiam in parte Topica, & Sophistica rectè dicitur sciens: Ergo ejus Logica Docens habitualis etiam quoad suas partes rectè dicitur scientia; & non ars. Consequentia tenet ex loco Topico à conjugatis. Probat. ergo Antec. omnis demonstrativè cognoscens potest dici sciens; quia scientia est effectus demonstrationis, ex Philosopho *1. Post. cap. 2.* Sed Logicus rectè dicitur demonstrativè cognoscens, etiã in Topica, & Sophistica: Ergo est sciens. Probat. min. Logicus tam de Syllogismo Topico cognoscit demonstrativè per ejus definitionem, quòd generet tantùm probabilitatem; quàm de Sophistico per ejusdem definitionem, quòd generet errorem: Ergo &c. Confirm. Physicus cognoscit multa demonstrativè in omni parte Physicæ: Ergo & Logicus in parte Topica.

11. Variæ authoritates Philosophi objiciuntur.

Objicies primò: Philosophus adversatur conclusioni: Ergo &c. Probat. Ant. nam *1. Post. cap. 2.* dicit, scientiam esse æternorum, & impossibilium aliter fieri: Sed Logica docens habitualis non est hujusmodi; quia est de secundis intentionibus, quæ solùm existunt tam diu, quam diu intellectus eas fabricat: Ergo non est scientia. Item *1. Meta: text. 15.* Logicam appellat *modum* duntaxat *sciendi*: Ergo non est scientia. Item *1. Top. cap. 9.* ait, officium Dialecticæ, quod idem est ac Logicæ, esse differere ex probabilibus: sed scientia est ex necessarijs: Ergo Logica non est scientia saltem in Topica parte. Item *6. Meta: text. 2.* enumerat omnes species scientiæ, Mathematicam scilicet, naturalem, & divinam: sed ad nullam harum reducitur Logica Docens habitualis: Ergo &c. Item *1. Top. 1.* eandem appellat *artem ratiocinandi*: Ergo &c. Item *1. Rhet. cap. 4.* negat Dialecticam esse scientiam: Sed hæc est Logica: Ergo &c.

12. Sed glossantur pro conclusione.

Respondeo ad *primum* Neg. Ant. & ad ejus probationem primam Neg. Min. ad cujus Rationem dico; quòd licet Logica Docens habitualis non sit æterna, & impossibilis aliter fieri quo ad esse existentiæ secundarum intentionum, secundùm quod sunt corruptibiles, & transitoriæ; est tamen æterna quo ad esse essentiæ earundem; quia secundæ intentiones habent essentiam, & quidditatem, cum qua indispensabiliter & æternaliter cohærent passiones earum, & alia prædicata necessariò competentia; & sic habent perpetuitatem quandam connexionis. Ad *secundum*, explico authoritatem Philosophi, & dico, eum Logicam respectivè ad alias scientias appellare modum sciendi, quatenus scilicet ipsa est aptissimus modus acquirendi de facili alias scientias; cum quo stat, quòd ipsa quoque in se sit scientia. Scotus autem sic glossat Aristotelem allegatum, quòd velit Logicam esse modum sciendi in obliquo; id est tractare de modo sciendi, puta de Syllogismo. Ad *tertium* dico, Philosophum loqui de Dialectica, ut capitur præcisè pro illa parte Topica Logicæ, quæ tractat de locis Topicis, & Dialecticis, ex quibus dum differitur in alijs scientijs, sæpe ex probabilibus tantùm differitur, & non ex necessarijs; quare hæc pars pro tunc, & sub hoc respectu nomine scientiæ non est insignienda: sub alio tamen respectu ejus habitus quoque scientia dici potest; quatenus nimirum in principijs proprijs demonstrat probabilitatem de syllogismo Dia-

Dialectico: nam tunc ex necessarijs procedit. Ad *quartum* dico, Aristotelem *loco cit.* solùm enumerare species scientiæ realis; non autem rationalis, qualis est habitus Logicæ Docentis; id est, ad opera rationis primariò inclinans, & eadem dirigens: nam ut docet Scotus *q. 1. Log. in fine.* Logica non debet dici *scientia realis*; id est de rebus extra intellectum constitutis primariò agens; sed *rationalis*; eò quòd agat de secundis intentionibus principaliter; & de rebus per accidens duntaxat, quatenus scilicet subjacent secundis intentionibus. Alibi autem reposuit Logicam in catalogo scientiarum rigorosarum, ut *1. Prior. cap. 1.* ubi pollicetur se acturum de scientia demonstrativa, quæ est Logica. Ad *quintum* explico Aristotelem, & dico eum loqui de arte impropriè dicta, de qua suprà *notab. 4.* non autem de arte propriè dicta. Ad *Ultimum* dico, Philosophum loqui de Logica utente; non verò de docente. Vel vult dicere Dialecticam, & consequenter Logicam non esse scientiam propter se tantùm inventam; sed esse famulam, & ministram aliarum. Dixi in conclusione, *idem dic de ipsa Logica Docente actuali*: nam habitus specificatur ab actibus, teste Philosopho *2. de Anima text: 131.* unde si habitus Logicæ Docentis est scientia; convincitur quoque ipsos actus Logicæ Docentis, seu ipsam Logicam Docentem actualem, esse scientiam; quæ nil aliud est, quàm contemplatio regularum Logicalium.

Dico secundò: Habitus tamen Logicæ Utentis (idem assere de ipsa Logica Utente actuali) non est scientia rigorosa, sed ars liberalis. Ita Scotus *q. 1. Univers.* cum sua Schola; & D. Thomas cum sua Schola, ac Complutenses, Oviedo, & Arriaga; contra Cavellum, ac Murciam, Didacum à JESU, Cavero &c.

13. Habitus Logicæ Utentis est tantùm ars.

Probat: primò; Scientia ex Aristotele *1. Poster. cap. 7.* versatur circa universalia: Sed habitus Logicæ Utentis nō versatur circa universalia; neque inclinat ad universalia; sed ad particularia: quia inclinat ad actus particulares conficiendi tales propositiones, & syllogismos ex terminis proprijs cujuslibet scientiæ, vel facultatis: sed quod inclinat ad particulares actus est ars, & non scientia: Ergo habitus Logicæ Utentis est ars; & non est scientia rigorosa; sed ars duntaxat liberalis.

Probat: secundò: Habitus Logicæ Utentis non continet conditiones scientiæ rigorosæ: *Primò* enim, non inclinat semper ad conficiendas notitias certas, & evidentes; maximè in alijs scientijs, à Logica distinctis, quibus Logica Utens famulatur, in earum materia conficiendo discursus; sed sæpiùs inclinat ad conficiendas conclusiones topicas, & obscuras. *Secundò*, versatur ut plurimum circa objecta contingentia, & non necessaria, dum in aliena scientia ministrat. Tertiò, raro per discursum syllogisticum acquiritur hujusmodi habitus: sed plerumque per discursus Dialecticos; & opinativos; signanter dum in alijs facultatibus syllogizatur: Ergo habitus Logicæ Utentis non est scientia rigorosa: sed tantùm ars liberalis, & habitus cum recta ratione factivus, seu actus operum internorum liberalium, id est ad rationem liberam pertinentium; puta syllogismorum propositiones, &c.

14. Habitus Logicæ Utentis inclinat instrumentaliter ad aliam scientiam.

Objicies: Habitus Logicæ Utentis inclinat ad aliquam scientiam: Ergo ipse est scientia. Consequentia tenet; quia ex Philosopho *1. Poster. cap. 2. propter quod unumquodque tale, & illud magis* (subaudi) *est tale.* Cùm itaque scientia aliqua sit propter habitum Logicæ Utentis, ipse habitus æquè debet esse scientia. Probat: ergo Antec. Philosophia est vera scientia: sed ad hanc habendam inclinat habitus Logicæ Utentis facilitando intellectum, ut conficiat discursus varios Philosophicos scientificos: Ergo &c. Respondeo dist. Ant. inclinat instrumentaliter Con. Ant. inclinat formaliter, & effectivè Neg. Ant. Itaque habitus Logicæ Utentis instar instrumenti applicantis se tantùm habet respectu scientiæ alterius v. g. Philosophiæ efficiendæ, & causandæ; quod non sufficit ad hoc, ut ipsa quoque denominetur formaliter scientia: effectivè autē, & formaliter scientia Philosophica causatur à suis principijs proprijs, quæ mediante Logicâ Utente, ut instrumentô applicatur ad actus scientificos Philosophiæ eliciendos.

QUÆSTIO III.

An sit realiter distinctus habitus Logicæ Docentis, & Utentis?

No-

1. Habitus Logicæ Utentis capitur bifariã

Nota primò: In hac Quæstione Scotistæ sunt diversi; eò quòd aperta Doctoris Subt. assertio circa eam non habeatur. Ut status quæstionis rite percipiatur, prænotandum est; habitum Logicæ Utentis posse bifariam usurpari. *Primò* usurpatur pro habitu scientifico, per demonstrationem acquisito, quô omnes aliæ scientiæ, puta Physica, Metaphysica, Mathematica &c. utuntur, conficiendo definitiones, divisiones, & discursus: de hujusmodi habitu non procedit quæstio præsens; nam extra controversiam est in schola Scoti, talem habitum non esse realiter distinctum ab habitu Logicæ Docentis; sed esse ipsammet Logicam Docentem habitualem usam, & usatam, ut ita loquar seu in usu positam, & alijs scientijs applicatam; ut rectè ex Maurit. & Avers. notat. P. Mastrius, unde sub diverso respectu, eadem nunc dicitur Docens, nunc Utens. Secundò capitur habitus Logicæ Utentis, pro aliquo habitu, qui ex frequentatis actibus definitionum, divisionum, & argumentationum resultat; & superadditur intellectui, eundemque inclinat, & facilitat ad similes actus promptè eliciendos; & de habitu Logicæ Utentis in hac acceptione exurgit controversia inter Scotistas.

2. Habitus Logicæ Docentis realiter distinguitur ab habitu Logicæ Utentis

Dico primò: Habitus Logicæ Docentis entitativè, & realiter distingvitur ab habitu Logicæ Utentis, ac proinde duplex habitus in Logica est asserendus. Ita deducitur ex Doct. *quæst. 4. Prol. in solut. ad 2. & 3.* & tenent Mauritiûs Hibernicus; Tartaretus, Mastrius, Herman; & consentit Cardin. Sam: contra Pontium, Fuentem, Fabrum, Lealem, Monsturfium &c. & contra Thomistas Conimb: Complut: ac plerosque Recentiores, asserentes esse unum, eundemque habitum utriusque entitativè; & penes connotata duntaxat, ac denominativè distinctum.

Probat. *Primò* Authoritate Philosophi, qui *6. Ethic. cap. 4.* dicit, quòd habitus scientiæ, & habitus artis entitativè, & realiter inter se distingvantur: sed habitus Logicæ Docentis est scientia; uti constat ex dictis *quæst. 2. conc. 1.* & habitus Logicæ Utentis est ars; ut constat ex *eadem quæst. con. 2.* Ergo habitus Logicæ Docentis est entitativè, & realiter distinctus ab habitu Logicæ Utentis.

Probat. *Secundò* Authoritate Doct. qui *loco citat prologi* affert sequentem doctrinam notabilem: ubi cognitio aliquorum non est propter speculari simpliciter; sed etiam aliquo modo propter operari, tunc respectu eorum duplex est necessarius habitus in intellectu nostro; unus respectu universalium; alter respectu particularium, genitus ex actibus particularibus: ex qua doctrina contra Scotistas oppositos sic argumentor; Cognitiones Logicæ Docentis non sunt propter speculari simpliciter; sed etiam propter operari; id est, ut ex directione talium cognitionum, regulas proponentium, eliciantur opera, & actus definitionum, divisionũ, & argumentationum, ad quæ se extendit habitus Logicæ Utentis: Ergo respectu eorum duplex est necessarius habitus in intellectu nostro, unus respectu universalium; id est regularum Logicalium, qui dicitur habitus Logicæ Docentis; & alter respectu particularium, id est particularium confectionum definitionum, divisionum, argumentationum, qui dicitur habitus Logicæ Utentis.

3. Alia ratio ad idem.

Probat. *Tertiò*: Habitus distingvuntur per objecta formalia, ex Philosopho *2. de anima text. 131.* sed objecta formalia habitûs Logicæ Docentis, & Utentis sunt distincta realiter: Ergo & ipsi habitus. Probat. Min. objectum formale habitûs Logicæ Docentis est modus sciendi, seu doctrina regularum ad sciendum ordinatarum; Utentis verò est ipsamet confectio modorum sciendi in particulari: seu usus ipsarum regularum per constructionem definitionum, divisionum, & argumentationum; sed hæc duo sunt distincta realiter; unum enim est speculabile; alterum operabile, seu practicabile; unum est objectum scientiæ; alterum artis, Ergo objecta formalia habitûs Logicæ Docentis, & Utentis sunt distincta.

Probat. *quartò*: quandocunque est alia, & alia difficultas in potentia, asserendus est alius, & alius habitus realiter distinctus: sed in intellectu Logici est alia difficultas in cognoscendis regulis, seu habenda Logica Docente; & alia in applicatione actuali earundem, seu usu, & exercitio, quô definitiones, divisiones, & argumentationes conficiuntur conformiter

L ad

ad regulas Logicales: Ergo alius, & realiter distinctus est habitus Logicæ Docentis, & alius Logicæ Utentis. Maj. patet ex communi asserto Philosophorum, qui habitus naturales ideo adstruunt in potentijs, ut tollant ab eis difficultatem operandi. Probat. Min: quoad secundam partem; experientiâ constat, quòd novelli Logici, etsi jam calleant perfectè regulas, secundùm quas syllogismus debeat confici in prima figura v. g. & cognoscant etiam materiam de qua volunt syllogizare, habeantque omnia alia requisita ad syllogizandum; adhuc tamen sentiant difficultatem, conformiter ad easdem regulas expeditè conficiendi syllogismum in prima Figura: & sæpius deinde conficiendo syllogismum tollunt illam difficultatem, utique per inductionem novi distincti habitûs, resultantis ex frequentatis confectionibus: Ergo revera alia est difficultas in applicatione actuali regularum, seu in usu, & exercitio, quo definitiones, divisiones, & argumentationes conficiuntur.

Probat. *quintò*: in alijs facultatibus v. g. Medicina ponitur duplex habitus, realiter distinctus; unus theoricus, qui versatur circa regulas, & doctrinam Medicinæ, & acquiritur ex auditu Magistri, & lectione Medicorum; alter practicus, qui versatur circa praxes, usus, & exercitia Medicinæ, & acquiritur ex frequenti medicatione, ac cura: Ergo à pari idem dicendum de Logica. Item tametsi quis habeat habitum Scientiæ Moralis de operabilibus in communi, adhuc tamen indiget quoque habitu prudentiæ, quô facilitatur ad particulares actiones hic & nunc eligendas; ut docet Scotus *q. 4. Prolog. citata*. Ergo à paritate idem dicendum de Logico, qui tametsi habeat habitum Logicæ Docentem, qui est de regulis Logicalibus in communi; attamen adhuc indiget altero realiter distincto habitu, quô facilitetur ad particulares confectiones syllogismorum, definitionū, &c.

4. *P. Lealis objicit contentatur.*

Objicit primò P. Lealis de Verona: Scotus *quæst. 1. univers.* dicit, *Logica Utens est in quantum utimur eâ, applicanda eam ad illa, in quibus est usus*: Ergo videtur Doctor asserere Logicam Utentem esse planè Logicam Docentem, absque ulla habituum distinctione: sicut non distingvitur res in esse quieto à se ipsa, dum est sub motu. Respondeo Neg. Conseq. nam in allegato textu Doctor loquitur tantùm de Logica Utente habituali in prima usurpatione; de qua vide *not. 1.* hujus quæstionis, quam utcunque concedo esse Utentem absque ulla habituum distinctione: sed non sequitur ex eodem textu Logicam Utentem in secunda usurpatione non importare distinctum realiter habitum. *Ad rationem* quam addit P. Lealis Neg paritatem; disparitas est; quia res quæ est sub motu, manet quo ad entitatem, quam habuit in esse quieto, invariata; unde accidit ei solùm novum accidens motûs: at Logica Utens, dum sub frequenti usu est, variatur entitati[illegible]; quia ex frequentatis actibus superadditur ei nova entitas habitûs; actus enim frequenti usu syllogismorum, definitionū, & divisionum nati sunt generare novum habitum; non minùs, quàm actus frequenti usu aliarum scientiarum, & artium.

5. *Satisfit quoq; P. Poncio.*

Objicit secundò P. Poncius, & P. Fuente, non est ulla necessitas multiplicandi duos habitus Logicæ, quorum unus sit Docens, alter Utens: unus enim habitus Logicæ Docentis potest utriusque munus subire: Ergo &c. Respondeo Neg. Ant. cum sua Ratione: experimentô enim in novellis Logicis habentibus exactam jam Logicam Docentem habitualem, contrarium constat; in quibus habitus Logicæ Docentis nō subit munus habitûs Logicæ Utentis habitualis, ita ut expeditè ac promptè valeant conficere syllogismos in hac, vel illa Figura, & Modo.

6. *Et P. Montursio respondetur.*

Objicit tertiò P. Montursius: unitas habitûs scientialis attenditur ex unitate objecti, ex Aristotele *1. Post. cap. 23.* sed idem est objectum utriusque Logicæ Docentis, & Utentis, scilicet syllogismus: Ergo erit idem habitus utriusque. Respondeo Negan. Min. cujus contrarium constat ex *prob. 3. suprà.*

Objicit quartò idem Scotista: Eadem differentia potest esse divisiva generis, & constitutiva speciei: Ergo etiam idem habitus Logicæ potest esse Docentis, & Utentis. Respondeo has, & similes rationes, quas memoratus author congerit *disp. 1. proœmiali quæst. 4.* tantùm probare de habitu Logicæ in prima usurpatione; de qua suprà *not. 1.* qui utique est idem habitus in Docente, & Utente; non autem probat de usurpatione secunda, in qua procedit conclusio: unde ad argumentum allatum Neg. Conseq. Hac viâ plura aliorum quoque Scotistarum solvi possunt argumenta in oppositum.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Num Logica sit scientia purè Speculativa, vel Practica?

1. Quid nominis Speculativũ, & Practicum.

NOta primò : Scientiam aliqnam dici *Speculativam* à speculatione ut objecto, circa quod versatur talis scientia. *Speculatio* autem derivatur à Græco verbo *σκοπέω*, quod latinè significat considero, seu contemplor: Unde scientia illa erit speculativa, quæ sistit in consideratione, seu contemplatione rei; cujusmodi est Metaphysica, Mathematica &c. *Practica* verò dicitur â praxi, ut objecto, quod respicit : Praxis autem derivatur â voce Græca *πράττω*, quæ latinè operor, facio, vel ago, interpretatur : Quare Practica censenda est illa scientia, quæ respicit operationem, factionem, seu actionem alicujus potentiæ, cujusmodi est Medicina respiciens curationem ægri; & Theologia viatorum, quâ ratione praxes circa DEUM v. g. ejus dilectionem, & adorationem &c. continet.

2. Quid Praxis impropria, & propria.

Nota secundò : Praxim secundùm Scotum *quæst. 4. Prolog.* dupliciter usurpari posse, impropriè; & propriè. *Praxis impropriè* dici potest omnis operatio cujuscunque potentiæ cognitivæ, & appetitivæ, sive sit naturalis, sive libera; sive hujusmodi operatio præcedat actum intellectûs; sive sequatur; sive sit in nostra potestate, sive non; sive sit bona; sive mala: in hac acceptione etiam speculari, intelligere, furari, & cæteri actus cujuscunque potentiæ dici possunt Praxes. *Praxis propriè*, & ad propositum dicitur sola illa operatio, quæ egreditur â potentia distincta ab intellectu, quæque naturaliter subsequitur actum intellectûs; & elicitur conformiter dictamini rectæ rationis, ac electioni voluntatis, ad hoc ut sit recta. Hujusmodi Praxes sunt dilectio DEI super omnia, ejusque adoratio; cultus Sanctorum; curatio ægri &c.

3. Definitur Praxis à Scoto.

Nota tertiò : *Scotum quæst. citatâ* Prol: rectè & exactè, definire Praxim propriè dictam bonam (quatenus ipsa specificat scientiam Practicam) sic; *Est actus alterius potentiæ ab intellectu, naturaliter posterior intellectione, natus elici conformiter rectæ rationi, ut sit actus rectus.* Ex his Praxim malam facilè definies per oppositum, dicendo, quòd *sit actus alterius potentiæ ab intellectu, naturaliter posterior intellectione, natus elici difformiter rectæ rationi.* Ly enim *actus* ponitur locô generis : reliqua pro differentia.

4. Prima conditio ad Praxim.

Nota quartò : Ex definitione Scotica data Praxis bonæ propriè dictæ (idem dic de mala servatis servandis) requiri tres conditiones : *Prima* est, ut Praxis talis sit actus alterius potentiæ ab intellectu. Cujus ratio est; quia *intellectus extensione fit practicus*, ut colligitur ex Aristotele *lib. 3. de anima cap. 11.* id est cùm se extendit ad aliam potentiam, puta appetitivam, seu voluntatem informandam, regulandam, & dirigendam; nam extendere est extra se tendere: Ergo &c. Et licèt citatum axioma in Aristotele expressis terminis citatis non legatur; eadem tamen sententia apud eum reperitur; quia *n. 2.* inquit. *Intellectus qui alicujus causâ ratiocinatur, & qui est activus, fine differt â contemplativo; & appetitus omnis est alicujus gratiâ. Cujus est appetitus, id principium est activi intellectûs*, seu practici, ut loquitur textus Græcus ibidem: Quo textu Philosophus discriminat intellectum contemplativum (id est speculativum) ab activo (id est practico) & dicit principium intellectûs practici esse appetitum, ad quem regulandum idem intellectus ordinatur; Ex quo licèt sic discurrere ad propositum : Intellectus non est practicus nisi per ordinem ad appetitivam potentiam : Ergo solùm per extensionem ad aliam potentiam fit practicus; atque adeò intellectus extensione duntaxat fit practicus.

5. Secunda conditio ad Praxim.

Secunda Conditio est; ut ille actus, qui Praxis dicitur, sit posterior intellectione. Ratio est; quia directum debet esse posterius dirigente; & regulatum regulâ : ille autem actus, qui dicitur Praxis, est quid directum, & regulatum â notitia practica, seu intellectione dirigente; adeóque est posterior intellectione. Unde defectu hujus conditionis, operationes vegetationis, & nutritionis; item actus potentiæ sensitivæ rationem præcurren-

rentes; item actus dormitionis, vigiliæ, visionis, & similes non sunt propriè Praxes. Operationes verò elicitæ voluntatis, & actus à voluntate imperati aliarum potentiarum sunt veræ Praxes; utpote posteriores intellectione directivâ.

6. Tertia conditio. *Tertia Conditio* est; ut ille actus qui censetur esse Praxis bona, sit conformis dictamini recto rationis; id est, ut sit operatio bona, & nō mala: si autē sit Praxis mala, ut sit difformis dictamini recto rationis. Ratio primi est; quia dictamen rectum rationis est regula dirigens, & conformans Praxes bonas, ceu sua regulata; adeoque ut rationem Praxis bonæ sortiantur, debent esse eidem conformes. Ex dictis

7. Quid propriè scientia Practica. Infertur primò: Scientiam, & notitiam Practicam, propriè dictam esse solùm illam, quæ regulat, & dirigit Praxes, præfatis tribus conditionibus modificatas; cujusmodi sunt Theologia Viatorum, Medicina, & similes notitiæ tendentes per se, & primò in actus elicitos ipsiusmet voluntatis immediatè (quæ sunt principaliter Praxes) vel in imperatos à voluntate, qui sunt Praxes minùs principaliter.

8. Notitia Practica duos respectus importat. Infertur secundò: Secundùm Scotum *quæst. 4. Prol.* omnem scientiam, cognitionem, & notitiam Practicam omnino includere duplicem respectum, prioritatis scilicet, & conformitatis ad Praxim; non quidem actualis; sed aptitudinalis: Ratio est; quia scientia, cognitio, & notitia Practica regulat Praxim, tribuens potentiæ practicanti normam bene operandi; ideoque prior est eâ, eique conformatur *6. Ethic. 3.* Prioritas convenit ei ex ordine potentiarum sic dispositarum in esse, & operari; Conformitas verò ex parte objecti.

9. Ratio Practici & Speculativi sunt quasi duæ passiones incōpatibiles simul. Nota quintò: Ratio *Practici*, & *Speculativi* juxta Scotum *quæst. 4 Prol.* non sunt quidem differentiæ essentiales scientiæ in communi; quia ratio Practici dicit tantùm duplicem respectum, seu relationem aptitudinalem, scilicet prioritatis, & conformitatis ad Praxim; Ratio verò Speculativi dicit carentiam utriusq;: sed nec relatio, nec privatio est de essentia absoluti, quale est scientia, quæ est vera qualitas. Ratio tamen Practici, & Speculativi sunt quasi propriæ passiones Scientiæ à differentijs essentialibus nobis incognitis egredientes, & gerentes vicem differentiarum essentialium: quare sicut passio unius non potest competere alteri v. g. risibilitas hominis equo; ita nec ratio Practici potest reperiri in illo habitu, vel actu, qui est speculativus formaliter. His notatis ad quæstionem.

10. Logica non est Practica. Dico primò: Logica non rectè statuitur in numero scientiarum Practicarum. Ita Scotus *quæst. 4. Prol. & in 6. Met. q. 1.* cum tota sua Schola; contra Occamum, ejusque sequaces Nominales, Conimb. ac Fonsecam, Arriagam, Cornæum, & quosdam alios Recentiores.

Probatur primò: Ut Logica rectè statueretur in numero scientiarum Practicarum, deberet esse vel activa, vel factiva; nam secundùm Philosophum *8. Top. 2. & 6. Met. 1.* omnis scientia Practica vel est activa, vel factiva: Sed neutrum est Logica: Ergo &c. Prob: min: Logica non versatur circa actionem moralem, seu operationem, quæ procedit ethicè ab electione voluntatis; sicut facit scientia activa Practica: neque versatur circa operationes transeuntes in materiam externam; sicut facit scientia factiva: Ergo Logica nec est activa, nec factiva.

Probat. secundò: Ut Logica esset scientia Practica, deberet esse directiva, & regulativa Praxis: sed Logica non est directiva, & regulativa Praxis: Ergo &c. Maj. conceditur ab Adversarijs. Prob. ergò Min: Logica est tantùm directiva, & regulativa modorum sciendi, puta definitionum, divisionum, syllogismorum &c. sed hi non sunt Praxes; cùm non sint actus alterius potentiæ ab intellectu, sed ipsiusmet intellectûs: Unde intellectus logizando non extendit se, seu non tendit extra se; sed manet præcisè in suis operationibus: Ergo Logica non est directiva, & regulativa Praxis.

11. Nonnullæ Objectiones afferuntur. Objicies *primò*: Scientia quæ habet pro fine opus, est Practica: uti constat ex illo Aristotelis *2. Met. cap. 1. finis Practicæ opus, finis verò Speculativæ veritas*: Sed Logica habet pro fine opus, puta Syllogismi, Definitionis, & Divisionis confectionem: Ergo est scientia Practica. *Secundò*: Logica extendit se ad alias scientias; quia est ministra, & instrumentum aliarum facultatum: Ergo est Practica; quia talis extensio sufficit; & quia instrumentum ad practicandum, & non speculandum ordinatur. *Tertiò*: Syllogismus, & alij sciendi modi, circa quos versatur Lo-

Logica possunt imperari à voluntate, ut eos intellectus, vel lingva Logici conficiat: Ergo sunt Praxes; & consequenter ab eis Logica demominatur Practica.

12. *Quæ dissolvuntur.*

Respondeo ad *Primum* primò Dist. Maj. si scientia habeat pro fine opus, quod sit propriè Praxis, Concedo Maj. quod sit impropriè Praxis, Nego Maj. itaque confectio Syllogismi, & omne opus Logicæ cùm sit opus intellectûs duntaxar, & nō alteriùs potentiæ, non est propriè Praxis; neque consequenter sufficienter denominativum practicæ scientiæ ex parte Logicæ. Et Aristoteles quando *loco cit.* dixit finem practicæ esse opus, intellexit de opere, ut coincidit cum rigorosa, & propria Praxi. Respondeo secundò tursus Dist. Maj. scientia quæ habet pro fine primario, intrinseco, & proximo opus est Practica Concedo Maj. quæ habet pro fine secundario, extrinseco, & remoto opus Nego Maj. Nunc Logica habet confectionem Syllogismi &c. pro fine duntaxat secundario, extrinseco, & remoto: pro primario verò ejus speculationem, contemplationem, & veritatem; ex qua deinde sequitur ipsius confectio. *Ad secundum* Nego Conseq. cum sua ratione; quia ratio talis extensionis, seu tendentiæ extra se, non censetur vera extensio; quia semper in genere speculabili subsistit; similiter ratio ministerij, ac instrumenti etiam speculativis notitijs convenire potest; quando hæ ad indagandam veritatem (quæ est finis speculativæ ex citato Philosopho) inventæ, & ordinatæ sunt; uti est inventa Logica. Deinde etsi Logica ministret alijs facultatibus, adhuc Practica dici nequit; quia sic ministrando non dirigit, & regulat opera voluntatis, aut alterius potentiæ, quæ esset sub imperio voluntatis. *Ad tertium*; Nego Conseq. quia ad rationem Praxis propriæ non sufficit esse opus à voluntate imperatum; sed requiritur, ut ulteriùs sit opus potentiæ distinctæ ab intellectu; quod non verificatur de imperata confectione Syllogismi. Nec dictum hoc est arbitrarium Scotistarum responsum; uti comminiscuntur Adversarij: nam fundatum est in doctrina Aristotelis suprà *notab. 4.* relata; insuper si ad rationem propriæ Praxis sufficeret esse imperatam à voluntate, ut ipsi volunt, sequeretur nullam dari scientiam speculativam; nam omnem Metaphysicam conclusionem (idem dic de alijs, quæ censentur esse speculativæ) potest voluntas imperare lingvæ v. g. ut eam manifestet, vel de ea disserat: & sic tandem falsa esset doctrina Philosophi *2. & 6. Met.* dividentis scientiam in Practicam, & Speculativam.

Dico secundò: Similiter nec rectè asseritur Logica esse scientia mixta, seu Speculo-Practica. Ita deducitur ex Scoto *quæst. 4. Prol.* & tuetur universa cohors Scotist. contra plures Thomistas, & Svarez, Ruvium, Vasq. Hurtad. &c.

13. *Logica non est Speculo-practica.*

Probatur primò authoritate Aristotelis, qui *6. Met. cap. 1.* divisit scientiam in Speculativam, & Practicam, tanquam in membra opposita: Ergo ratio Practici, & ratio Speculativi utpote opposita nequeunt eidem Logicæ convenire: & consequenter Logica non rectè asseritur mixta, seu Speculo-Practica, id est, partim Practica, partim Speculativa. *Secundò*: de eodem nequeunt enunciari duo contradictoria simul & semel; quia Practicum dicit duplicem relationem aptitudinalem, prioritatis scilicet, & conformitatis ad Praxim; Speculativum verò dicit negationem talium relationum, seu respectuum; quæ sunt contradictoria: Ergo Logica non est mixta, seu Speculo-Practica. *Tertiò*; Ratio Speculativi, & ratio Practici sunt saltèm duæ passiones oppositæ: ut *notabili 5.* dictum est: Ergo simul inesse nequeunt eidem habitui Logices.

14. *Objecta pro mixtione scientiæ Logicalis*

Objicies *primò*: Philosophus *lib. 1. Prior.* docet, Logicam non solùm considerare debere Syllogismorum generationem; sed etiam faciendi potentiam: Ergo est simul Speculo Practica. *Secundò*: Aristoteles *6. Met. cap. 1.* inter Scientias Speculativas, & Practicas non collocat Logicam: Ergo est distincta ab his; & consequenter Speculo-Practica. *Tertiò*: Aliqui actus intellectûs à Logica dirigibiles possunt esse propriè Praxes, & alij speculationes: Ergo ab eis potest Logica demonstrari Speculo-Practica. Prob. Ant. quoad primam partem, de qua est difficultas: Aliqui actus intellectûs possunt imperari à voluntate; ut fiant boni, vel mali moraliter; v. g. ut fiant propter bonum finem, puta ut Paulus studeat quatenus possit confutare hæreticos: Ergo &c.

15. *Enodantur pro foro Scoti.*

Respondeo *ad Primum* Neg. conseq. nam Logica considerando potentiam faciendi Syllogismos operatur modo merè speculabili, nullam ponendo propriam Praxim; quia non ponit opus alte-

rius

rins distinctæ potentiæ. *Ad secundum* dico Aristotelem in *6. Met. cap. 1.* agere de solis scientijs realibus, ideoq; ibidē nō collocat inter eas Logicam; quia hæc est scientia rationalis. *Ad Tertium* Nego Ant: pro prima parte: Ad cujus Probationem dico cum Scoto *quæst. 4. Prol. num. 5.* hujusmodi actus imperatos bonos, vel malos moraliter posse dici Praxes tantùm extrinsecè, accidentariò, & per respectum ad voluntatem, à qua imperantur, & acquirunt rationem moralis boni: ab his tamen nequit Logica denominari Practica; quia ipsa eos non considerat, nec dirigit quatenus sunt imperati à voluntate; sed quatenus sunt producendi ab intellectu, qui est potentia merè speculativa.

16. *Logica est scientia purè speculativa.*

Dico tertiò: Logica censenda est scientia purè Speculativa. Ita Scotus *quæst. 4. Prol. §. dico igitur*; & cum eo Merinerus, Ant. Andreas, Major. Tatar. Mauritius, Lichetus, Lamazares, & universa Schola Subtilium; cui adhæsêre quoque Complutenses; & Capreol. Sueslan. Canat. alijque plures Thomistæ; & videtur consentire D. Thomas *opusc. 70. q. 3. art. 1. & 1. 2. q. 57. art. 3.* est contra Nominales, & RR. plurimos.

Probatur primò authoritate Aristotelis; qui teste Laërtio in ejus vita tenuit Conclusionem; quod & indicat D. Augustinus *8. Civ. cap. 4.* & añuit Zabarella *2. de natu. Logic. 17.* Ergo &c.

Probat. secundò ratione: Tum quia si Logica non sit purè Practica; nec Speculo-Practica, ut prioribus 2. conclusionibus ostensum est; remanet quòd sit purè Speculativa. Tum quia Logica occupatur totaliter circa dirigendum intellectum; & nullo modo circa voluntatem; unde tradit solùm regulas, & præcepta, quibus bene definiatur, dividatur, syllogizetur &c. Ergo &c. Tum quia opera, quæ ex directione Logices in intellectu sequuntur v. g. confectiones definitionum, divisionum, syllogismorum &c. non sunt Praxes propriè; quia non sunt actus alterius potentiæ ab intellectu, sed ipsiusmet intellectûs: Ergo Logica ab eis nequit denominari scientia Practica. Tum quia Logica procedit modo speculabili duntaxat; uti constat ex illo Aristotelis *1. Met. cap. 4. Dialectici* (id est Logici) *est speculari definitiones, & universalia:* Ergo &c. Tum quia ex Aristotele *2. Met. cap. 1. finis Speculativæ est veritas*: Sed Logica habet pro fine veritatem syllogismi, defininitionis &c. Ergo est scientia purè Speculativa.

17. *Prudentia per accidens dirigit opera intellectûs.*

Objicies: Scientia quæ dirigit opera intellectûs, non potest esse purè Speculativa: Ergo &c. Prob. Ant. quia Prudentia dirigit opera quædā virtutū, quæ pertinet ad intellectum; & tamen ideò nō est Speculativa, sed Practica: Ergo scientia quæ dirigit opera intellectûs, non potest esse purè Speculativa. Respondeo Neg. Ant. ad ejus Probationem dico, Prudentiam quædam opera virtutum ad intellectum pertinentia tantùm per accidens dirigere, in quantum scilicet possunt imperari à voluntate; per se verò est directiva actuum voluntatis, ab electione pendentium; & ob hoc duntaxat dicitur scientia Practica.

QUÆSTIO V.

De Objecto, seu subjecto Logicæ.

1. *Quid nominis Objectum.*

NOta primò: Cùm secundùm Philosophū *1. Post. cap. 23. & 2. de anima cap. 2.* scientiæ desumant suam unitatem, distinctionem, & specificationem ab Objecto; idcirco operæ pretium duxi de Objecto in communi scientiarum nonnulla prænotare, antequam ad determinationem Objecti scientiæ Logicalis deveniam. Derivatur ergo ly *objectum* ab *objicio*, quod idem est, ac appono, offero, & præsento; id namque, quod ab aliqua scientia consideratur, eidem objicitur, offertur, & præsentatur; ejus objectum dicitur. Hæc autem tria apud Philosophos hic, & signanter Scotum *quæst. 3. Prol. §. ad 1. arg.* pro synonimis capiuntur, objectum, subjectum, & materia circa quam; etsi diversos dicant respectus.

2. *Quid sit Objectum materiale, & formale.*

Nota secundò: Objectum scientiæ primò dividi in materiale, & formale. *Objectum materiale* dicitur tale propter analogiam, quam habet cum materia; sicut enim illa est indifferens ad varias formas; ita istud ad varias scientias; tale Objectum est ly *homo* v. g. qui potest esse Objectum Metaphysicæ, quatenus est ens, & Phy-

& Physicæ quatenus constat corpore naturali; Moralis quatenus est ad bonum dirigibilis. *Formale* est illa ratio, & formalitas Objecti materialis, quæ ipsum ad unam specialem Scientiam determinat; tale est v. g. ratio *corporeitatis*, quæ determinat hominem ad Physicam: Unde hoc Objectum specificat Scientiam, sicut forma specificat materiam, illamque distingvit ab alijs.

3. Quid adæquatũ, & inadæquatum.

Nota tertiò: Dividitur secundò secundùm Scotum *1. dist. 3. quæst. 3.* Objectum in adæquatum, seu totale, & attributionis (quæ sunt apud nos Scotistas synonima) & in inadæquatum, seu partiale. Primum dicitur *adæquatum*, quod neque excedit Scientiam, nec exceditur à Scientia; sed dicitur eam adæquare; dicitur *totale*, quia à tota Scientia attingitur: dicitur etiā *attributionis*; quia ad id referuntur omnia, quæ in Scientia tractantur: tale est *corpus naturale* respectu Physicæ. *Objectum inadæquatum* est, quod exceditur à Scientia, & dicitur *partiale*, eò quòd ab una tantùm parte Scientiæ consideretur: tale est v. g. *corpus animatum* respectu ejusdem Physicæ.

4. Quid principale, & minus principale.

Nota quartò: Objectum tertiò discriminati in principale; & minùs principale. *Primum* est, quod ex omnibus partialibus objectis est præstantissimum; tale est ex omnibus Objectis Logicalibus *Demonstratio. Secundum* est, quod est Objecti totalis pars minùs nobilis; tale est in Physica v. g. *Lapis.*

5. Quid motivũ, & terminativum.

Nota quintò: Objectum rursus aliud esse *Motivum* (quod alij *Quia* vocant) & est illa partialis ratio, quæ intellectum movet ad Objectum cognoscendum; tale est *revelatio* in Theologia ad cognoscendum DEUM ut Trinum. Aliud *Terminativum* (quod alij *Quod* vocant) & est totum complexum resultans ex Objecto materiali & formali, & quod terminat singulas cognitiones talis Scientiæ, solitas haberi de ejusmodi complexo Objecto; tale est *corpus sanabile* in Medicina.

6. Quid sit Objectũ naturalis attingentiæ, in clinationis natur. & supernaturale.

Nota sextò: Tandem aliud Objectum est naturalis attingentiæ; aliud naturalis inclinationis; aliud supernaturale. *Primum* sic dicitur, eò quod virtute nostra naturali à nobis cognoscatur; tale est quidditas rei sensibilis. *Secundum* est, ad quod suapte naturâ fertur intellectus; tale est *ens* in tota sua latitudine, per cujus cognitionem intellectus perficitur: Unde Philosophus in principio *1. Met. cap. 1.* rectè ait; *omnis homo naturâ scire desiderat. Tertium* est, ad quod attingendum præter naturæ vires aliud comprincipium requiritur; tale est *DEUS* beatificè videndus, ad quod lumen gloriæ requiritur.

7. Tres petit conditiones Objecti adæquati.

Nota septimò: Secundùm Scotum *quæst. 3. Univers.* ad rationem Objecti adæquati, totalis, seu attributionis alicujus scientiæ requiri necessariò tres conditiones principales. *Prima* est, quod de ipso præsupponatur, & notum sit, *quòd sit, & quid sit*; id est, ut habeat existentiam, saltem aptitudinalem; & definitionem seu conceptum quidditativum. Ratio est; quia cùm de tali Objecto conficiendæ sint Demonstrationes, necessariò præcognosci debet, quod existat, vel saltem non repugnet ei existere: & quæ sit ejus essentia.

Secunda est; Quòd habeat proprias passiones, quæ per definitionem suam, seu conceptum quidditativum demonstrentur, ut colligitur ex Philosopho *1. Poster. 1.* quia per medium, quod est definitio subjecti, demonstrantur ejus passiones.

Tertia est; ut ad tale Objectum omnia alia in ea scientia considerata reducantur, ac revocentur; & propter ipsum considerentur vel ut partes subjectivæ; vel ut partes integrales sive remotæ, sive propinquæ; vel tanquam proprietates, & effectus; vel tanquam accidentia inservientia ad ipsius complementum, conservationem, aut cognitionem: vel tanquam principium, vel alio modo, quô unum ad aliud verè reducitur.

Dixi ex Scoto: *Has tres requiri conditiones principales;* quia etsi in *1. Prior. q. 2.* sex Objecti scientifici conditiones necessarias statuat; tamen reliquæ tres non sunt ita principales; sed ad mox enumeratas reducibiles.

8. Continentia Objecti qualis sit ex Scoto.

Nota octavò: Quando Scotus dicit *q. 2. later. in Prol.* quod *ratio primi subjecti* (id est objecti adæquati) *sit continere in se primâ virtualiter omnes veritates illius habitûs, cujus est subjectum;* hoc sic esse intelligendum, quod Objectum adæquatum contineat omnes illas veritates vel virtualiter, vel attributivè, id est, quod ipsum & secundùm se, & secundùm omnia objecta attributa ad ipsum, contineat omnes illas veritates. His notatis.

No-

9. *Quid Logica Aristotelica, & moderna.*

Nota nonò: Logicam in proposito bifariam posse considerari; unò modò prout tradita est ab Aristotele, in ijs libris saltèm, qui ad nos pervenêre: alterô modô secundùm se, & in tota sua latitudine; quatenus comprehendit etiam lib. Prædicabilium Porphyrij; lib. sex principiorum; lib. de divisione; & alia addita à Dialecticis.

10. *Voces nō sunt Objectum adæquatū Logicæ Arist.*

Dico primò: Voces non rectè statuuntur pro Objecto adæquato Logicæ, ut ab Aristotele traditæ. Colligitur ex Scoto *1. Perih. 1.* Et est contra Platonem, Rosellenum, Aureolum, & adscribitur passim Nominalibus.

Probatur: Tum quia homo carens habilitate formandi voces potest habere veram Logicam; cùm voces sint signa duntaxat, & instrumenta ad explicandos conceptus mentis, qui in anima latent *1. Perih. 1.* Et quia solus intellectus est, qui propriè definitiones, & syllogismos format: Ergo voces non rectè statuuntur pro Objecto adæquato Logicæ ut ab Aristotele traditæ. Tum quia Objectum adæquatum non debet ab ulla alia disciplina considerari; ut habetur *2. de anima cap. 4.* sed voces considerantur etiam ab alia disciplina, puta à Grammatica: Ergo &c.

11. *Respondetur quibusdam Objectis.*

Obijcies primò: Logica dicitur à *Logos* id est sermone; & ideo est scientia sermocinalis, & dependens à vocibus: Ergo voces sunt ejus Objectum adæquatum. *Secundò*: Logica æquè tractat de vocali termino, propositione, & syllogismo; ac de mentali: Ergo &c. Respondeo ad *Primum* Neg. Consequ. & dico Logicam dici sermocinalem primariò à sermone interno, id est, conceptu mentis; & secundariò tantùm à sermone externo, vocibus solitò consumari. Ad *secundum* Neg: Ant. Logica enim tractat tantùm per accidens de termino, propositione, & syllogismo vocali; quatenus scilicet per hos ut signa manifestamus conceptus interiores, seu propositiones, & syllogismos mentales; ut dicit Philosophus *1. Perih: 1.*

12. *Ens rationis universim sumptū nō est Objectum adæquatum Logicæ.*

Dico secundò: Similiter neque Ens rationis universim, seu in tota sua latitudine sumptum, neque Ens rationis quod consequitur ad operationem intellectûs, seu secunda intentio, cujusmodi sunt *esse prædicati*, *esse subjecti* &c. bene ponitur pro Objecto adæquato Logicæ Aristotelicæ. Ita Columbus, Mastrius, Monteursius, Lealis, & alij Scotistæ. Prima pars est contra Jansen. Averr. &c. secunda contra D. Thomam ejusque sequaces; & ex nostris contra P. Lamazares.

Probat. prima pars: Tum quia Enti rationis universim sumpto deest prima, & secunda conditio principalis, necessariò requisita ad esse Objectum adæquatū: Ergo &c. Probat. Ant. in Logica Aristotelica non traditur *quid sit*; quia nō datur ibidem ulla ejus definitio: neque demonstrantur de eodem ullæ passiones: Ergo deest Enti rationis universim sumpto prima, & secunda conditio. Tum quia sub Ente rationis multa continentur, quæ ad Logicam Aristotelicam non pertinent, scilicet relatio Creatoris ad Creaturam; & Entia rationis, quæ in Grammatica, & Rhetorica traduntur: Ergo &c.

13. *Neq; ut est secunda intentio.*

Probat. secunda pars: Similiter Enti rationis, quod consequitur operationem intellectûs, seu secundæ intentioni desunt legitimæ conditiones Objecti adæquati: quia nullibi in Logica Aristotelis reperitur definita secunda intentio; ut bene observat Scotus *q. 3. univers.* nec ejus principia, & passiones ullibi explicat: Ergo &c.

14. *Cur Logica dicatur rationalis.*

Obijcies contra primam partem: Logica Aristotelica est scientia rationalis: Ergo Ens rationis ut sic est ejus subjectum adæquatum. Respondeo Neg. Consequ. Logica enim ideo dicitur *rationalis scientia*, quia est directiva rationis in suis actibus ratiocinativis. Deinde etsi diceretur à secundis intentionibus rationalis; tamen hæ carent alijs conditionibus Objecti adæquati; idcirco hæ pro objecto adæquato statui nequeunt.

15. *Secunda intentio est tantùm subjectum prædicationis omnium.*

Obijcies contra secundam partem: Ad secundam intentionem omnia revocantur, quæ in Logica Aristotelica tractantur; nam esse subjectum, prædicatum, definitionem, & syllogismum &c. sunt secundæ intentiones: Ergo ipsa bene statuitur Objectum Logicæ Aristotelicæ. Respondeo Neg. Consequ. quia cùm enumeratæ, & quævis aliæ secundæ intentiones finaliter ad syllogismum revocentur; non secunda intentio, sed ipse syllogismus statui debet pro Objecto adæquato hujus Logicæ. Vel dic omnia ad secundam intentionem revocari in Logica Aristotelica ut ad subjectum prædicationis; non verò ut ad subjectum attributionis.

Dico

16. Tres mētis operationes nō sūt objectum adæquatum Logicæ Arist.

Dico tertiò: Neque tres operationes mentis ut dirigibiles bene ponuntur pro Objecto adæquato Logicæ Aristotelicæ. Ita colligitur ex Scoto *q. 3. univers.* & habent P. Frassen, Columbus, Fuente & alij Scotistæ; contra Suar. Ruvium, Masium, & alios RR.

Probat. Tum quia in Logica Aristotelica nusquam definiuntur tres mentis operationes; neque possunt collectivè sumptæ definiri; quia, ut habetur *7. Met. cap. 2. & 3.* nullum compositum definitur, cujusmodi sunt secundæ intentiones; neque principia, & passiones earum demonstrantur secundùm suam rationem generalem: Ergo non bene ponuntur pro Objecto adæquato Logicæ Aristotelicæ. Tum quia unius scientiæ est unum Objectum adæquatum *1. Post. tex. 43.* Sed Logica est una scientia; tres verò sunt operationes mentis: Ergo &c. Tum quia vel illa dirigibilitas operationum est aptitudo, & potentia naturalis, aut est potentia obedientialis: Si est aptitudo & potentia naturalis, spectat ad scientiam animasticam Physicam; sicut spectant ipsæmet operationes entitativè consideratæ; & consequenter nequit esse Objectum adæquatum formale, & specificans Logicæ: Si verò est potentia obedientialis; est passiva respectu directivitatis, quæ est Ens rationis, ab intellectu fabricatum; quod tamen Adversarij removent à ratione Objecti adæquati Logicæ Aristotelicæ: insuper hâc viâ Logica foret subalternata Animasticæ; quia adderet differentiam accidentalem supra ejus Objectum, puta dirigibilitatem: Ergo operationes mentis sub ratione dirigibilitatis non bene ponuntur pro Objecto adæquato Logicæ Aristotelicæ.

17. Neutristæ rejiciuntur hic.

Objicies cum Neutristis: Omnia quæ in ambitu totiùs Logicæ Aristotelicæ tractantur, reducuntur ad tres operationes mentis; nam de prima operatione extat *liber prædicamentorum*, ubi habentur termini incomplexi: de secunda sunt *libri Perihermenias*, ubi traduntur termini complexi: de tertia agitur *in libris Prior. Poster. Topic. & Elench.* in quibus Syllogismus ejusque partes subjectivæ, & passiones accuratè docentur: Ergo tres operationes mentis bene ponuntur pro Objecto adæquato Logicæ Aristotelicæ. Respondeo Conc. Ant. & Neg. Conseq. quia etsi hanc conditionem Objecti adæquati habeant tres operationes mentis; alias tamen duas æquè principales non habet; ut patet ex prima probatione hujus Conclusionis.

18. Neq; oratio est Objectū Logicæ Arist. adæq.

Dico quartò: Pariter nec oratio ut sic; nec demonstratio; neque ens reale ut sic aptè collocatur pro Objecto adæquato Logicæ Aristotelicæ. Ita communis Scotistarum, Montursij, Mastrij, Columbi &c. Prima pars est contra Nominales complures; secunda contra Græcos omnes Animonium, Philoponum &c. Tertia contra plures RR.

Probatur prima pars: Tum quia Oratio ut sic excedit scientiam Logicalem; nam nimis latè patet; cùm sit communis ad Orationem Grammaticam, & Rhetoricam, de quibus non agitur in Logica. Tum quia Oratio ordinatur ad syllogismum ex Aristotele *1. Prior. cap. 1.* Ergo aptè non collocatur pro Objecto adæquato Logicæ Aristotelicæ.

19. Neque Demonstratio.

Probat. secunda pars: Demonstratio non est adæquata Logicæ Aristotelicæ; quia syllogismus Dialecticus, & Sophisticus non possunt ad ipsam reduci: adeoque deest ipsi una principalis conditio Objecti adæquati; & consequenter Demonstratio aptè nòn collocatur pro Objecto adæquato Logicæ Aristotelicæ. Quare Demonstratio est tantùm objectū partiale Logicæ; dignius tamen ex omnibus; quia est perfectissimus modus sciendi ex omnibus, qui in Logica tractantur.

Probat: tertia pars: Scientia rationalis nequit esse de Objecto reali, juxta Philosophum *3. de anima tex. 38.* ubi ait, scientias secari quemadmodum & res, id est subjecta: sed Logica est scientia rationalis: Ergo non est de Objecto reali, ut Objecto adæquato. Præterea omnia, quæ in ambitu totiùs Aristotelicæ Logicæ tractantur, sunt secundæ intentiones; & consequenter non entia realia; v. g. ratio generis, speciei, propositionis, prædicamentorum, syllogismi, &c. Ergo &c.

20. Sed Syllogismus.

Dico quintò: Syllogismus ut sic aptissimè assignatur Objectum adæquatum Logicæ, prout ab Aristotele elucubrata reperitur. Ita Scotus *quæst 3. univers.* Faber, Mauritius, Severinus, Joannes Anglicus, Mastrius, Sarn. & alij Scotistæ, complures; ac ex forensibus Complutenses, Lovanienses, Colonienses, & Ægidius Romanus; contra Nominales, Thomistas, & Neutristas.

M Pro-

Probatur primò ratione Scoti *cit. §. dicendum ergo;* Syllogismus ut sic habet omnes conditiones principales suprà *notabili 7.* recensitas pro Objecto adæquato: Ergo &c. Probat. Ant: *Primam habet; quia statim post determinationem de ejus partibus* (verba sunt Doctoris Subtilis) *in veteri Logica in 1. Prior. præmittit ejus definitionem Philosophus: & secundam habet; quia in eodem multas passiones de ipso ostendit per illam definitionem; ut Modum, & Figuram in illis deesse, & in Modalibus; & habere tres terminos &c. Tertiam similiter habet; propter ipsum enim in veteri Logica determinatur de ejus partibus integralibus, scilicet de incomplexo, & enunciatione, & de partibus subjectis* (id est de partibus subjectivis) *in libro Topicorum, Priorum, & Posteriorum, & de alijs speciebus argumentationis; quia illa reducuntur ad ipsum* (scilicet ad Syllogismum) *sicut imperfectum ad perfectum; & de Syllogismo Sophistico, & de privatione ejus; quia ejusdem est cognoscere:* Ergo Syllogismus ut sic habet omnes conditiones principales pro Objecto adæquato.

Probat. secundò: Aristoteles in omnibus suis libris Logicalibus collimavit ad Syllogismi confectionem debitam: insuper *1. Prior. 1.* petit sibi gratias agi, propterea quòd syllogismum invenerit: Ergo is rectè pro ejus Logicæ Objecto adæquato ponitur.

21. *Impugnatur Syllogismus pro Objecto adæquato assignatus.*

Objicies *primò:* Syllogismus reducitur in Logica Aristotelica ad argumentationem in communi: Ergo hæc potiùs assignari debet pro Objecto adæquato. *Secundò:* nulla scientia format suum Objectum; quia ad eam præsupponitur, sicut causa ad effectum; unde scientia nascitur ab objecto, juxta illud D. Augustini *11. de Trinit. cap. 12. ex cognoscente, & cognito pariter notitia:* sed Syllogismus formatur à Logica: Ergo ipse nõ assignatur bene pro Objecto adæquato. *Tertiò:* Syllogismus est objectum adæquatum partis Logicæ Aristotelicæ, puta librorum Priorum: Ergo nequit esse Objectum adæquatum totiùs Logicæ Aristotelicæ. *Quartò:* omnis scientia est per Syllogismum: Ergo si Syllogismus in communi est objectum Logicæ Aristotelicæ adæquatum, datur de ipso scientia per alium Syllogismum: subsumo, sed hoc est falsum; Ergo &c. Prob. Ant. subsumpti: ille Syllogismus alius, per quem habetur scientia de Syllogismo in communi, vel est notus, vel ignotus; si ignotus, nequit per ipsum haberi scientia: si notus: Ergo per alium Syllogismum; & tunc quæram de illo rursus utrùm sit notus: ex quo aperitur processus in infinitum; qui declinandus est à bono Logico.

22. *Sed defenditur solutione argumentorum.*

Respondeo ad *Primum* Neg. Consеq. quia quamvis hæc conditio reductionis argumentationi conveniat; eò quòd omnia remotè, non autem proximè ad eam reducantur in Logica Aristotelica; tamen aliæ conditiones eidem non conveniunt; nam Philosophus nusquam definit argumentationem ut sic; ut bene observat Scotus *q. 3. univers. §. ad rationem positionis:* neque de ea in ejusdem Logica demonstrantur ullæ passiones. *Ad secundum* dico, Majorem cum suis rationibus esse veram de scientia reali Speculativa; non autem de rationali, & directiva, cujusmodi est Logica Aristotelica. *Ad Tertium:* Dist. Ant. Syllogismus est Objectum adæquatum partis Logicæ penes formam illativam Conc. Ant. penes omnes passiones in se, aut in suis partibus subjectivis integralibus, & reducibilibus ad ipsum Neg. Ant. Itaque secundùm istas passiones in se, aut in suis partibus est objectum totiùs Logicæ: Potest autem aliquid secundùm diversam considerationem esse objectum partis; & totiùs scientiæ. *Ad quartum* concedo Ant. & Nego Conseq. cum Ant. subsumpti. Ad probationem ejus dico cum Scoto *q. 3. univers.* illum Syllogismum alium, per quem habetur scientia de Syllogismo in communi, esse notum ex se ipso quoad aliquid; scilicet quoad veritatem præmissarum, & evidentiam illationis; cùm sit Syllogismus perfectus, qui ex Philosopho *1. Prior. cap. 1. nulla re indiget, ut appareat necessarius;* unde vitatur processus in infinitum.

23. *Logica amplicata habet pro Objecto adæquato Modũ sciendi ut sic.*

Dico sextò: Logicæ, ut de facto in tota sua latitudine traditur, Objectum adæquatum est Modus sciendi ut sic, seu instrumentum sciendi in communi. Ita Scotus *1. Prior. q. 2.* quem sequuntur plerique ex suis, Merinerus, Rodriquez, Mastrius, Pontius, Frassen, Columbus, Villaverde, Herman &c. cum quibus tenent quoque Conimb. Toletus, Fonseca &c. contra Lamazares, Lealem, Fuente, & Montursium Scotistas, assignantes syllogismum ut sic; & contra alios extraneos Nominales, & Neutristas.

Pro-

Probatur *primò*: Modo sciendi in communi conveniunt omnes conditiones Objecti adæquati; Ergo &c. Prob. Ant. *primò*: Modus sciendi in communi in Logica secundùm suam latitudinem spectata habet *quid est* seu definitionem; habetque existentiam in intellectu Logici. *Secundò*, demonstrantur de eodem passiones; ut quòd sit directivus operationū intellectûs; habet insuper principia sua, ex quibus Logica posset demonstrare passiones; nimirum definitionem. *Tertiò*, Ad Modum sciendi in communi omnia in toto Logicæ ambitu reducuntur, vel ut partes subjectivæ, cujusmodi sunt definitio, divisio, & argumentatio, seu syllogismus; vel ut partes integrales; cujusmodi sunt termini, propositiones &c. reliqua verò ad eundem alio aliquo modo revocantur: insuper Modus sciendi ut sic, ut urget Scotus *loco cit.* est *quid commune ad omnia considerata in Logica moderna; nec transcendit metas Logicæ*: Ergo Modus sciendi ut sic rectè præfigitur pro Objecto adæquato Logicæ, in tota sua latitudine traditæ.

Probat. secundò alijs rationibus: Logica in moderna sua extensione, & traditione considerata incumbit omni nisu in Modū sciendi Objectivum: in omni tractatu, & parte sua tradit regulas conducentes, & reducibiles ad ipsum: Ergo &c. *Secundò*: Ab ejusmodi Modo, & instrumento sciendi vocatur *facultas instrumentaria*; quia est de modo, & instrumentis sciendi *2. Met. tex 15.* Ergo &c. *Tertiò*: Modus, & instrumentum sciendi in communi comprehendit sub se definitionem, divisionem, & si quæ alia extant instrumenta cognoscendi, & objecta Logicalia, de quibus Aristoteles non egit: Ergo &c. *Quartò*: Nihil aliud congruentius assignari potest pro Objecto adæquato Logicæ, in moderna extensione & traditione consideratæ; uti patet ex refutatione aliarum sententiarum, facta *in superioribus Conclusionibus* pro Logica Aristotelica: Ergo Logicæ, ut defacto in tota sua latitudine traditur, Objectum adæquatum est Modus sciendi ut sic, seu instrumentum sciendi in communi.

24. *Oppositiones P. Lamazarn.* Objicies cum P. Lamazares, & alijs Scotistis *primò*: Scotus *q 3. univers.* assignat expresiè pro Objecto totiûs Logicæ syllogismum ut sic, dicens: *est autem syllogismus subjectum totiûs Logicæ &c.* Ergo. *Secundò*: Ad syllogismum omnia prorsus objecta partialia Logicæ reducuntur, etiam ipsa definitio, & divisio, tanquam ejus adminiculatoria, de quibus in moderna ampliata Logica agitur ex professo: Ergo hic statui debet pro Objecto adæquato etiam Logicæ in sua latitudine consideratæ.

25. *Refelluntur.* Respondeo ad *Primum*: Scotum deinde *1. Prior. cap. 2.* etiam expressis terminis statuere Modum sciendi ut sic totiûs Logicæ Objectum adæquatum dicens; *instrumentum sciendi est subjectum in Logica*: quare ne Doctor Subtilis sibi videatur contradicere, dico; ipsum in primo loco loqui de Objecto totiûs Logicæ Aristotelicæ; in secundo verò de Objecto totius Logicæ, utì defactò ampliatè traditur. Nec valet evasio P. Lamazares; quòd Scotus in secundo loco Modum sciendi ut sic sumat pro argumentatione; quæ, cùm ex eodem Doctore *q 3. univers.* analogum sit, verificari debet de principali analogato, quod est syllogismus. *Contrà* enim est; quia secundô locô *lib. Prior.* Scotus apertè longo discursu docet, Syllogismum non posse statui pro Objecto adæquato totiûs Logicæ modernæ; adeoque Modum sciendi non usurpat pro argumentatione analoga, supponente pro principali analogato, id est syllogismo. *Ad secundum* Nego Ant. nam ad syllogismum non reducitur Enthymema, & Inductio; Neque reducitur definitio, & divisio; cùm sint Modi sciendi distincti à syllogismo; & Objecta partialia, de quibus plures demonstrationes confici possunt. Et licèt dici possint adminiculatoria syllogismi; tamen sub hoc conceptu non per se, sed per accidens duntaxat ad eum reducibilia essent; quod non sufficit, ut tertia conditio Objecti adæquati totiûs ampliatæ Logicæ verificetur de syllogismo.

QUÆSTIO VI.

De Utilitate, & Necessitate Logicæ artificialis.

Præsuppono hìc distinctionem, & explicationem Logicæ naturalis, & artificialis, quam assignavi suprà *quæst. 1.* De naturali ne-

nemo Doctorum dubitavit, eam non tantùm esse utilem; sed & summè necessariam ad omne genus scientiarum attingendum; cùm hæc sit ipsa ingenita hominibus virtus ratiocinandi, seu ipsum lumen naturæ, dictans Modum rectè apprehendendi principia scientiarum, & ex eis discurrendi. Circa artificialem ergo

1. *Logica artificialis est valde utilis.*

Dico primò: Logica artificialis insignem utilitatem, & emolumentum affert homini studioso. Ita comunis Philosoph. Cathol. & SS. PP. cum Platone, & Aristotele; contra Epicurum, & ejus sequaces, Logicam artificialem ut inutilem contemnentes; & contra Cirenaicos Aristippi sectatores; ac contra Hæreticos plerosque, Logicam mirè criminantes; eò quòd ejus beneficiô technæ ipsorum, & sophismata detegantur.

Probat. *primò* authoritate Philosophi varias Logicæ artificialis utilitates commemorantis: nam eo teste *1. Top. 2.* Dialectica ad omnium Methodorum principia viam parat: & *1. Met. 1. & 2.* ait, quòd ob imperitiam Dialecticæ (idem est quod Logicæ) Philosophi antiqui in multos errores inciderint. Et *2. Met. cap. 3.* Dialectica vocatur Modus sciendi; & consequenter est norma fugandi errores; qui omnes textus insignem utilitatem Logicæ indicant: Ergo &c. Accedit authoritas Platonis *in Phædro*; Boëtij in *Topicis*; Ciceronis, & aliorum veterum, utilitatem Logicæ extollentium: Ergo &c. Probat. *secundò* authoritate SS. PP. eandem artem mirè recommendantium ut utilem: Unde D. Augustinus *lib. 2. Doctr. Christ. cap. 31.* ait *ad omnia genera quæstionum, quæ in sacris Litteris sunt penetranda, & dissolvenda, Disputationis scientia* (id est Logica) *plurimùm valet*: Ergo &c. *Tertiò*: accedit exemplum Christi, qui teste eodem D. Augustino *3. contra Crescentium*, in disserendo cum Diabolo usus est Dialecticâ, tanquam utili instrumentô: similiter D. Paulus *in suis Epistolis*; & alij SS. PP. veteres, & recentiores Logicæ artificium adhibuêre in suis ratiocinijs, & disceptationibus cum Hæreticis: Ergo hæc facultas habet suas utilitates: quarum quatuor affert P. Tatar. *quæst. 3. dub. 3. prima est* facilitas dividendi, definiendi, & argumentandi; *secunda* facilitas discernendi verum à falso; *tertia* facilitas argumentandi, & respondendi in omni rerum genere; *quarta* facilitas solvendi paralogismos, in forma peccantes.

2. *Resolvuntur instantiæ contra conclusionem.*

Objicies primò: Quidam SS. PP. Dialecticæ studium reprehendunt; unde D. Hieronymus *ad Damasum* ait: *Nonne vobis videtur in vanitatem sensûs, & obscuritatem mentis ingredi illum, qui diebus & noctibus in Dialectica arte torquetur?* Et in Jure Canonico *dist. 37. cap. Omne*, dicitur; *non in Dialectica placuit salvare populum suum.* Et *1. Corinth. 8.* dicitur, *scientia inflat*: Ergo Dialectica, seu Logicalis scientia non est utilis. Respondeo *ad Primum*: SS. PP. & signanter D. Hieronymum solùm reprehendere excessivum studium Dialecticæ, puta si Christianus continuò occupetur eâ arte, neglectô studiô circa præcepta Religionis Christianæ, eorumque observantiam. *Ad secundum* dico, quòd Jus Canonicum solùm velit, in sola Dialectica DEUM non salvare Christianos; sed insuper & principaliter in studio vitæ Christianæ. *Ad tertium* glosso Scripturam cum D. Augustino, & dico scientiam non formatâ charitate inflare; potest autem Logicalis scientia esse formata charitate, & sic quâ talis non inflabit. Circa alterum articulum quæst.

3. *Quid necessariú absolutú; & secundùm quid.*

Nota primò: Necessarium aliud esse absolutum, seu simpliciter; aliud secundùm quid. *Necessarium absolutum* est illud, quod ex sua natura includit necessitatem essendi, & non per ordinem ad aliud; tale est solus DEUS, cui repugnat non esse; quia est independens prorsùs: vel ut alij explicant Necessarium absolutum est, sine quo aliud nullatenus haberi potest. *Necessarium secundùm quid* (quod & *necessarium ex hypothesi*, seu *suppositione* vocatur) est illud, quod ex natura sua non dicit necessitatem essendi; sed ex suppositione alicujus alterius causæ acquirit essentiam, quam dum semel possidet, dicit necessitatem essendi: quare cùm sint quatuor genera causarum, materialis, formalis, efficientis, & finalis; idcirco & quatuor genera necessariorum ex suppositione consurgunt, ut observat Aristoteles *1. Met. tex. 6.* tale necessarium ex suppositione causæ efficientis est *calor*, qui posito igne consurgit: Et ex suppositione causæ formalis *animatio*, quæ sequitur ad organizationem: Et ex suppositione causæ materialis *corruptibilitas*, quæ sequitur posito corpore compo-

posito ex materia, & forma: Et tandē ex suppositione causæ finalis *pecunia*, pro fabrica novæ domûs construenda necessaria.

4. Quid necessarium physicè, & moraliter.

Nota secundò: Necessarium rursus aliud esse necessarium physicè, aliud necessarium moraliter. *Primum* est illud, sinè quo non potest ullo modo naturaliter finis acquiri; quia scilicet vel est principium physicum totale, aut partiale influens in finem; vel in aliquid requisitum ad finem adipiscendum; vel est conditio applicans tale principium; hoc modo necessaria est virtus calefactiva, & applicatio talis virtutis ad producendum calorem. *Necessarium moraliter* est illud, sinè quo quidem posset acquiri finis physicè; quia scilicet daretur sufficiens virtus physica, & applicatio ejus sinè eo ad producendum talem finem; attamen adeò difficulter produci posset sinè eo, ut in communi hominum æstimatione censeretur impossibile.

5. Logica artific. non est physicè necessaria.

Dico secundò: Logica artificialis non est simpliciter, & physicè necessaria ad comparandas alias scientias. Ita Scotus 2. *Met. 12.* Et communis Scotistarum; contra Burl. Ægidium, Alvarez, Boëtium &c.

Probatur: Tum quia experientiâ constat; plures evasisse in doctos viros in varijs facultatibus, quibus nunquam præmisêre studium Logicæ artificialis; sic evasit Thales Milesius in Physica; Hypocrates in Medicina; alij in Mathematica; alij in Juris Civilis, & Canonici scientia: Ergo Logica artificialis non est simpliciter, & Physicè necessaria ad comparandas alias scientias. Tum quia ad comparandas alias scientias sufficit præcognoscere præcepta, & regulas earum, absque hoc quòd disponantur in figura, modo, & ex eis deducantur Conclusiones scibiles; sed illam præcognitionem præceptorum, & regularum præstat Logica naturalis, seu lumen naturale: Ergo &c.

6. Resolvuntur argumenta contraria.

Objicies *primò*: S. Augustinus *lib. 2. de ordin. cap. 13.* vocat Logicam *disciplinam disciplinarum. Secundò*: omnis scientia acquiritur beneficiô demonstrationis: sed hanc docet Logica artificialis: Ergo &c. *Tertiò*: nullus potest assequi scientiam propriè dictam, nisi sciat illam resolvere usque ad principia, ut habet Philosophus *1. Post. cap. 2.* sed ad hujusmodi resolutionem requiritur Logica artificialis: Ergo &c.

Respondeo *ad Primum* glossando D. Augustinum, & dico ipsum ideo duntaxat Logicam appellare *disciplinam disciplinarum*, quia ad omnes disciplinas in statu perfecto (ut sequenti conclusione asseram) possidendas est necessaria moraliter, & secundùm quid. *Ad secundum* Nego Min. Nam etiam Logica naturalis suo modo illuminat intellectum ad demonstrandum in aliqua disciplina. *Ad tertium*: pariter dico, pro aliqua resolutione scientiæ in sua principia sufficere simpliciter Logicā naturalem; maximè cùm resolutio talis in principia quandoque fit per se nota; uti & illatio consequentiæ.

7. Logica artific. est secundùm quid necessaria.

Dico tertiò: Logica tamen artificialis est secundùm quid, & moraliter necessaria ad acquirendas alias scientias, scilicet ad easdem in statu perfecto possidendas. Ita colligitur ex Scoto *q. 1. universʃ.* & tenetur communiter à sua Schola; & à Soto, Toleto, Rubio, Complut. &c.

Probatur *primò* authoritate D. Augustini, qui propterea *lib. 3. contra Academicos cap. 17.* dicit, quod *formatrix omnium Philosophiæ partium, judexq́ Dialectica, aut ipsa est sapientia, aut sinè ipsa non potest esse sapientia. Secundò*, authoritate Aristotelis, qui eam *sapientiæ organum* asserit. & 1. Top. cap. 2. dicit, Dialecticam alijs scientijs præstare modum disserendi perfectum. *Tertiò*, authoritate Platonis *7. de Rep.* dicentis: impossibile esse intellectum sinè Dialectica res exactè attingere. *Quartò*, authoritate Lactantij *3. Instit.* dicentis; Epicurum prolapsum esse in turpes errores ob ignorantiam Logicæ; quod & asserit Aristoteles de alijs priscis Philosophis: Ergo Logica artificialis est necessaria moraliter, & secundùm quid ad acquirendas facultates alias, id est in statu perfecto.

Probatur etiam rationibus: Tum quia in communi hominum æstimatione censetur impossibile, alias facultates acquirere perfecto modo sinè Logica artificiali; uti patet experientiâ eorum, qui ipsis studēt absque prævia Logicæ possessione: Tum quia habere scientiam in statu perfecto vel aliquam facultatem, est posse faciliter, & sinè errore actus ab ipsa emanantes producere, inque sua principia resolvere; ut habet Philosophus *1. Poster. cap. 2.* sed hujusmodi actus faciliter producendi, & attem resolvendi in sua prin-

principia docet Logica artificialis, uti habet idem *1. Rhet. cap. 1.* Ergo &c.

8. Rationes in oppositum enervantur.

Objicies *primò*: ad ipsam Logicam artificialem acquirendam non est necessaria secundùm quid aliqua Logica artificialis: Ergo neque ad alias facultates comparandas in statu perfecto. *Secundò*; unaquæque facultas habet propria instrumenta sciendi, puta definitiones, divisiones, & argumentationes: Ergo ad earum acquisitionem non eget intellectus Logicâ artificiali. Respondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam una pars Logicæ artificialis scita adjuvat ad alias partes sciendas perfectè; adeoque ad eas possidendas in statu perfecto est necessaria; v. g. illa pars, quæ tractat de terminis pertinens ad directionem primæ operationis, juvat ad cognitionem alterius partis, quæ tractat de propositione, coalescente ex terminis, & pertinente ad secundam operationem; & hæc pars secunda debitè scita juvat ad illam, quæ tractat de argumentatione, resultante ex propositionibus: imò tota Logica imperfectè tradita in Summulis est Tyronibus necessaria ad seipsam deinde perfectè tradendam in decursu totiûs Logicæ. *Ad Secundum* Dist. Ant. unaquæq; facultas habet propria principia materialia Concedo Ant. formalia Nego Ant. Itaque licèt unaquæque scientia habeat principia propria quoad materiam, ut ex eis elaborentur instrumenta sciendi; forma tamen, & modus eorum ad perfectè, & expeditè conficiendum demonstrationes, à Logica artificiali depromi debent.

QUÆSTIO VII.

De Fine Logicæ.

Quid sit finis intrinsecus, & extrinsecus.

Nota primò: Apud Philosophos per *Finem* in communi intelligi id, in cujus gratiam aliquid ab efficiente fit: hujus variæ sunt divisiones. Primò dividitur in intrinsecum, & extrinsecum. *Finis intrinsecus* est, qui immediatè attingitur ab aliqua facultate organica; ut frænum ab arte frænifactoria: per *organicam facultatem* intelligitur hic omnis illa, quæ non tantùm gratiâ sui est inventa; sed etiam pro adminiculo aliarum. *Finis extrinsecus* est, qui non attingitur immediatè, sed ab alijs, quibus prima inservit; talis finis est directio equi, quæ immediatè attingitur ab arte equestri, eique deservit.

2. Quid finis formalis, & objectivus.

Nota secundò: Finis intrinsecus subdividitur in formalem; & objectivum. *Finis formalis*, qui ab alijs *Quo* dicitur, est cognitio, quâ attingitur, tenetur, & possidetur finis objectivus, v. g. cognitio fræni in arte frænifactoria. *Objectivus* est ipsum objectum talis cognitionis v. g. frænum in eadem arte. Uterque rursus subdividitur in primarium, seu adæquatum; & in secundarium, seu inadæquatum. *Primus* est, in cujus gratiam omnia primò principaliter, & adæquatè intenduntur ab aliqua scientia. *Secundus*, quem scientia non in omni parte sua præfigit per se primò: sed in aliqua duntaxat, & secundariò eum intendit. Alias divisiones vide in Physica *tract.* in 8. lib. physic. dist. 10. q. 20.

3. Finis adæquatus Logicæ modernæ est dirigere singulas tres mentis operationes.

Dico primò: Finis adæquatus intrinsecus Logicæ, ut de factò ampliata traditur, est dirigere omnes omnino, & singulas tres operationes intellectûs; ut rectæ sint; & hoc non solùm in materia demonstrativa; sed etiam in probabili. Ita Scotus *1. Prior. q. 2.* Et sequuntur Mastrius, Hermann & alij Scotistæ. Prima pars est contra Zabarellam, autumantem Logicæ finem esse directionem tertiæ duntaxat operationis, in ordine ad bonum syllogismum cudendum; cui subscribere videntur illi Authores, qui syllogismum ponunt pro objecto adæquato totius Logicæ modernæ: Secunda est contra Ammonium, Avicennam &c. tenentes, finem Logicæ esse dirigere intellectum in sola materia demonstrativa.

Probatur prima pars: Logica inventa est, ut operationes intellectûs perfectè eliciantur; & ad expugnandos errores intellectûs; sed omnes tres operationes intellectûs possunt imperfectè elici, & errori subjici: Ergo ut perfectè eliciantur, & ad expugnandos errores, omnes tres egent Logicâ: Et consequenter finis intrinsecus, & adæquatus Logicæ modernæ ampliatæ est dirigere omnes, & singulas tres operationes intellectûs. Maj. patet; nam propterea Logica dicitur instrumentum sciendi, & scientia discernens verum à falso. Prob. ergo Min. Prima operatio intellectûs potest concipere quidditatem rei confusè; unde ut di-

diſtinctè eam concipiat, à Logica dirigi poteſt hôc præceptô; *ad diſtinctè concipiendam quidditatem alicujus rei, oportet concipere genus, & differentiam ejus.* Secunda pariter poteſt falſum pro vero enunciare: Tertia verò in diſcurrendo inferre quatuor terminos in ſyllogiſmo: Ergo omnes tres operationes intellectûs poſſunt imperfectè elici, & ſubjici erroribus.

4. *Zabarella rejicitur.*

Objicies pro Zabarella: prima operatio ſcilicet apprehenſio non eſt capax ullius directionis; cùm ſit actus naturalis, naturaliter ſequens immediatè ad præſentiam objecti, vel ſpeciei intelligibilis: ſicut ſenſus externi, & phantaſia ob eandem rationem non ſunt capaces directionis: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. ad ejus rationem dico; licèt apprehenſio ſequatur immediatè ad objecti præſentiam, dum in id fertur; quia tamen alio & alio modo in id ferri poteſt, puta modò obſcurè, & confusè; modò clarè, & diſtinctè, ideoque eſt capax regulationis: ex quo patet diſparitas apprehenſionis à ſenſibus externis, & phantaſia, quæ poſitis omnibus prærequiſitis ad agendum ſemper eodem modo feruntur in ſuum objectum.

5. *Etiam in parte Topica dirigit Logica.*

Probatur ſecunda pars: intellectus non ſolùm in materia demonſtrativa; ſed etiam in probabili operans eſt expoſitus erroribus: Ergo etiam in hac eget directione Logicæ, ut rectas eliciat operationes. Ant. patet; quia in formatione ſyllogiſmi Topici poteſt aſſumi medium falſum ad inferendam concluſionem; quæ erit erroris obnoxia: Ergo intellectus etiam in materia probabili eſt expoſitus erroribus.

6. *Solius tertiæ operationis directio eſt finis Logica Ariſt.*

Dico ſecundò: Finis adæquatus, & intrinſecus Logicæ, ut ab Ariſtotele tradita fuit, eſt dirigere ſolam tertiam operationem intellectûs. Ita Scotus *cit. loco*, & ſequitur Maſtrius, Herman, cum alijs Scotiſtis multis.

Probatur diſcurſu Scoti *cit.* quidquid tractat Ariſtoteles in ſua Logica, in gratiam ſyllogiſmi (qui eſt operatio tertia intellectûs) tractat: Ergo finis adæquatus, & intrinſecus Logicæ Ariſtotelicæ eſt dirigere ſolam tertiam operationem. Prob. Ant. quia principia ſyllogiſmi tam proxima, quàm remota affert *in lib. Prædicamen. & Periherm;* rationem ejus, & quidditatem, & quæ in communi eidem conveniunt, oſtendit *in lib. Prior.* Et tandem partes ſubjectivas *in lib. Poſter. Topic. & Elench.* ex quibus Tractatibus conflatur tota Logica Ariſtotelica: Ergo quidquid tractat Ariſtoteles in ſua Logica in gratiam ſyllogiſmi tractat; & conſequenter reſpicit talis Logica pro fine adæquato, & intrinſeco directionem tertiæ operationis, ſyllogiſmum conficientis.

7. *Et quidem in ſolo eſſe ideali.*

Dico tertiò: Hujuſmodi autem directio operationum intellectûs in eſſe exercito non eſt finis adæquatus, primarius, & intrinſecus Logicæ; ſed directio idealis. Ita Scotus *q. 3. Prol.*

Probatur. Etſi Logica ſit directiva, & regulativa omnium trium operationum intellectûs, ut fiant rectæ; hoc tamen non facit, ſemper eliciendo ipſas operationes rectas: nam iſtud pertinet ad particulares ſcientias (in qua occupatur intellectus) ſimul cum Logica utentre: ſed tantùm eſt directiva idealiter, id eſt, exemplariter, quatenus ſcilicet contemplatur inſtrumenta, & dat regulas, ideas, & exemplaria, ad quorum imitationem fieri poſſunt operationes rectæ; Ergo directio operationum intellectûs in eſſe exercito non eſt finis adæquatus, primarius, & intrinſecus Logicæ; ſed potius idealis directio, & in actu ſignato.

8. *Finis intrinſecus Formalis Logica Modernæ eſt cognitio modi, quo diriguntur omnes 3. operationes.*

Dico quartò: Finis intrinſecus formalis Logicæ, ut ampliatè de facto traditur, eſt cognitio modi, quô diriguntur omnes tres operationes intellectûs; objectivus verò eſt ipſemet modus cognitus. Eſt ad principia Scoti *cit.* & tenetur à P. Maſtrio &c.

Probat. univerſaliter loquendo finis formalis intrinſecus cujuſque habitûs ſcientifici eſt cognitio, quæ immediatè ab eo elicitur circa proprium Objectum: objectivus verò finis ejuſdem eſt id, ad quod terminatur finis formalis, ſeu cognitio ipſa: Ergo etiam finis formalis intrinſecus habitûs ſcientifici Logicæ modernæ erit cognitio modi, quô diriguntur omnes tres operationes intellectûs; objectivus verò erit ipſemet modus cognitus.

QUÆSTIO VIII.

De Unitate Logicæ.

No-

1. Quid sit unitas generica, specifica & numerica.

Nota primò: In proposito 4. potissimum attendi posse sortes unitatis; genericæ, specificæ, numericæ, & aggregationis, seu ordinis. Illa dicuntur unum *unitate genericâ*, quæ conveniunt in eodem genere proximo; talem unitatem habent homo, & leo, quatenus conveniunt in gradu generico animalis. Illa dicuntur habere *unitatem specificam*, quæ conveniunt in una specie; talem habent Plato, & Aristoteles, quatenus conveniunt in gradu specifico naturæ humanæ. Illa dicuntur habere *unitatem numericam*, seu indivisibilitatis omnimodæ, quæ non faciunt diversum numerum, ut Marcus Tullius Cicero: & quævis qualitas simplex, ac indivisibilis penitùs. Illa tandem dicuntur habere *unitatem aggregationis, seu ordinis*, quæ ut plura distincta simul accumulantur; inter se tamen nullam unionem physicam, aut unitatem, per se habentes talem habet exercitus, & cumulus lapidum.

2. Logica non habet unitatem numericam.

Dico primò: Logica non habet unitatem numericam, seu indivisibilitatis omnimodæ, ita ut sit una simplex qualitas, Ita Scotus *in Prol. Sent. q. 3.* & *3. dist. 26. q. 2.* & *6. Met. q. 1.* quem, præter suos, etiam sequuntur Occam, Marsil. Gregor. Suar. Tolet. & plurimi RR. contra Thomistas; Vasquez, Complut. &c.

Probat primò: Si Logica haberet unitatem numericam, seu indivisibilitatis omnimodæ; ita ut sit una simplex qualitas, sequeretur, quòd unicus habitus Logicalis de uno objecto partiali v. g. de definitione *quòd sit Oratio, naturam rei explicans*, comparatus facilitaret, & inclinaret intellectum Logici ad assentiendum omnibus alijs Conclusionibus Logicalibus v. g. *quod Syllogismus sit oratio constans tribus propositionibus*: item *quòd Syllogismi boni debeant esse in tali, vel tali bona figura, & modo constructi &c.* Sed experientiâ Tyronum constat, sequelam esse falsam; & est ratio; quia habitus est quasi quoddam semen, quod non alios producit fructus, nisi similes illis, â quibus est productum v. g. solos actus circa solam definitionem: Ergo Logica non habet unitatem numericam, ita ut sit una simplex qualitas. *Secundò*: Actus specie distincti generant habitus specie distinctos; habitus enim specificantur ab actibus: sed dantur plurimi actus Logici specie distincti, quorũ aliqui versantur circa definitionem, divisionem, argumentationem, Syllogismum Demonstrativum, & Topicum &c. ut specie distincta Objecta: Ergo ab his generatur habitus alius, & alius distinctus; & consequenter habitus Logicæ non est una simplex qualitas cum unitate numerica, & indivisibilitatis. Ex his

3. Logica coalescit ex habitibus specie distinctis.

Infertur: Logicam in sua totalitate consideratam coalescere ex pluribus, habitibus, specie distinctis; ut habet Scotus *locis citatis*, & alibi; qui geniti sunt ab actibus, & conclusionibus specie diversis, & habentibus specie diversas difficultates: hujusmodi enim actus, & conclusiones frequentatæ, & repetitæ natæ sunt sibi proportionatos habitus gignere, quibus intellectus Logici facilitatur ad similes actus rursus promptè eliciendos.

4. Thomistæ opponentes expediuntur.

Objicies pro Thomistis: Etsi actus Logicæ productivi habitûs sint diversæ rationis in esse rei, ut arguit secundum argumentum paulò antè præmissum; non sunt tamen diversi, & specie distincti in esse scibilis; unde cùm secundùm quod sunt scibiles, generent habitum, ideo non generabunt habitum diversum, seu distinctum specie. Explicant autem quô pactô actus alicujus scientiæ totalis sint ejusdem rationis in esse scibilis; quia etiamsi sint diversæ rationis in esse rei inquiunt; omnes tamen actus habent eandem rationem *sub qua* versantur circa suum Objectum, v. g. omnes actus metaphysici versantur circa sua objecta, secundùm quod abstrahunt ab omni materia: & omnes actus physici, versantur circa sua objecta, secundùm quod abstrahunt â materia singulari; non verò â materia sensibili: Ergo &c. *Contrà* cum P. Lamazares, & & Poncio hìc; quia in Logica difficulter assignari potest aliqua eadem ratio *sub qua* versetur circa omnia sua objecta partialia: nam si assignent Thomistæ secundã intentionem; hæc licèt sit genericè una, & eadem; attamen termini omnes, de quibus agitur in Logica, sunt diversæ speciei; & prout sic sunt diversæ, agit de ipsis Logica. Præterea tametsi in esse scibilis conveniant omnes actus Logicæ; quia tamen diversas habent difficultates in sui productione; idcirco diversi quoque habitus

bitus pro ijs concedendi sunt; quibus facilitetur, & inclinetur intellectus ad eos ponendos in esse rei.

5. Idem refelluntur.

Objicies rursus pro ijsdem: sufficit unicus simplex habitus Fidei ad credendum omnibus articulis Fidei: Ergo etiam unicus simplex habitus Logicæ ad assentiendum omnibus conclusionibus Logicalibus. Secundò: Est unica numerò potentia intellectûs, quæ potest versari circa diversa specie objecta, ea cognoscendo: Ergo pariter est unicus numerò habitus, quô idem intellectus inclinatur ad diversas conclusiones Logicales eliciendas. Respondeo *ad Primum* Neg. Conseq. Disparitas est; quia ut bene discurrit hìc P. Poncius, omnes actus credulitatis, seu Fidei circa articulos Fidei sunt ejusdem speciei, quantùm est ex parte objecti motivi; quia eadem est ratio formalis, quæ movet intellectum ad ipsos producendos, nimirum Veracitas Divina revelans, ut docent communiter Scotistæ in Theologia; neque propterea est difficultas major in credendo uni articulo Fidei, quàm alteri; si æqualiter proponantur; atque adeò non est necesse, ut multiplicentur habitus specie distincti circa credendos tales articulos: At non est eadem ratio formalis assentiendi omnibus conclusionibus totius Logicæ; neque est eadem difficultas in ipsis; quare hìc debent multiplicari habitus distincti. *Ad secundum* Nego pariter Conseq. Disparitas est; quia ut bene ex Pontio docet Lamazares, potentia intellectiva v. g. ex se est indeterminata, unde ferri potest in omnia objecta, etiam specie diversa, quæ continentur sub suo objecto adæquato; determinatur autem per habitum v. g. Logicæ ad unum objectum præ alio; unde & ipse habitus debet esse determinatus; aliàs non posset determinare potentiam: si autem sit determinatus ad unum objectum; manifestè sequitur, quòd non possit versari circa alterum, nec facilitare ad alterum.

6. Logica habet impropriè unitatem genericam.

Dico secundò: Logica dici potest habere impropriè, & extrinsecè unitatem quandam genericam, & specificam. Colligitur ex Scoto *1. dist. 6. quæst ult. & 3. dist. 36. q. 1.* ubi hoc idem asserit de alijs Scientijs; à quibus proinde valet paritas ad Logicam.

Probatur prima pars ratione Scoti: unitas extrinseca scientiæ alicujus desumitur ab unitate objecti, ex Philosopho *1. Post. cap. 23.* Sed objectum adæquatum Logicæ tum Aristotelicæ, tum modernæ est unum genere, scilicet Syllogismus, & Modus sciendi ut sic: Ergo Logica dici potest impropriè, & extrinsecè habere unitatem genericam. Præterea ab omnibus habitibus partialibus Logicæ specie distinctis est abstrahibilis conceptus unus genericè communis omnibus illis objectis: Ergo ab hoc Logica dici poterit una genere.

7. Et specificam.

Probatur secunda pars: Logica censetur vera species Scientiæ ut sic: Ergo habet aliquam unitatem specificam. Deinde de cujusvis hominis Logica verùm est dicere; hæc est Logica, & illa est Logica: Ergo conveniunt in aliquo conceptu specifico communi: Et consequenter Logica habet aliquā unitatē specificam.

Dixi in conclusione *impropriè, & extrinsecè*: quia unitas scientiæ, quæ ab objecto desumitur, uti in Logica fit, merè extrinseca est. Et illud quod propriè dictam unitatem genericam, vel specificam habet, debet esse ens per se, proximè collocabile in aliquo prædicamento: Logica autem est ens per accidens; quia aggregatum ex pluribus habitibus, ut mox ostendā; adeoq; impropriè tantùm habet unitatem genericam, & specificam. Unde:

8. Propria unitas Logicæ est unitas ordinis.

Dico tertiò: Logicæ propriè convenit sola unitas aggregationis, & ordinis. Ita colligitur ex Scoto *cit.* & tenetur à P. Lamazares, Poncio &c.

Probatur: Tum quia Logica ex dictis continet plures habitus specie distinctos, propter objecta specie distincta, ad quæ debitè, & expeditè consideranda, ac ad conficiendos actus Logicos de ijsdem, hujusmodi habitus inclinant: Sed tales plures habitus non habent unionem inter se aliquam physicam: Ergo tantùm unionem aggregationis, & ordinis; & consequenter Logica ex his omnibus coalescens non habet nisi unitatem aggregationis, & ordinis. Prob. Min. quivis habitus partialis Logicæ est species completa qualitatis, directè in prædicamento collocabilis v. g. habitus, quô inclinor ad cognoscendam naturam definitionis: Ergo non potest facere unionem, & compositionem cum alio æquè completo, v. g. quô inclinor ad cognoscendam naturam Syllogismi: Ergo tales habitus plures non habent unionem physicam inter se.

9. Cujus ratio redditur.

Tum quia nullum est indicium unionis ipso-

N

ipsorum nec à priori, nec à posteriori, ut rectè discurrit hic Poncius noster: Ergo neq; unitas ulla physica inter eos asserenda est; sed aggregationis, & ordinis tantùm.

Nota autem secundò: Unionem, & unitatem habituum Logicalium ideo dici aggregationis, & ordinis; quia omnes isti habitus in intellectu simul constituuntur cum aliquo ordine; nam omnes ordinantur ad aliquod unum, nimirum ad rectè sciendum per instrumenta sciendi, ad eliciendas probas tres mentis operationes, & quidem cum facilitate; sicut totus exercitus ordinatur ad impugnandum hostem, aut defendendam urbem.

QUÆSTIO IX.

Varia quæsita circa Logicæ naturam expediuntur.

Quæres primò: Utrum Logica sit scientia realis; vel rationalis? Pro resolutione; Nota primò: omnem scientiam posse considerari intrinsecè, & extrinsecè. *Intrinsecè* consideratur, si attendatur scientiæ entitas: *extrinsecè*, si attendatur ejus objectum.

Nota secundò: illam dici scientiam *realem*, quæ est de subjecto reali: talis est physica, cujus subjectum est corpus naturale. Illa verò dicitur scientia *rationalis*, quæ agit de objecto, quod est ens rationis, non quidem rigorosè; & chimæricum; sed quod à ratione fabricatur, cujusmodi est omnis secunda intentio, genus, differentia, & alia in Logica. Nunc respondeo ad quæst. &

1. Quid sit esse scientiã realẽ, & rationali.

Dico primò: Logica intrinsecè considerata est scientia realis; extrinsecè verò considerata est scientia rationalis. Ita Lychetus, Bonet. Paris. Monturs. Columb. &c. Secunda pars est contra Poncium.

2. Logica intrinsecè est scientia realis.

Probatur prima pars: qualitas spiritualis intrinsecè considerata est ens reale; cùm sit de prædicamento qualitatis; sed Logica intrinsecè, & secundùm entitatem considerata est qualitas spiritualis; reponitur enim in prædicamento sub specie qualitatis, quæ dicitur *habitus*, vel *dispositio*: Ergo Logica intrinsecè considerata est scientia realis. Deinde Logica est generata per actus reales intellectûs: Ergo ipsa quoque intrinsecè considerata est scientia realis.

Probatur secunda pars: Scientia denominatur ab objecto, in quod tendit; uti patet de Physica, quæ idcirco realis dicitur; quia in objectum reale, puta corpus naturale tendit: sed objecta Logicæ sunt entia rationis collativa, v. g. definitio, syllogismus, genus, &c. quæ habent esse per collationem intellectûs, & sunt secundæ intentiones: Ergo Logica extrinsecè ab his est scientia rationalis.

3. Extrinsecè vero rationalis.

Quæres secundò: An Logica sit scientia communis? pro resolutione; Nota tertiò: Scientiam aliquam posse dici communem vel communitate prædicationis; vel communitate applicationis; ut notat Scotus: tunc dicitur scientia *communis communitate prædicationis*, quando ejus subjectum est prædicabile de subjectis aliarum scientiarum; hanc communitatem habet Metaphysica, cujus subjectum est ens, quod de subjectis aliarum scientiarum prædicari potest. Tunc verò scientia dicitur *communis communitate applicationis*, quando ejus subjectum applicatur reliquis scientijs, caditque in earum usum. Nunc respondeo, &

4. Quid sit communitas prædicationis, & applicationis scientiæ.

Dico secundò: Logica rectè dicitur scientia communis communitate applicationis sui subjecti. Ita colligitur ex Scoto *q. 2. univers.* & *q. 1. Elench.* & *1. Poster. q. 43.* & sequuntur Scotistæ.

5. Logica est communis communitate applicationis.

Probat. Logica versatur circa syllogismum ùt objectum suum: sed syllogismus applicatur alijs scientijs, quæ propterea etiam eo mediante acquiruntur, & perfectionantur: Ergo Logica rectè dicitur communis communitate applicationis: & ideo rectè à Philosopho *1. Top. 2.* vocatur inquisitiva; quæ ad omnium methodorum principia viam parat.

Quæres tertiò: An Logica sit revera pars Philosophiæ? Etsi resolutio hujus quæsiti pateat ex eis, quæ tradidi suprà *q. 1.* ubi Philosophiam definivi esse scientiam, tractantem de rebus corporalibus, spiritualibus, & moralibus; ubi sub spiritualibus rebus etiam comprehenduntur objecta rationalia, & operationes intellectûs definientis, dividentis, & argumentantis, quæ Logica attendit. Et *q. 3.* ubi ostendi Philosophiam rectè partiri in naturalem, moralem, & rationalem, quæ est Logica: attamen quia plures veteres Philosophi, ut Ammonius, Alexander Philopponus, Zabarella &c. Dialecticam à partibus Philosophiæ removent; idcirco.

Dico

6. *Logica est vera pars Philosophiæ.*

Dico tertiò: Logica est omnino pars vera Philosophiæ, in sua amplitudine acceptæ; etiam de mente Aristotelis. Ita colligitur ex Scoto *1. Elench q. 1.* quem præter suos sequitur Suarez, Albertus Mag. Simplic. &c.

Probat. *Primò* authoritate Aristotelis; qui *1. Top. 12.* recenset tria problematum genera, dicens; quòd alia sint problemata naturalia, alia moralia, & alia rationalia; & subdit de his omnibus agere Philosophum: Problemata autem rationalia sunt ea, quæ Logica continet: Ergo horum consideratio pertinet ad Philosophiam; & consequenter scientia Logicalis de his tractans est pars Philosophiæ. *Secundò* ratione: Omnis cognitio rei per causam est Philosophia, ex Aristotele *1. Met. cap. 2.* ubi ait; homines ex cognitione effectuum, quorum causæ ignotæ erant, incepisse philosophari; id est causas ipsorum cognoscere: *& 2. Met. c. 3. & 4.* appellat Philosophiam cognitionem veritatis per causam: Sed Logica est talis; quia nedum cognoscit verè, quæ demonstrativè tractat, ex eorum definitionibus, v. g. quòd Syllogismus habeat tres propositiones; quòd propositio categorematica constet subjectô, prædicatô, & copulâ, &c. sed hunc cognoscendi modum etiam tradit alijs scientijs: Ergo est cognitio veritatis, & consequenter vera pars Philosophiæ.

7. *Nec adversatur Aristot.*

Dices: Aristoteles *1. Top. cap. 12. & 4. Met. 1. & 2.* removet Logicam à partibus Philosophiæ; cùm ea, quæ considerantur à Philosopho, aut nullo modo cadant sub considerationem Logicæ; aut saltèm diversimodè: Ergo saltèm de mente Aristotelis Logica non est pars Philosophiæ. Respondeo interpretando Aristotelem, & dico, eum *locis citatis* loqui de Philosophia strictè sumpta, quatenus videlicet complectitur solas scientias reales principales, & digniores, quæ scilicet sunt sui gratiâ; de quarum numero non est Logica extrinsecè considerata: cum quo tamen stat, si Philophia usurpetur in sua amplitudine, Logicam esse veram ejus partem.

8. *Quæ sit differentia Logicæ à Metaph. & Rhetorica.*

Quæres quartò: Quomodo Logica differat à Metaphysica, & Rhetorica? cùm Philosophus *4. Met. tex. 5. c. 2.* dicat, Logicam, & Metaphysicam versari circa ens commune omnibus: Et cùm tam Logica, quàm Rhetorica argumententur. Respondeo *primò* Logicam à Metaphysica differre in eo, quod Metaphysica consideret ens reale; Logica verò ens rationis; ut notat Scotus *quæst. 1. Elench.* seu quia Metaphysica speculatur communes quidditates rerum; Logica verò secundas intentiones. Respondeo *secundò*: Logicam à Rhetorica differre secundò ratione finis; Rhetoricæ enim finis est persvasio in Auditoribus, ut agant id, quod Rhetor proponit; finis verò Logicæ est cognitio veritatis, ut audiens cognoscat veritatem.

9. *Quid intelligatur per actum activum, & passivum.*

Quæres quintò: An Logica sit de actibus intellectûs activis, vel passivis? pro resolutione. Nota quartò: per *actu activum* intelligi actum, quô intellectus Petri intelligit; per *passivum* verò, quô objectum intelligitur; eô fermè pactô, quô visus Petri visione activâ videt; & paries visione passivâ videtur: ille vocatur actus formalis; iste verò actus objectivus: prior est in prædicamento qualitatis; & pertinens ad Animasticam; posterior verò est Ens rationis, & spectans ad Logicam; est enim respectus rationis derelictus in objecto ex applicatione intellectûs ad ipsum objectum; & describitur à Scoto *4. dist. 1. q. 2. comparatio passiva unius objecti cogniti ad aliud objectum cognitum*; vocaturque *secunda intentio*, quæ ab actu intellectûs pendet, absque quo nullum sortitur esse. Nunc ad quæsitum.

10. *Logica versatur circa actus passivos.*

Dico quartò: Logica versatur circa actûs passivos intellectûs; non verò circa activos. Ita Scotus *q. 3. universf.* & sequuntur Lychetus, Columbus; Fuente &c. contra Hurtad. Arriag. Suar. Fonsec. &c.

Probatur. Tum quia actus activi intellectûs pertinent ad Animasticam; cùm sit qualitas realis animæ: Ergo circa eos non versatur Logica: sed circa passiones, quæ sunt secundæ intentiones à Logica propriè attingibiles. Tum quia Logica eò tendit, ut de suo objecto demonstret passiones, & proprietates: Sed non demonstrat passiones actuum formalium; sed objectivorum; seu passivorum, v.g. de Syllogismo, quod constet tribus propositionibus; sitque in modo, & figura &c. Ergo signum est, quòd Logica non versetur circa actus activos; sed circa actus passivos.

TRACTATUS SECUNDUS.

De Ente Rationis.

PRÆFATIO.

Quoniam Logica scatet meris secundis intentionibus, quæ suo modo sunt Entia rationis; idcirco Tractatum hunc de Ente rationis (qui ab alijs in Metaphysica proponitur) hìc evolvam, ea duntaxat afferendo de isto Ente tenuissimo, multas obscuritates involvente, quæ ad captum incipientium Philosophorum proportionata esse judicavero. Unde sit.

DISTINCTIO I.

De Natura Entis Rationis.

QUÆSTIO I.

Quid sit Ens rationis; & an detur?

1. Variæ acceptiones Entis rationis.

Nota primò: Scotus *1. dist. 36. q. unicâ n. 9.* Ens primâ sui divisione divisit inEns intra animam, & extra animam. *Ens extra animam* appellat omnia illa entia, quæ participant aliquid esse reale sive essentiæ sive existentiæ, independenter ab actibus cujuscunque potentiæ vitalis; talia sunt *homo, lapis &c. Ens intra animam* appellat ea omnia, quæ pertinent ad rationem, & quasvis operationes vitales animæ, etsi aliquando in re sint entia realia. Unde observat idem Doctor *4. dist. 1. q. 2.* Ly Ens rationis multifariàm posse usurpari. *Primò* pro omni Ente, quod intra animam est vel *subjectivè*, id est, quod subjectatur in ratione, cujusmodi sunt intellectûs, & voluntatis actus, habitus spirituales, tam acquisiti, quam infusi: Ens rationis hoc sensu

sensu est reale; quia de genere qualitatis realis. Vel pro eo quod est *objectivè* intra animam; & hoc dupliciter, vel quod objicitur quidem rationi seu intellectui; sed extra illum habet verum esse reale; hujusmodi est *lapis* objectivè cognitus à ratione; vel quod habet esse præcisè à ratione; pendetque in fieri, & esse ab ea; tale est *chimæra*. Vel quod est intra animam *comparativè*; ut dum comparatur unum objectum ad aliud cognitum; tale est *secunda intentio*; vel quod est intra animam *directivè*; hoc sensu *opera externa artis* à ratione directa sunt Entia rationis. *Secundò* usurpatur Ens rationis à multis pro denominationibus extrinsecis cogniti, visi &c. *Tertiò* nonnulli quoque illud approprianr privationibus, & negationibus. *Quartò* capitur pro secundis intentionibus, v. g. esse genus, speciem &c. quæ vocantur *Entia rationis cum fundamento in re*, quia nimirum ea intellectus fabricat, & affigit rebus, eò quod videat fundamentum in eis; v. g. animal appellat genus; quia videt in eo convenientiam cum homine, & bruto, & observat aptitudinem intrinsecam ad posse prædicari de utroque; quod proprium est generi alicui: hæ intentiones censentur à plerisque Scotistis, P. Pontiô exceptô, & alijs quibusdam, vera Entia rationis, cùm totũ eorũ esse sit ex negotiatione rationis, seu intellectûs: Non sunt tamen Entia rationis cum omni rigore: sed de hoc infrà *quæst. 5.* *Quintò* tandem usurpatur pro eo Ente, quod omnino est incapax omnis realis existentiæ tam actualis, quàm possibilis; quodque habet totum suum esse objectivum à potentia illud fabricante, ad quod machinandum nullum habet fundamentum in re; sed esse, quod ei tribuit, totum est imaginarium, & fictitium; tale est *Hyppocentaurus*, *Hirco-Cervus*, *Leoursus &c.* hoc vocatur Ens rationis rigorosum respectu aliorum: & de hoc iste Tractatus potissimè procedit.

2. Describitur Ens rationis.

Dico primò: bene describitur Ens rationis rigorosè sumptum, quòd *sit Ens rigorosè diminutum, habens esse præcisè objectivum; per operationem alicujus potentiæ collativæ mediatè, vel immediatè, sinè ullo prorsus fundamento in re.* Est nullius Authoris, quod sciam. Elicitur tamen ex Doctrina Scoti varijs in locis, signanter *Quodl. 1. & in 3. dist. 8. q. unicâ: & in 4. dist. 1. q. 2.*

Probatur elucidando singulas partes hujus descriptionis, ex quo patebit bonitas ejusdem: Dicitur *Ens rigorosè diminutum* ad excludenda quædam Entia cognita, secundùm quid diminuta; cujusmodi sunt creaturæ possibiles, quæ à Doct. *1. dist. 36. q. 1. §. ad 2. n. 10.* etiam dicuntur diminuta; sed non rigorosè; quia habent aliquod esse reale, saltem ab actib. Divini Intellectûs, & Voluntatis, à quibus rationem possibilitatis sortiuntur; Ens autem rationis rigorosum habet purum esse impossibile, incapax cujuscunque existentiæ, etiam possibilis. Hoc autem esse jure appello *diminutum*; quia omnium imaginabilium est minutissimum. Per ly *habens esse præcisè objectivũ* excluduntur à ratione Entis rationis rigorosi habitus, & species impressæ, quæ sunt subjectivè; non verò objectivè in suis subjectis; & sunt de genere qualitatis realis; similiter excluduntur negationes, & privationes. Per ly *operationem alicujus potentiæ collativæ* ostenditur potentia effectrix Entis rationis rigorosi; & productionis modus ejusdem; nam ut habet Scotus *Quodl 3.* ex collatione uniûs ad aliud fit Ens rationis, v. g. dum Leo, & Lupus ab intellectu conferuntur ad invicem, & inter eos concipitur unio physica, machinaturque *Leo-Lupus*, quod est Ens rationis rigorosum. Per ly *mediatè* comprehenduntur etiam Entia rationis facta per resultantiam, v. g. similitudo inter duas chimæras, quæ producitur à potentia collativa intellectûs mediatè tantùm, quatenus nimirum producit extrema illius relationis. Additur tandem *sinè ullo prorsus fundamento in re*, ad exclusionem secundarum intentionum, quæ etsi Entia quædam rationis sint; cum fundamento tamen in rẽ fabricantur, ut suprà *notab. 1.* dixi. Ex dictis.

3. Ens rationis non importat extrinsecã denominationẽ formaliter.

Infertur *primò*: Ens rationis rigorosum non importare pro formali suo constitutivo extrinsecam denominationem, provenientem ab aliqua forma reali, ut vult Fonseca, Vasquez, Durand. Ratio est; quia ut claret ex diffinitione data, Ens rationis habet esse præcisè objectivum per intellectum, vel aliam potentiam, à quâ fit; sed denominationes extrinsecæ reliquæ dantur à parte rei etiam nemine negotiante ratione; sic DEUS denominatur Creator à parte rei per extrinsecam terminationem essentialis de-

pendentiæ; quam habet creatura ad ipsum, juxta Scotum *3. dist. 8. q. unic.* Unde quando idem Doctor esse cognitum, quod habent creaturæ ab æterno à cognitione DEI, vocat *in 1. Dist. 36. q. unica §. concedo*, Ens rationis; quod tamen est denominatio extrinseca; exponendus est de Ente rationis latè sumpto; quo sensu omne Ens, quod per rationem potest accipere esse rationis, dici potest Ens rationis, scilicet, potentiale, cui ab intellectu fingente dari potest existentia ficta, & chimærica.

4. *Neg. nihilitatem.* Infertur *secundò*: Neque Ens rationis consistere formaliter in quadam nihilitate; ut vult Hurtado, Arriaga, & alij. Ratio est; quia nihilum purum dicit puram negationem cujuscunque entis in re, & in apprehensione: Ens autem rationis rigorosum dicit saltèm entitatem objectivam in apprehensione, aut alio actu collativo, & factivo talis Entis.

5. *Sed esse objecti vũ diminutũ.* Infertur *Tertiò*: Ens rationis rigorosum formaliter constitui per esse præcisè objectivum rigorosè diminutum. Ratio est; quia per hoc solùm à quibuscunque alijs Entibus realibus, & rationis distingvitur formaliter.

6. *Dantur Entia rationis.* Dico secundò: Entia rationis rigorosa sunt omnino admittenda, ut distincta ab Entibus lingvæ. Ita Scotus *1. dist. 8. q. 4 & Quodl. 1.* & albi. Et tenuerunt olim Philosophi Græci, Arabes, Latini; contra Mayr. nostrum, Bern. Mirand. & Vallesium, quibus novissimè adhæsit Caramuel in sua Metalogia, obi ait: *Non obstante multâ annorum præscriptione proscribo Entia rationis; quia re bene discussâ, erunt sola Entia lingvæ; quæ suâ petulantiâ impossibiles profert propositiones.*

Probat: primò aothoritate Aristotelis; qui *5. Met. cap. 7.* dicit; Ens dividi in Ens quod est, & in ens quod nõ est; obi per primum intelligit Ens reale, per secundũ verò Ens rationis, ut ibidem interpretatur Doctor: Ergo &c. videatur idem Philosophus *6. Met. tex. 8.* prope finem.

Probatur secundò ratione: Tum quia intellectus noster, ut experientiâ constat, varia machinatur monstra ut vera, & realia, eisque esse objectivum tribuit, quæ nec sunt, nec ullo modo esse possunt à parte rei; v. g. dum concipit hyppocentaurum, hirco-cervum, & similes chimæras: item dum concipit pluralitatem Deorum, Angelum in specie juvenis alati: sed hujusmodi sunt Entia rigorosa rationis; cùm eis descriptio suprà *Conclus. 1.* data adæquatè conveniat: Ergo dantur Entia rationis. Tum quia intellectus noster est comparativus unius ad aliud: Ergo potest negotiari Entia à collatione ejus dependentia; cujusmodi sunt Entia rationis rigorosa v. g. *Homotaurus*, cujus partes dum intellectus confert ad se invicem, eisque attribuit compositionem, ac unionem physicam impossibilem, fabricat formalissimum Ens chimæricum, seu Ens rationis rigorosum.

7. *P. Mayronio respondetur.* Dices cum P. Mayrone: Unio, & compositio *homotauri* est realis; quia ab intellecto efficitur: Ergo eâ non efficitur Ens rationis rigorosum. Respondeo Dist. Ant: Est realis si secundùm entitatem suam physicam spectetur; quatenus scilicet est quædam operatio realis intellectûs Conc. Ant. Si consideretur secundùm suum terminum Neg. Ant. Itaque terminus hujus unionis, & compositionis resultans est Ens fictitium, & chimæricum, puta *homotaurus*, cui repugnat quâ tali omnis existentia. Vel dic etiam hanc unionem esse impossibilem, & purè fictitiam; adeoque non realem.

8. *Alteri instantiæ satisfit.* Dices: *Homo, & taurus* sunt termini hujus unionis: sed hi sunt entia vera realia: Ergo terminus hujus unionis est realis. Respondeo Dist. Maj: *homo*, & *taurus* in sensu composito sunt termini hujus unionis Concedo Maj. In sensu diviso, Nego Maj. Itaque hæc duo *homo*, & *taurus* tunc demum censentur esse proprius terminus hujus unionis chimæricæ, quando concipiuntur ut in uno tertio unita, quod tertium sit propriè *homotaurus*.

9. *Varia objecta afferuntur.* Objicies *primò*: Nulla est utilitas Entium rigorosorum ratinnis in rerum natura: Ergo non sunt admittenda. *Secundò*: Nihil est intelligibile, quod non est ens reale: Ergo Ens rationis rigorosum non est intelligibile; & consequenter oon est admittendum. Prob. Ant. omne intelligibile necessariò est antequam intelligatur: sed omne quod est, antequam intelligatur, est reale: Ergo omne intelligibile est ens reale. Confirmatur hæc Probatio: Intelligibilitas est proprietas entis realis; non autem Entis rationis: Ergo &c. *Tertiò*: Nihil est in intellectu, quod priùs non erat in sensu; ut habet commune axioma Philosophorum: Sed Ens rationis in nullo præfuit sensu: Ergo oc-

neque in intellectu est; & consequenter non est admittendum.

Quibus datur responsio. 10.

Respondeo ad *Primum* Neg. Ant. ista enim cognitio frequens Entium rationis juvat intellectum, ut discat res concipere comparativè; atque ita deinde formare faciliter secundas intentiones Logicales. Attingitur etiam meliùs ex hujusmodi cognitione formalitas entis realis, juxta illud; *Opposita juxta se posita magis elucescunt. Ad secundum* Dist. Ant. Nil est intelligibile intelligibilitate motivâ, quod non est reale, transeat Ant. intelligibilitate terminativâ Nego Ant. Itaque duplex est intelligibilitas motiva, & terminativa. *Motiva* convenit rebus, quæ vel seipsis immediatè, vel per suas ministras species movere possunt intellectum ad cognitionem: *Terminativa* convenit rebus, quæ sinè prævijs speciebus simpliciter terminant, & finiunt nostram cognitionem; tales res sunt entia spiritualia, DEUS, Angeli: Et de harum numero est etiam Ens rationis. Ad Confirmat. dico similiter, quòd sola intelligibilitas motiva est proprietas entium naturalium: terminativa verò etiam entium rationis. *Ad tertium* Dist. Min. non præfuit in aliquo sensu formaliter, & realiter ConcedoMin: occasionaliter Nego Min. Itaque sufficit quod intellectus ex speciebus alijs, habitis â sensibus, habeat occasionem combinandi deinde v. g. hominem, & taurum tanquam unum compositum, quod dicitur Ens rationis.

Quæ unio faciat chimaram. 11.

Nota autem hìc secundò: Non quamcunque combinationem, seu unionem duarum naturarum facere Ens rationis; sed solam essentialem; si v. g. concipiatur essentialis unio, ac confusio hominis, & tauri in unũ tertium secundùm partes essentiales, quod diceretur *homo taurus*: Accidentia enim possunt, imò hactenus frequenter fuerunt unita simul in uno tertio secundùm unionem accidentalem; ut videre est in monstris passim [illegible]tis.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit Ens rationis; & quæ ejus passiones?

Variè partitur Ens rationis. 1.

Nota primò: Quia intellectus nosterEntia rationis plerumque solet machinari ad instar entium realium; idcirco Ens rationis dividi potest data proportione in tot classes, quot sunt categoriæ, seu prædicamenta entis realis; ut rectè observat Scotus *q. 6. univers.* ubi dicitur, sicut in ente reali dantur diversi gradus essendi; ita etiam in Entibus rationis. Quare

Quid sit Ens rationis substantiale & accidentale. 2.

Nota secundò: Ens rationis aliud posse fabricari, quod substantiale dicitur; aliud quod accidentale; sicut aliud constituitur ens substantiale, & aliud accidentale reale. *Ens rationis substantiale* foret, si conciperes hyppocentaurum, chimæram, hircocervũ &c. *Accidentale* verò *Ens rationis* esset, si conciperes albedinem in DEO, vel Angelo subjectam; & affirmares dari DEUM album, vel Angelum album.

Quid quantitativũ, qualitativum, relativum. 3.

Nota tertiò: Rursus aliud Ens rationis posse machinari *quantitativum*, si conciperes v. g. spacium imaginarium extra cælum; vel quantitatem bipalmarem in hyppocentauro. Item aliud *Qualitativum*; si negotiô intellectûs affigeres Angelo rufedinem capillitij, ut formam realem inexistentem eidem. Item aliud *Relativum*, ut si DEO attribueres relationem aliquam realem temporaneam Creatoris, in ipso de novo subjectivè receptam. Item aliud in prædicamento *Actionis, & Passionis* si v. g. affirmes ignem corporeum infernalem animas damnatas actione physicâ physicè torqueri, & easdem cruciari physica passione ab eodem igne. Item in prædicamento *Habitûs*, si fingas DEUM purè spiritualem esse amictum lumine tanquam vestimentô. In Prædicamento *Ubi*, si concipias eundem replere hunc mundum ad modum corporis: In prædicamento *Situs*, si concipias Deum sedere physicè in throno excelso physico; & tandem in prædicamento *Quando*; si affirmes eum tantùm durare centum annis, vel mille diebus.

Quid fundatũ, & non fundatum. 4.

Nota quartò: Ens rationis præterea partiri in id, quod habet fundamentum in re: & id, quod nõ habet fundamentum in re: seu ut alij loquuntur in fundatum; & non fundatum. De hac divisione egit Doctor *1. Dist. 43. q. unicâ*, & alibi. *Ens rationis cum fundamento in*

re

re est illud; cujus motivum, causa, & origo præbetur à re; & propterea intellectus non temerè, & gratis illud machinatur: v. g. quia in re natura animalis communicatur homini, & bruto; idcirco intellectus ei attribuit rationem generis, quæ est quoddam Ens rationis Fundatum; hujusmodi sunt omnes secundæ intentiones Logicales. *Ens rationis quod caret omni fundamentô in re* est illud suprà *quæst. 1. concl. 1.* descriptum; & dicitur communiter Chimæra, merum figmentum &c.

5. *Quid absolutum, & respectivum.*

Nota quintò: rursus dividitur Ens rationis in absolutum; & relativum, ut indicatur à Scoto *1. dist. 36. q. unic.* *Absolutum* dicitur, quod instar entis absoluti concipitur, tale est v. g. Angelus corporeus. *Relativum* est, quod fingitur ad aliud referri, ad quod tamen non refertur; v. g. si fingatur DEUS referri ad creaturas per relationem novam subjectivam intrinsecam; ad quam tamen non habet nisi relationem rationis. Circa alterum membrum quæst.

6. *Passiones Entis rationis.*

Nota sextò: Ens rationis, maximè fundatum, participat suo modo passiones, proprietates, & affectiones sibi proportionatas; uti colligitur ex Scoto *4. dist. 1. q. 2.* Ratio potest esse primò; quia ens reale habet passiones sibi proportionatas: Ergo & Ens rationis, quod instar entis realis concipitur: Ergo ad ejus instar quoque concipi poterit cum passionibus. Deinde Ens rationis, maximè fundatum, est intelligibile: Ergo intelligibilitas ejus est passio ejus. Item habet aliquam bonitatem; quia voluntas in id quandoque fertur; utique ratione bonitatis: Ergo hæc bonitas est ejus passio; habet etiam unitatem proportionatam; quia suo modo est unum; cùm sit indivisum, & ab alio distinctum: Ergo &c. Ratio potest esse secundò: quia Ens rationis quodcunque habet suo modo aliquam essentiam Chimericam: Ergo pariter aliquas passiones ab ea profluentes.

QUÆSTIO III.

An denominationes extrinsecæ censeri debeant Entia rationis?

1. *Quid sit, & unde oriatur denominatio intrinseca, & extrinseca.*

NOta primò: Subjectum aliquod affici posse, vel per formam inhærentem, ut paries per albedinem; vel per formam alteri adjacentem, respicientem tamen hoc subjectum; sic paries dicitur cognitus à cognitione adjacente intellectui, & respiciente parietem, quatenus terminatur ad parietem. Primô modô subjectum dicitur esse tale per *denominationem intrinsecam*; quia denominatio illi subjecto convenit ratione formæ in eo repertæ; secundô modô subjectum dicitur esse tale per *denominationem extrinsecam*; quia denominatio illi convenit ratione formæ tantùm ad illud terminatæ; hoc modo secundo Verbum Divinum dicitur *unitum*, naturæ humanæ; quia unio non in ipso Verbo, sed in natura humana fuit intrinsecè, & terminabatur ad Verbum: sic actio humana exterior dicitur vitalis, libera, à vitalitate, & libertate intrinseca hominis: & de his quæritur hìc, an sint Entia rationis. Antequam autem ad quæstionem respondeatur, circa existentiam denominationum extrinsecarum, quam nonnulli Scotistæ negant.

2. *Dantur Denominationes extrinsecæ.*

Dico primò: Dantur denominationes Extrinsecæ. Est contra aliquos Scotistas. Scotus tamen *1. dist. 30. q. 2. & in 3. dist 19. n. 1. & 3.* nobiscum sentit; dicit enim, DEUM denominari *Producentem* à relatione productionis passivæ, quæ tantùm est in creatura, & terminatur ad DEUM; quæ denominatio *Producentis* proinde est Extrinseca.

Probatur: Quotiescunq; habetur denominatio nova sinè forma nova inexistente intrinsecè in re denominata, habetur denominatio Extrinseca: sed de facto paries v. g. dicitur de novo cognitus sinè cognitione inexistenti intrinsecè ipsi parieti: item DEUS dicitur Creator à sola creatione passiva creaturæ: Verbum unitum ab unione reali realiter tantùm, & intrinsecè in natura humana existente: Ergo tu[illegible] habetur denominatio Extrinseca. Prob. Min. nec paries, nec Verbum, nec Deus possunt in se recipere formas novas intrinsecas; & maximè Verbum, & Deus; aliàs mutarentur; sed Deus mutari nequit: Ergo dicuntur talia per denominationem Extrinsecam.

Dices:

5. *Quadam replica dissolvitur*

Dices: Licèt in Verbo non possit dari unio subjectata, à qua denominaretur; est tamen in illo quædam relatio rationis, quæ sequitur in Verbo ad terminationem extrinsecam unionis; & ab hac relatione Verbum denominatur unitum; sic dicendum erit de quibuscunque denominationibus, quas nos denominationes extrinsecas, & reales ponimus: Ergo &c. *Contrà* primò; dantur denominationes extrinsecæ, ubi nulla ratio, vel intellectus operatur: Ergo &c. Prob. Ant. parietem esse visum, esse terminantem meâ visionem, sunt extrinsecæ denominationes; sed hæ resultant etiam nullâ operante ratione; & intellectu: Ergo dantur tales denominationes sinè operante ratione. *Contrà* secundò; datô quod resultent hujusmodi relationes rationis in objectis; adhuc tamen ab illis non poterit desumi denominatio uniti; quia hæc denominatio, cùm sit realis, petit causam, vel formam realem. Tandem frustra fit recursus ad tales relationes rationis; cùm à formis realibus hæc possit provenire denominatio.

4. *P. Smising replicans contentatur.*

Dices cum nostro P. Smising; has denominationes non esse reale quid; quia non intercedit inter formam denominantem, & rem denominatam aliqua unio; sed solùm Ens rationis, consistens in concomitantia plurium entium, instar terminantis, & terminati se habentium: Ergo ab aliqua relatione rationis habetur illa denominatio. Respondeo Neg. Ant. nam reperitur unio suô modô realis. Hinc Scotus *Quod. 13. art. 2.* talem relationem unionis etiam in actibus vitalibus ad objecta dicit realem esse omnino; quia unit objecta cum potentijs; & dicitur unio adhæsiva, seu relatio attingentiæ alterius ut termini; licèt non sit inhæsiva, & informativa.

5. *Scotus hic exponitur.*

Si Scotus quandoque dicat esse cognitum, esse comparatum, & similes denominationes extrinsecas, esse Entia rationis, vel relationem rationis, utì facit *in 1. d. 36. q. un:* ubi esse cognitum, quod habent creaturæ ab æterno per actum Divini Intellectûs, vocat *Ens rationis*; Respondendum erit; quod loquatur de Ente rationis materialiter tantùm sumpto, quod potest deinde per actum intellectûs recipere formaliter Ens rationis; primum solet dici à Scotistis *Ens rationis derelictum*, & *potentiale*; alterum *Ens rationis fabricatum*, *formale*, & *consummatum*; ut loquitur tota Subtilium Schola.

6. *Sufficit formâ aliquam inesse Logicè, ut verè denominet.*

Obijcies primò: Omnis denominatio debet provenire à forma, quæ est in ipsa re: sed denominatio extrinseca non provenit ab aliqua forma, quæ esset in re denominata: Ergo non datur. Probat. Maj. aliàs prædicatio aliqua v. g. animalis de homine non esset vera, si dicerem, *homo est animal*, si animal non esset in homine: Ergo denominatio debet provenire à forma existente in re denominata.

Pro solutione objectionis; Nota ex Scoto *in 1. dist. 39.* in responsione ad argumentum quartæ quæstionis, §. *ad argumentum*; quòd aliquid possit esse, & inesse alteri dupliciter, Physicè, & Logicè. *Physicè* forma inest, quando intrinsecè ipsi subjecto inhæret: *Logicè*, quando forma de illo potest prædicari, ex eo quòd peculiari modo, vel ratione subjectum respiciat ad instar formæ; jam in forma. Respondeo Dist. Maj. omnis denominatio debet provenire à forma, quæ est in ipsa re physicè semper, Nego Maj. quæ est in re Logicè, Concedo Maj. & distinctâ similiter Minori, Nego Conseq. sufficit ergo ad hoc, ut ista prædicatio sit vera, *DEUS est Creator*, quòd relatio creationis passivæ Logicè sit in DEO, per respicientiam aliquam peculiarem, & terminationem: Et sic dicendum de omni denominatione extrinseca.

7. *Denominationes extrinsecæ non sunt entia rationis.*

Dico secundò: Hæ denominationes Extrinsecæ provenientes à formis realibus, non sunt Entia rationis. Ita *Scotus 1. dist. 30. q. 2.* Mayron. Fuen. Columb. &c. Est contra Fonsecam, Vasq. Dur. &c.

Probatur: Illæ denominationes nil sunt, nisi formæ existentes, & respicientes subjecta particulari aliquô modô: Ergo non sunt Entia rationis. Deinde nemine cogitante intellectu habentur tales denominationes v. g. esse visum &c. Ergo non sunt Entia rationis.

Quæres; An ad minùs ad tales denominationes factas ab intellectu necessariò sequantur in objectis sic denominatis aliqui respectus, qui sunt Entia rationis; v. g. an quoties paries dicitur cognitus, necessariò in pariete resultet relatio rationis. Complutenses docent ad omnem, & solum actum intellectûs sequi relationem rationis, quæ dicitur cognitio

gnitio passiva; ad actus autem aliarum potentiarum minimè. Camerin. cum alijs aliquibus Scotistis tenet, quòd ad omnes actus cujuscunque potentiæ sequatur Ens rationis. Tertia communior negat necessariò sequi etiam in quibuscunque potentijs hos respectus rationis; cum qua.

8. *In objectis cognitis nō resultat ullum Ens rationis.*

Dico tertiò: Nulla relatio rationis resultat necessariò in objectis actu recto perceptis à potentijs vitalibus. Colligitur ex Scoto *in 1. d. 35. n. 9. & in 4. dist. 1. q. 2.* & sequitur Meriner. Columb. Poncius, & alij Scotistæ; contra RR.

Probatur *primò*: Ad relationem rationis causandam requiritur potentia collativa; sed ad esse visum, & esse cognitum v. g. non requiritur potentia collativa: Ergo ibi nullum resultat Ens rationis, vel relatio rationis. Prob. Min. ad visionem, & cognitionem sufficit sola simplex tendentia potentiæ in objectum; quia sunt potentiæ naturaliter exeuntes in actum statim ac proponitur objectum: Ergo ad esse cognitum, & esse visum non requiritur potentia collativa.

Probatur *secundò* ratione Scoti *citati*: illæ relationes essent purè reales, si resultarent: Ergo non relationes rationis. Prob. Ant. quia essent in objectis ex natura rei: Ergo essent purè reales.

9. *Quædā respōsio advers. contra Scoti probā refellitur.*

Dices primò: Non esse reales; quia etiam in Deo recipi possunt; dici enim potest cognitus, consideratus &c. Deus autem non est capax relationum realium novarum: Ergo signum est, quòd illæ relationes cogniti non sint reales: Ergo sunt rationis. *Contrà*, datò quod esse cognitum in Deo non dicat respectum realem; quia, ut dicis bene, est incapax propter infinitam suam perfectionem; ad minùs tamen in creaturis resultantes erunt reales; quia creaturæ sunt capaces relationum novarum realium; sicut patet de relatione nova unionis, quâ materia prima unitur formæ per relationem realem; quia forma est capax talis novæ relationis; licèt non uniatur sic Verbum Divinum naturæ humanæ; quia Verbum non est capax: Ergo adhuc relationes illæ, si resultarent in objectis, non essent rationis.

Nota secundò: me hìc non docere resultare absolutè aliquas tales novas relationes reales, distinctas à Denominationibus Extrinsecis; sed infero tantùm ad hominem cum Scoto, si ex suppositione resultarent, quòd deberent potiùs esse reale quid; quàm Ens rationis.

10. *Aliud responsum explodi. tur.*

Dices secundò: Colligitur ex eo quòd non sint reales, quia producuntur à potentijs vitalibus, immanenter agentibus; & non producentibus per consequens aliquid reale. *Contrà*, quòd producantur à potentijs vitalibus, hoc non obstat, quò minùs essent reales; quia si potentia potest aliquam relationem rationis secundùm Adverf. extra se producere, & tamen manet potentia immanenter agens; poterit pari ratione etiam aliquod reale saltèm secundariò producere extra se in objecto denominato; quia unum non est magis contra rationem potentiæ immanenter agentis, quàm aliud: manet ergo quod adhuc illæ relationes, si resultarent, essent potiùs reales, quàm rationis.

11. *Rursus aliud infringitur.*

Dices tertiò: Inde colligi non esse reales; quia resultant in objectis non existentibus realiter; sic AntiChristus dicitur cognitus; in quo ob defectum realis existentiæ non potest exurgere relatio aliqua realis: Ergo sola rationis. *Contrà*, datò quod ille respectus, qui in AntiChristo, & similibus possibilibus, ac futuris objectis resultant, non essent reales ob defectum existentiæ actualis; attamen saltèm illi alij, qui resultant in rebus actu existentibus, & intuitivè cognitis v. g. pariete, petra &c. ad minùs debebunt esse reales, & non rationis; suppositò quòd aliqui resultent: quod sufficit pro intento conclusionis. *Contrà* secundò; falsum est illas relationes resultantes in Anti Christo non posse esse reales suô modô; quia cùm Anti Christus non sit merum Ens rationis; sed aliquomodo Ens futurum reale, debebit & relatio in eo exurgens esse aliquomodo realis: Unde:

12. *Anti Christus habet entitati ad fundandas relationes reales.*

Nota hìc: Quamvis AntiChristus, & quodcunque aliud objectum adhuc restrictum intra terminos possibilitatis, & & futuritionis, non habeat entitatem realem sufficientem ad exercendas operationes physicas; tamen habet entitatem sufficientem realem, ad hoc ut distingvatur contra Ens rationis; & illa sufficit ipsi ad fundandas relationes reales, saltèm potentiales, si aliquam habere deberet, quæ resultaret ad cognitionem, v. g. quarum tamen necessitatem non admitto hìc, ut suprà monui; frustra enim multiplicantur hujusmodi relationes; cùm tota denominatio extrinseca cogniti, visi, uniti &c.

fal-

salvari possit per terminationem extrinsecam cognitionis, visionis, unionis &c.

13. *Quædam objectio dissolvitur.*

Objicies primò: Cognitio quâ paries denominatur cognitus v. g. est forma activa: Ergo debet communicare objecto denominato aliquam relationem passivam. Sed non realem: Ergo rationis. Resp. formam ratione suæ activitatis objecto non dare aliud, quam denominationem passivam, quæ sufficienter finit, & terminat activitatem cognitionis activæ; sicut facit creatio passiva creaturæ respectu Creatoris.

14. *Alia iterum diluitur.*

Objicies secundò: Similitudo, quæ est in uno pariete, non denominat alterum parietem similem; sed in altero debet poni alia similitudo: Ergo à pari nec cognitio, quæ est in intellectu meo, denominabit parietem cognitum; sed ulteriùs ibi poni debet aliqua ratio alia denominans; & ista erit aliqua relatio, vel respectus rationis. Resp. Neg. Conseq. Disparitas est; quia non est potior ratio, propter quam similitudo deberet poni intrinsecè in uno pariete, & non in utroque; & propterea si ponatur in uno, debet etiam poni in altero; at non sic est in proposito, ubi potior ratio est, cur in solo intellectu tantùm ponatur ratio denominans, scilicet ipsa cognitio, & non in objecto; quia intellectus habet virtutem eam cognitionem producendi; objectum verò non. Deinde si aliqua ratio denominans in objecto poni deberet, deberet potiùs poni ipsa qualitas absoluta, sicut ibi ponitur similitudo; non autem aliquis respectus disparatus rationis.

15. *Rursus aliud objectum enervatur.*

Objicies tertiò: Nisi resultarent hujusmodi relationes ad actus potentiarum vitalium, daretur transitus à contradictorio in contradictorium sinè mutatione rei: sed hoc implicat; quia lapis de non esse hominis, nequit transire ad esse hominis: Ergo sunt admittendæ hujusmodi relationes rationis: Prob. Maj. Plato transiret v. g. de non esse cognito; ad esse cognitū; quæ sunt contradictoria sinè mutatione, nisi talem relationem de novo exurgentē admittamus: Ergo &c. Resp. Dist. Maj. sinè mutatione intrinseca rei Conc. Maj sinè mutatione extrinseca, Nego Maj. Ut ergo Plato possit transire de non esse cognito, ad esse cognitum, sufficit, quod circa ipsum fiat mutatio aliqua extrinseca; sicut, ut Verbum Divinum dicatur de novo unitum, sufficit quod mutetur extrinsecè, quando scilicet de novo terminat unionem naturæ humanæ.

16. *Iterum occurritur objecto.*

Objicies quartò: DEUS dicitur de novo condonare Petro delicta, justificare hominem, creare mundum, & similes denominationes plurimas de novo recipere: Ergo istæ denominationes debent ab aliqua forma provenire; non à reali; quia harum incapax est: Ergo à forma, seu nova relatione rationis, in rebus illis emergente. Resp. has, & similes denominationes extrinsecas DEO advenire à diversa tendentia sui actûs infiniti, quô in tempore transit modò super hoc, modò super illud objectum: vel certè à relatione aliqua passiva reali, quæ in Petro condonato, homine justificato, & creato mundo exsurgit, & terminatur ad actum DEI, sinè ulla prorsus relatione rationis. De hoc fusiùs in Theologia.

QUÆSTIO IV.

Num Entia diminuta; negationes, & privationes sint Entia rationis?

1. *Quid Ens diminutum.*

Nota primò: Per *Ens diminutum* intelligi illud, quod recipit esse ab operatione alicujus potentiæ vitalis, ipsum attingentis; hujusmodi sunt entia possibilia, ut alius mundus possibilis &c. quæ, ut suprà *quæst. 1.* in elucidatione descriptionis Entis rationis rigorosi dixi, recipiunt esse ab actibus Divini Intellectûs, & Voluntatis; dicuntur autem Entia *Diminuta*, quia carent entitate, & esse perfectô reali.

2. *Entia diminuta nō sunt Entia rationis.*

Dico primò: Entia diminuta non sunt propriè Entia rationis. Ita colligitur ex Scoto *1. dist. 36. q. 1. §. ad secundum n. 10.* & sequitur Fuente, aliíque Scotistæ.

Probatur: Esse formale, quod habent Entia diminuta, etsi totum sit ab operatione potentiæ vitalis; est tamen secundùm quid reale; quia est esse objectivum, emendicatum ab actu productivo eorum, quod nullam dicit impossibilitatem, aut repugnantiam ad existendum realiter, sicut dicit Ens rationis propriè dictum: Ergo Entia diminuta non sunt pro-

propriè Entia rationis. Circa alterum membrum quæst.

3. *Quid negatio, & privatio.*

Nota secundò: *Negatio* ex Doct. *1. d. 28. q. 2.* bene describitur, *quòd sit carentia, seu remotio formæ in subjecto inepto ipsam habere*, talis est irrationabilitas in Platone; quæ dicit carentiam perpetuam rationalitatis, & omnimodam incapacitatem habendi rationalitatem. *Privatio* verò *quòd sit carentia, seu remotio formæ in subjecto apto ipsam habere*; talis est in cæco, qui dicit carentiam visûs in oculo, quem tamen potest habere saltèm DEO miraculosè operante.

Nota tertiò: In hac quæstione non quæri de Negationibus, & privationibus, quas intellectus quandoque fingit in entibus realibus, & tamen ipsis repugnant v. g. dum fingit carentiam Gabrielitatis in Gabriele &c. quia hujusmodi negationes haud dubiè sunt formalia Entia rationis: sed quæritur de Negationibus, & privationibus, quæ subjectantur in rebus citra omne figmentum rationis; quales sunt negatio visûs in lapide; & privatio artificialis Logicæ in intellectu rustici, & similes.

4. *Negationes, & privationes nō sunt Entia rationis.*

Dico secundò: Negationes, & privationes in entibus realibus, repertæ nullatenus sunt de numero Entium rationis. Ita Scotus *2. dist. 12. q. 2. & in 4. dist. 22. q. 1.* quem sequuntur Mayr. Columb. Mastrius, Ponc. & alij Scoristæ. Contra Thomist. & Conimbric. ac Suar. Arriag. & alios RR.

Probatur: Tum quia hujusmodi Negationes, & privationes reperiuntur in entibus realibus independenter ab omni machinatione, & fictione intellectûs; uti patet ex illo Gen. *1. tenebræ erant super faciem abyssi*: & illo Joan. *9. Præteriens JESUS vidit hominem cæcum à nativitate*: Ergo hæ non sunt Entia rationis. Tum quia à numero Entium rationis videntur excludi Negationes, & privationes per S. August. *lib. de 10. Cathegorijs*: Et per D. Anselmum, *lib. de casu Diaboli cap. 41.* Et S. Damascen. *in sua Philosophia cap. 2.* Ergo &c. Tum quia Negationibus, & privationibus non convenit definitio Entis rationis rigorosi suprà *quæst. 1. concl. 1.* data; cùm non habeant esse præcisè objectivum per operationem alicujus potentiæ collativæ; quomodo enim in cæcitatem Tobiæ, excæcati per lapsum excrementi, influit intellectus meus, illam cæcitatem attingens? Ergo &c.

5. *Nonnulla Objecta afferuntur.*

Objicies primò: Philosophus *4. Met. cap. 2.* Negationes, & privationes recenset inter Entia rationis: Ergo &c. *Secundò*: Negationes, & privationes removent formas reales à subjectis: Ergo ipsæ in se non sunt entia realia: & consequenter sunt Entia rationis. *Tertiò*: Negationes, & privationes pro hoc statu non possunt percipi, nisi modò sibi repugnanti, scilicet per modum cujusdam positivæ formæ afficientis aliquod subjectum, & removentis ab eo aliquid: Ergo sunt Entia rationis.

6. *Quibus satisfit.*

Respondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam Philosophus *loco citato* Negationes potiùs enumerat, quàm Entia rationis, per ea verba, *quare & ipsum non Ens esse non Ens dicemus*; quæ pro enumeratione Entiũ rationis apponit, postquã omnes rationes entis positivi narrâsset. *Ad secundum* Dist. Conseq. non sunt Entia realia rigorosa, sicut sunt illæ formæ, quas removent Conc. Conseq. non sunt entia realia minùs rigorosa Nego Conseq. Itaque Negationes, & privationes, etsi non sint entia talia, quæ motivè terminant cognitionem realem, uti faciunt Entia realia rigorosa; sunt tamen Entia, quæ terminativè finiunt cognitionem; quod sufficit ad esse ens suo modo reale; nam etiam Entia spiritualia Angeli v. g. motivè, & per proprias species non terminant cognitionem nostram; sed tantùm eam finiunt terminativè; & tamen sunt Entia realia. *Ad tertium* Respondeo *primò*; etiam Angelus pro hoc statu non potest percipi, nisi per modum juvenis elegantis corporei: & tamen non sequitur eum esse Ens rationis: Ergo idem dicendum de privationibus, & Negationibus. Respondeo *secundò* Neg. Ant. nam si intellectus non posset percipere Negationes, & privationes, nisi per modum formæ positivæ, sequeretur, quòd non posset distinctè cognoscere has propositiones, *Quodlibet est, vel non est*; & sic de omnibus alijs propositionibus contradictorijs, quarum una semper formaliter negationem importat.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

Utrúm primæ, & secundæ intentiones sint Entia rationis; ubi etiam de earum collatione?

1. Quid sit intentio formalis, & objectiva.

Nota primò: Hæc vox *Intentio* in Grammaticali prima significatione idem est, ac *tendentia*, quâ potentia aliqua in suum objectum tendit; & sub hac acceptione convenit Intentio tam actibus intellectûs, quàm actibus voluntatis, & cujuscunque alterius potentiæ vitalis potentis tendere in aliquod objectum. Verùm de intentione in hac usurpatione præsens non procedit quæstio: sed de Intentione ùt præcisè pertinet ad intellectum. Quæ duplex est, prima, & secunda; & utraque rursus vel formalis, vel objectiva. *Formalis* est cognitio, quâ attingitur objectiva. *Objectiva* est ipsum objectum formalis intentionis; De objectivis potissimè inquiritur, an sint Entia rationis.

2. Quid intentio prima.

Nota secundò: Doctor Subtilis *in 1. dist. 23. q. un.* appellat Intentionem primam Objectivam ipsum objectum cognitum ùt cognitum; quale esset v. g. Plato cognitus quatenus cognitus: intendere quippe, ùt notat idem Doctor *1. dist. 38. unic.* est in aliud tendere; objectum enim tendit in animam movendo ipsam ad sui cognitionem: Vocatur *Prima Intentio* vel quia prior est secundâ Intentione: vel quia consideratur secundùm sua prædicata, quæ ei insunt absque negotiatione intellectûs. Unde claritatis causâ sic aptè posset describi *Prima Intentio*, quòd *sit objectum actu cognitum secundum aliquam rationem, eidem convenientem ante omne opus intellectûs.*

3. Quid intentio secunda.

Nota tertiò: Idem Doctor *1. dist. 3. q. 7. secundam Intentionem Objectivam* vocat relationem rationis, causatam per actum comparativum intellectûs, comparantis unum objectum cognitum ad aliud objectum cognitum; v. g. si intellectus comparet animal ad suas species hominem videlicet, & brutum, emergit *secunda Intentio generis;* si comparet hominem ad sua individua, emergit *secunda Intentio speciei.* Appellatur *secunda Intentio*, vel quia fundatur in objecto cognito, quod prima Intentio nominatur; respectu cujus proinde illa est secunda Intentio: vel quia actus comparativus (per quem fit secunda Intentio) est posterior illo actu, quô fit prima Intentio. Vel tandem, quia objectum consideratur secundùm aliquod atributum, à sola ratione ei conveniens. Unde claritatis ergò sic posset bene describi *secunda Intentio*, quòd *sit comparatio passiva, quæ reperitur inter duo, vel plura objecta ad invicem comparata secundum aliquam rationem, machinatam, & fictam ab intellectu per modum relationis mutuæ inter illa:* qua descriptio depromitur ex Doctore *1. Dist. 23. q. un. & Quodlib. 1.* Pro cujus uberiori notitia.

4. Quid apprehensio, judicium, & discursus.

Nota quartò: Quòd intellectus noster habeat tres distinctos actus (quos alij appellant tres mentis operationes) primus vocatur simplex apprehensio; secundus Judicium; tertius Discursus. *Simplex apprehensio* est, quæ objecta quæcunque proposita simpliciter apprehendit, in ipsorumque intuitione detinetur, non progrediendo ulteriùs ad aliquam affirmationem, vel negationem circa ipsa. *Judicium* est, quod res apprehensas vel componit, vel dividit; & cùm omnis compositio, vel divisio intercedat inter duo extrema, actus iste necessariò est respectivus, seu collativus. *Discursus* (qui & ratiocinatio appellatur) est, qui unum ex alio discurrendo, & ratiocinando infert; v. g. ex risibilitate hominis rationalitatem.

5. Tres mentis operationes sunt collativa.

Nota quintò: Omnes tres memoratas operationes intellectûs posse esse actus comparativos, & collativos in aliquo attributo rationis; quare per omnes tres effici potest aliqua secunda Intentio, & de prima, de qua aliqualis posset esse difficultas, expresè tenet Scotus *2. dist. 6. q. 2.* eam esse comparativam: quare per primam conferendo animal rationale in ratione definitionis ad hominem in ratione definiti; & è contra, absque ulla affirmatione (quæ non est de essentia definitionis) derelinquitur in his objectis secunda Intentio *definitionis*, & *definiti:* similiter per secundam operationem conferentem animal, & hominem in ratione superioris, & inferioris generis, speciei, prædicati, & subjecti, prædicando scilicet animal de homine, derelinquuntur in hujusmodi ob-

objectis comparatis comparationes illæ passivæ *prædicati*, & *subjecti*, *copulæ*, *propositionis &c.* Et tandem etiam per tertiam conferendo unam propositionem in ratione antecedentis, ad aliam in ratione consequentis, derelinquuntur in illis propositionibus comparationes passivæ, pertinentes ad argumentationem, *Majoris*, scilicet *Minoris*, *Sequelæ &c.*

6. Comparatio passiva debet esse inter ipsa objecta.

Nota sextò: Ad hoc ut illa comparatio passiva duorum objectorum in aliquo attributo rationis, quæ in descriptione secundæ Intentionis suprà *notab. 3.* datæ assignatur, sit vera secunda intentio, nō sufficit, quòd illa objecta comparentur ad intellectum conferentem; sed requiritur, ut per illam objecta inter se comparentur. Ratio est; quia concipiendo objecta comparata præcisè ad intellectum conferentem, concipimus ea sicut sunt in suo ordine, id est absque omni fictione intellectûs, & secundùm prædicata, quæ ei ex natura rei conveniunt; ac proinde sola denominatio extrinseca resultat cogniti, & comparati v. g. animalis comparati ad hominem, & brutum: sed concipiendo objecta, ùt per relationem rationis ad se invicem comparantur, non concipimus ea, ùt sunt in suo ordine; sed secundùm illud additum ab intellectu, ea comparante in attributo rationis; quod demum facit veram secundam Intentionem; quod bene notandum contra P. Poncium, qui ait *disp. 1. de Ente rationis*; ad secundam intentionem sufficere, ut aliquid dependeat simpliciter à comparatione intellectûs. Nunc ad quæstionem.

7. Omnis secūda intentio est Ens rationis.

Dico primò: Omnis vera secunda Intentio objectiva est Ens rationis; non tamen rigorosum chimæricum. Ita Scotus *1. dist. 3. q. 7. & in 1. dist. 23. q. un.* & alibi sæpe; quem sequuntur Trombeta, Mooursius, Mastrius, Lealis, & communis Scotistarum, ac Thomistarum; contra P. Poncium, Herman, & paucos alios Scotistas, in hoc à genuina Scoti mente deflectentes, & eas denominationes extrinsecas statuentes.

Probatur prima pars primò: Tum quia ideo Logica dicitur scientia rationalis, quod tractet ubique de secundis Intentionibus objectivis, quæ sunt Entia rationis. Tum quia omnis secunda Intentio objectiva habet præcisè tum esse objectivum ab intellectu negotiante, & comparante; ùt patet de genere, specie, subjecto, & prædicato &c. Ergo talis est Ens rationis.

Probatur secundò eadem pars contra Scotistas oppositos: Scotus *in quæstionibus universalibus* in qualibet quasi pagina vocat secundas Intentiones objectivas formaliter Entia rationis: idem facit *1. dist. 3. q. 7. & dist. 23.* Item *4. d. 1. q. 2. & 5. Met. q. un.* & alibi sæpissimè: quâ fronte ergo P. Poncius, & P. Herman Scotistæ possunt ab hac expressa sui Doctoris doctrina recedere?

8. Quædam objectio resolvitur.

Objicies cum memoratis Authoribus: omnis secunda Intentio objectiva dicit tantùm denominationem extrinsecam, desumptam ab actu comparativo intellectûs comparantis; v. g. ratio prædicati, quæ est secunda quædam Intentio dicit tantùm denominationem extrinsecam desumptam ab actu intellectûs, quô judicatur aliquid de alio: sed hujusmodi denominatio extrinseca non est Ens rationis: Ergo &c. *Contrà primò*: Iste modus explicandi est directè contra doctrinam Doctoris Subtilis *locis citatis*. *Contrà secundò.* Ex opinione istorum AA. Scotistarum sequitur, quòd omnis denominatio extrinseca desumpta ab actu comparativo intellectûs foret secunda Intentio; & sic *Platonem esse patrem*, *Plautum esse filium &c.* forent secundæ Intentiones; quod tamen negabunt memorati AA. Probatur autem sequela; quia præfatæ denominationes *Platonem esse patrem*, *& Plautum esse filium* depromuntur ab actu comparativo intellectûs, quô Plato ad filium suum comparatur, ac refertur; & Plautus ad suum patrem: Ergo &c. Quare advertant hi Scotistæ multa prædicata primæ Intentionis, & consequenter denominationes extrinsecas posse rebus convenire dependenter ab actu aliquo comparativo Intellectûs, quæ tamen non erunt veræ secundæ Intentiones: Unde Scotus *1. dist. 3. q. 7.* arguens contra Godefridum ait; quòd Intellectus conferens unum objectum ad aliud secundùm talem habitudinem, qualis est ipsorum ex natura rei; non causat aliquas relationes rationis, quæ sint secundæ Intentiones (de quibus ibi loquitur) sed tantùm quando comparat in habitudine, seu relatione, quæ non sequitur illa ex natura rei; sed tantùm eis convenit ex negociatione intellectûs: quæ habitudo à Scotistis appellatur comparatio passiva, attri-

butum

attributum rationis, respectus rationis, relatio rationis relicta in objectis comparatis; & hæc est verum Ens rationis.

9. *Secunda intentio non est Ens rationis rigorosum.*

Probatur secunda pars conclusionis: omnis secunda Intentio objectiva habet aliquod fundamentum in re v. g. secunda Intentio generis; ut suprà *quæst. 2. notab. 4.* dixi: Ergo secunda Intentio nō est Ens rationis rigorosum, & chimæricum, quod caret omni fundamentò in re. Circa ultimum Articulum quæstionis.

10. *Varia species prædicationis.*

Nota septimò: Communiter dicitur, secundas Intentiones applicari primis, & conferri cum eis; ac esse quasi proprietates primarum; quæ applicatio diversimodè contingere potest. *Primò* enim secundæ Intentiones applicantur primis, quia sunt quasi imagines primarum, & ipsæ primæ sunt res quasi imaginatæ; secundæ namque inventæ sunt ad repræsentandas ipsas primas secundùm aliquam brevitatem, & methodum. *Secundò* applicantur primis per prædicationem de primis; & hoc dupliciter, vel prædicatione signatâ, vel prædicatione exercitâ. *Prædicatio exercita* juxta Scot. *q. 14. univers.* est illa, quæ fit mediante verbo *sum, es, est &c.* ut ego sum homo; *signata* quæ fit mediantibus terminis secundæ intentionis *prædicatur, dicitur &c.* ut genus *prædicatur* de pluribus speciebus. Alia ex prædicationibus exercitis est *identica*, ut gratia justificans est gratia habitualis sanctificans; idem enim est gratia justificans, & gratia sanctificans. Alia *formalis*, in qua prædicatur aliquid per modum formæ aliquomodo distinctæ, ut paries est albus. Formalis alia est *directa* in qua subjicitur id, quod est magis aptum subjici, & prædicatur, quod est magis aptum prædicari; ut homo est animal. *Indirecta* seu innaturalis alia, in qua fit è contra; ut animal est homo: magis aptum prædicari sunt semper illa, quæ sunt magis communia. Alia iterum est prædicatio essentialis, alia accidentalis; *prima* est in qua prædicatum est de essentia subjecti; ut homo est rationalis; *accidentalis* è contra, ut Petrus est doctus. His notatis:

11. *Quandoq; prædicatio secundarū intentionum de primis est accidentalis*

Dico secundò: Quando secundæ intentiones applicantur primis mediante prædicatione exercitâ, tunc prædicantur de primis tantùm accidentaliter: si autem applicentur eis mediante prædicatione signatâ, potest fieri prædicatio essentialis; quæ tamen exerceri debet in terminis primarum intentionum.

12. *Quandoq; essentialis.*

Probatur prima pars: Quia secundæ tunc prædicantur de primis ut quædā accidentia intentionalia, quæ intellectus attribuit primis; adeoque non nisi denominativè de primis prædicari possunt; ut habet Scotus *q. 10. univers.* Ergo solùm accidentaliter prædicantur; ut dum dico, homo est species exercitè.

Probatur secunda pars; & patet hoc exemplo: *genus prædicatur de pluribus speciebus*, hæc est essentialis, dum exercetur per terminos primæ intentionis dicendo, *homo est animal*; *brutum est animal*; quia secundæ Intentiones supponunt pro fundamentis, & ideo verificari debent per primas intentiones: sed fundamenta essentialiter de se invicem enuntiantur: Ergo in prædicatione signata secundæ intentiones de primis essentialiter enunciari possunt, si per primas exerceatur prædicatio.

Nota hic octavò: Ad cognoscendum quomodo fieri debeat applicatio secundarum Intentionum ad primas, & eorum prædicatio maximè exercita, attendi debet fundamentum, quod est in primis; hinc si inferiora, de quibus natura est apta nata prædicari, differant essentialiter, illi naturæ applicari debet intentio generis: si verò sint individua, illi applicari debet intentio speciei &c.

13. *Una intentio secunda prædicatur de alia nunc signatè,*

Dico tertiò: Conferendo ipsas secundas Intentiones inter se, una alteri applicari potest, & prædicari de alia signatè, & exercitè; etiam essentialiter, si intentio applicata sit superior: si verò inferior, prædicatio erit tantùm accidentalis.

Probatur prima pars: quia bona est hæc prædicatio signata, *universale prædicatur de genere;* sed hæc est prædicatio signata unius secundæ Intentionis de alia: Ergo possunt signatè de se invicem prædicari.

14. *Nunc exercitè.*

Secunda pars de exercita patet; quia similiter bona est hæc exercita prædicatio secundarum Intentionum, *genus est quoddam universale.* Et ratio horum omnium communis est; quia intellectus habet virtutem reflexivam: Ergo poterit unam Intentionem secundam super aliam priorem à se factam per actum comparativum fundare, & ita prior, quæ est fundamentum, habebit se ut *Quod*, inquit Scotus, altera verò fundata ut *Modus*; quæ proinde de priori poterit exercitè, & signatè præ-

prædicari; sicut omnis modus de suo subjecto modificato potest enunciari.

15. *Et hoc quando que essentialiter.*

Tertia pars de essentiali prædicatione pariter patet in hoc eodem exemplo, *genus est universale*, ubi ly *universale* est modus essentialis faciens prædicationem quidditativam superioris de inferiori; universale enim est superiùs ad genus: Ergo fieri potest prædicatio essentialis inter secundas Intentiones.

16. *Quandoq; accidentaliter.*

Probat. quarta pars: Quia inferiora accidunt superiori v. g. genus accidit ipsi universali; ut si dicam, *universale est genus*; ly *genus* merè denominativè, & ut modus accidentalis se habet in determinando ly *universale*: Ergo faciet tantùm prædicationem accidentalem.

17. *Obviatur objectis.*

Obijcies contra tertiam conclusionem; implicat dari modum modi; sicut non datur actio actionis: Ergo cùm omnis secunda intentio sit modus, una alteri non poterit applicari. Confirm. fundamentum debet esse magìs Ens, quàm res fundata: sed una secunda Intentio non est magìs secunda Intentio, quàm alia: Ergo nequit fundare aliam, & ei applicari. Resp. *ad Primum*: quidquid sit de modis essendi, utì est unio unionis, qui modi ex rerum naturis pendent; non est paritas de modis intelligendi, qui cùm pendeant ab intellectu, poterit ipsos intellectus variare, & multiplicare pro libitu; talis autem est secunda Intentio. *Ad Confirm.* dico primò, negari posse Majorem universaliter loquendo de omni fundamento; quia solùm vera est de fundamento reali strictè; non autem de fundamento intentionali, & minùs strictè reali, quale est illa secunda Intentio respectu posterioris. Secundò Nego Min. quia in sphæra Entium rationis invenitur etiam suo modo gradualis latitudo, utì in Ente reali; ac proinde una secunda Intentio potest esse magìs secunda, quàm alia.

DISTINCTIO II.

De Causis Entis Rationis.

PRÆNOTATIO.

Hic non inquiritur de Causis Entis rationis in rigore physico; sed de Causis suo modo concurrentibus ad Entium Chimæricorũ constitutionem: nam quemadmodum Entia ista in rigore, & propriè Entia non sunt; ita nec Causas in rigore physico habere supponuntur. Quare dum Causas eorum investigabo præsenti distinctione, hoc per aliquam analogiam, proportionem, & modo sibi conveniente fieri censendum est, & quasi Causæ *investigabuntur Unde sit*

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Num ab omnibus quatuor generibus causarum; sensibus externis; & memoria attingatur Entis rationis constructio?

1. Ens rationis habet quatuor genera causarum.

Dico primò: Dici potest cum quadam analogia Ens rationis etiam rigorosum, habere omnia quatuor genera causarum, suô modô concurrentium ad ejus machinationem. Colligitur ex Scoto *Quodlib. 1. §. de altero.* Et *1. dist. 3. q. 7.* Et tenet Poncius, Mastrius, Herman; & consentire videtur Columb. contra Sanc. Mayr. & Gabriel. qui Enti chimærico denegant omnes quatuor causas; & contra Suar. & Amic. qui ei concedunt solam efficientem; & contra Complut. qui tres ipsi favent; sed formalem ab eo excludunt.

Probatur primò: Ens rationis etiam chimæricum habet suum esse objectivum: item est causatum; quia non est incausatum quid sicut DEUS: Ergo suô modô, & cum quadam analogia habet quatuor genera causarum concurrentium ad sui machinationem. Consequentia tenet; quia omne causatum quà tale habet sui causas; si est causatum reale, habet causas reales; si est causatum intentionale, sicut est Ens rationis, habet sui causas intentionales.

Probatur secundò inductione singularum causarum: primò habet *causam Materialem, & Formalem*; v. g. Ens rationis Logicum, seu secunda intentio habet genus, quod se habet instar materiæ, quæ determinatur; etiam habet differentiam, quæ se habet instar formæ determinantis: Ens verò rationis chimæricum v. g. *homo taurus* habet pro materiali causa, seu pro materia partes, ex quibus componitur; & pro formali, seu pro forma ejus entitatem, & differentiam, per quam totum hoc fictum constituitur, & distinguitur ab omni alio, quod non est ipsum: Ergo &c. Secundò habet *causam Finalem*; quia omne Ens rationis tam fundatum seu secunda intentio; quàm chimæricum habet aliquem finem, ob quem fingitur; v. g. secunda intentio ad venandum veritatem, & discernendam à falsitate: chymæricum verò habet illud motivum, ob quod chimærizat intellectus: Ergo &c. Tertiò habet etiam *causam Efficientem*, puta intellectum, vel voluntatem; de qua infrà: Ergo omne Ens rationis etiam rigorosum habet quatuor genera causarum, cum quadam analogia concurrentium ad sui fabricationem.

2. P. Cavellus impeditur.

Objicies cum P. Cavello: Causæ reali debet proportionari effectus realis: sed Ens rationis non est quid reale: Ergo non potest proportionari ulli causæ: & consequenter non habet ullas sui causas: Resp. Dist. Maj. si effectus ponatur per productionem rigorosè physicam, ut dum intellectus producit intentionem per actionem, quæ à Doctore dicitur *dictio productiva* Conc. Maj. si per actionem intentionalem tantùm ponatur, quam Scotus appellat actionem metaphoricam, & quasi grammaticaliter actionem, eò quòd non sit productiva, sed operativa tantùm, adeóque afferens tantùm esse objectivum pro effectu suo, sic Neg. Maj. Hôc autem secundô modô producitur Ens rationis ùt effectûs intellectûs, qui est aliàs causa realis. Circa secundum articulum quæstionis.

3. Sensus externus nō facit Ens rationis.

Dico secundò: Ens rationis nequit effici ab ullo sensu externo. Ita Scotistæ communiter; contra Iand. Arriag. &c.

Probatur. Tum quia sensus externi v. g. visus, vel auditus nequit dare esse objectivum, quod postulat Ens rationis: Ergo nequit illud efficere. Tum quia potentia confectrix Entis rationis debet esse collativa; quia debet referre unum objectum cognitum ad aliud, v. g. hircum ad cervum, ut resultet hirco-cervus; sed sensus externi non sunt collativi: Ergo ab eis nequit effici Ens rationis.

4. Obviatur instantijs contrarijs.

Objicies: Oculus interdum percipit colores apparentes in iride, & in collo columbæ, ac obliquitatem baculi recti in aqua immersi, & curvitatem remi in mari: sed hæc sunt Entia rationis; quia à parte rei non existunt: Ergo aliquis sensus externus efficit Ens rationis. Resp.

P Neg.

Neg. Min. nam hujusmodi entia saltèm existere possunt à parte rei; quod repugnat Enti rationis: Deinde hujusmodi entia sunt etiam realia; nam etsi nullus esset oculus, adhuc essent colores iridis, & alia meteora à parte rei.

Dico tertiò: Memoria nequit efficere Ens rationis. Ita Scotus *2. dist. 1. q. 1. §. quantum*. Et tenet communis Scotist.

5. *Memoria non facit Ens rationis.*

Probatur: Memoria est rerum jam cognitarum præteritarum; unde non est practica, seu factiva objecti; sed cognitum, seu factum jam supponit: Ergo nequit efficere Ens rationis. Est ergo tantùm, ùt loquitur hic P. Fuente, speculativa ipsius esse, cujus recordatur; sicuti si Angelus chimæram à me factam cognosceret, non propterea diceretur propriè efficere chimæram, sed cognoscere.

QUÆSTIO II.

Num Phantasia; & Voluntas machinari possint Ens chimæricum?

1. *Phantasia cudit Entia chimærica.*

Consultò abstineo in titulo quæstionis à termino *Entis rationis*: nam si pressè, & propriè usurpetur nomen *Entis rationis*, est illud, quod à sola ratione, seu intellectu fabricari potest, à quo proinde etiam sortitur denominationem. Quare inquiro, an Ens simile, & æquipollens Enti rationis, id est Ens chimericum fictum, habens pariter esse præcisè objectivum ab alia potentia vitali, puta phantasia, vel voluntate, possit effici.

Dico primò: Phantasia, seu imaginatio potest cudere aliqua Entia chimærica. Ita colligitur ex Scoto *q. 9. de anima in solut. 4.* & sequuntur Brulifer, Columb. Herman, Faber, Fuente, & Meurisse cum alijs pluribus Scotistis; & Suar. ac Arriag. contra P. Mastrium, Poncium &c.

Probatur: Tum quia ut aliqua potentia possit cudere Entia chimærica, sufficit, ut sit potentia collativa ex Doct. *q. 9. de anim. & 1. dist. 26. q. unic.* Sed phantasia est potentia collativa: Ergo &c. Prob. Min. Tum quia experientiâ constat, eam solere in somnijs conferre species corporei Angeli, atque ita phantasiare, & conflare corporeum Angelum, seu in forma juvenis, qui est Ens rationis: Tum quia ùt ait Scotus *quæst. cit. imaginatio sentit actum suum; imaginamur enim nos imaginari, & imaginatos fuisse; & somniamus nos somniare, sicut experimur manifestè*: Ergo imaginatio, seu phantasia est potentia collativa.

2. *Phantasia etiã insensibilia attingit.*

Obijcies cum Mastrio: Phantasia non respicit totam latitudinem entis; sed determinatum habet objectum, puta sensibile: quia non percipit essentiam, & substantiam rerum; sed tantùm qualitates, & accidentia, quæ sunt realia: Sed Entia chimærica non sunt quid sensibile: Ergo nequeunt cudi à phantasia. Respondeo Neg. Maj. quoad illam partem, quæ dicit, quòd objectum determinatum phantasiæ sit solum sensibile: nam si hoc foret verum, sequeretur, intellectũ non plus scire, & discere, quàm objecta sensibilia; cùm intellectus tunc intelligat, quando coagit phantasiæ: Unde dicitur, quòd nil fuerit in intellectu, quod prius non fuerat in sensu, utique interno, seu phantasia; & quia ùt ait Aristoteles, *oportet intelligentem phantasmata speculari*: sed intellectus scit etiam objecta insensibilia: Ergo & phantasia quoque ea attingit.

3. *Voluntas fabricat Entia chimærica.*

Dico secundò: Similiter voluntas potest efficere Entia chimærica. Ita colligitur ex Scoto *1. dist. 45. q. unic. Et Quodl. 17. §. de secunda* & alibi: & tenent plerique Scotistæ, Fuente. Mast. Columb. Baro, Faber, Smis. Meurisse &c. contra P. Poncium, Thomistas, ac Amic. Aver. &c.

Probatur primò: Tum quia ùt ait Scotus *1. dist. 26. q. un. Omnis potentia collativa potest objectum suum comparare ad aliud, & in eo sic comparato causare respectum rationis*: sed voluntas est etiam potentia collativa unius voliti ad aliud volitum, scilicet mediorum ad finẽ; si v. g. diligat creaturas propter DEUM, & è contra: Ergo voluntas quoque potest causare respectum rationis, seu potiùs Ens chimæricum elaborare. Tum quia voluntas Angeli Luciferi potuit appetere, & velle æqualitatem DEI, seu DEI beatitudinem, ùt habet Scotus *2. dist. 6. q. 2.* postquam se, & beatitudinem DEI cognovit; imò defactò eam appetijt,

& vo-

& voluit; nti patet ex sacta Scriptura: sed hujusmodi æqualitas, & beatitudo DEI volita est fotmalissimum Ens chimæricum: Ergo &c.

Probatur secundò: Voluntas potest tendere in finem præfixum, & præstitutum, ùt tenet Scotus *1. dist. 1. q. 1.* (quod fit tunc, quando intellectus ostendit objectum sub ratione mali; voluntas autem ex sua libertate illud sibi præfigit tanquam finem sibi bonum, quod à parte rei revera nec est nec esse potest bonum aliquid; sed affigit duntaxat tali objecto bonitatem, aliunde sibi ostensam) sed hujusmodi finis præfixus, & præstitutus volitus est formale Ens chimæricum; quia impossibile est, malum quà malum esse bonum: Ergo voluntas potest efficere Ens chimæricum.

4. Varijs impugnationibus contranititur Author.

Objicies *primò:* Omne Ens chimæricum jam est præfactum ab intellectu; quia nihil volitum, nisi præcognitum: Ergo tardè venit voluntas circa fabricationem Entis chimærici. *Secundò*: Voluntas nequit dare esse objectivum Enti chimærico: Ergo &c. *Tertiò:* Scotus varijs in locis, ut *Quodlib. 3. n. 2. & 1. dist. 13. n. 7.* videtur soli intellectui concedere vim effectricem Entium rationis: Ergo &c. Respondeo *ad primum* Dist. Ant. Ens chimæricum jam est præfactum ab intellectu in ratione esse cogniti Conc. Ant. in ratione esse voliti, Nego Ant. Itaque postquam chimæra accepit aliquod esse intellectuale, seu cognitum ab intellectu chimærizante v. g. æqualitas DEI in Lucifero, quam is chimærizavit, tunc chimæra secundùm hoc esse præsentatur voluntati; voluntas deinde depravato affectu illam appetit, & vult, dando ipsi esse volitum, quod est esse chimæricum planè novum. *Ad secundum* Nego Ant. nam, ùt mox dixi, illud esse volitum est verum esse objectivum, proveniens à voluntate prosequente, & appetente Ens chimæricum v. g. æqualitatem DEI. *Ad tertium* glosso Scotum, & dico eum ibi loqui de Ente rationis secundùm ethymologiam, vocando Ens rationis, quod à ratione fabricatur, vel loquitur ibi de præcipua rantùm specie Entis rationis, quod fit scilicet ab intellectu; non negans aliud, quod fit per voluntatem.

QUÆSTIO III.

Num intellectus; & per quos actus possit machinari Entia rationis?

1. Intellectus humanus, & Angeli potest facere Ens rationis

Dico primò: Intellectus humanus, & Angelicus potest machinari omnis generis Entia rationis: Est communis Scotist. & Thomist. contra Caramuel. Mayr. Vales. &c.

Probatur: Tum quia ita patet ex ipsa nomenclatura *Entis rationis*, id est, intellectûs. Tum quia intellectus tam humanus, quam Angelicus est potentia perfectè collativa, ac comparativa unius cogniti ad aliud cognitum. Tum quia habet vim perfectam fingendi, & componendi naturas rerum, quæ à parte rei nulla ratione componi possunt, v. g. naturam hirci, & cervi; item hominis, & tauri: Ergo intellectus tam humanus, quàm Angelicus potest machinari Entia rationis omnis generis. Tum quia experientiâ patet, nostrum intellectum cndere varias chimæras, leogriphos, hyppocentauros: & intellectus Luciferi insigne fecit Ens rationis, quando concepit æqualitatem Dei, ut suæ personæ applicabilem: Ergn &c. Pro altero articulo quæst:

2. Quid actus directi, reflexi, & comparativi.

Nota primò: Tres esse operationes, seu actus intellectûs, quos suprà *dist. 1. quæst. 5. notab. 4.* explicui. Ex his nota aliquos esse directos, alios reflexos, & aliquos comparativos, seu collativos. *Directi* sunt, quibus res directè percipiuntur. *Reflexi* sunt, quibus se intellectus super priores reflectit: *Comparativi*, seu *collativi* sunt, quibus unum objectum in ordine ad aliud cognoscit, & utrumq; inter se comparando in aliquo attributo rationis confert.

3. Duplex est comparatio simplex, & composita.

Nota secundò: comparationem, seu collationem dari duplicem; simplicem, & compositam. *Simplex* habetur, quando unum cum altero, vel in ordine ad alterum cognoscitur sinè ulla affirmatione vel negatione: v. g. dum cognoscitur hircus in ordine ad cervum, & aggregatum ex utroque. *Composita* habetur, quandò

unum in ordine ad aliud cognoscitur; & intellectus insuper unum alteri attribuit per affirmationem, componendo ex utroque unum v. g. dum comparat naturam hirci cum natura cervi, & affirmat dari hirco-cervum.

4. *Intellectus potest facere Ens rationis omnibus 3. operationibus.*

Dico secundò: Intellectus potest efformare aliqua Entia rationis beneficiô omnium trium operationum. Ita colligitur ex Scoto *q. 3. univers. & 2. dist. 3. q. 1. §.* & sequitur Fuente, Columb. Mastrius, ac ex alienis Complur. & Arriaga; contra Vasq. & Hurtad. qui facturam Entis rationis denegant primæ operationi mentis.

Probatur *de prima operatione intellectûs*: prima operatio intellectûs puta apprehensio, versatur circa terminos simplices, & incomplexos, puta genus, differentiam, species, & alia universalia, necnon circa prædicamenta: sed hujusmodi sunt vera Entia rationis fundata: Ergo beneficiô primæ operationis intellectûs potest efformare Entia rationis.

Probatur *de secunda operatione*: Hæc operatio, id est *judicium* est compositiva formaliter; unde potest componere naturam leonis, & gryphi; hominis, & ursi, atque de illis judicium formare, quod detur leogryphus, & homoursus: quæ sunt Entia rationis: Ergo &c.

Probatur etiam *de tertia*: Tum quia intellectus potest in suis ratiocinationibus falsis chimæricas inferre conclusiones, deducendo unum ex aliquo, quod nullô modô sequi potest; & consequenter tunc efformabit Ens rationis; v.g. si discurrat sic, *omnis homo est brutum: sed DEUS est homo: Ergo DEUS est brutum.* Tum quia intellectus bene discurrendo, & unum ex alio debitè inferendo derelinquit in præmissis rationem *majoris*, & *minoris*, & in consequentia rationem *conclusionis*: Sed hæ sunt Entia rationis fundata: Ergo &c. Tum quia Syllogismus (qui est tertia operatio intellectûs) est Ens Logicum, seu quædam secunda intentio: Ergo Ens rationis.

5. *Solo actu directo & cõparativo fieri potest Ens rationis, non reflexo.*

Dico tertiò: Intellectus per actus directos; & comparativos potest negotiari Entia rationis; non per reflexos. Ita Mastrius, Fuente, Frassen, & alij Scotistæ, quo ad primam, & secundam partem.

Probatur *de actu directo*: Potest intellectus directè apprehendere hircocervum; adeoque ipsi dare esse objectivum apprehensum; quod est Ens rationis; in hoc enim nulla videtur implicantia: Ergo intellectus per actum directum potest negotiari Ens rationis.

Probatur *de actu comparativo*, secundæ intentiones Logicales sunt entia rationis fundata: sed hæ elaborantur per actum comparativum; quando nimirum intellectus comparat unum ad aliud in attributo rationis; & in eis sic comparatis relinquit respectum rationis: Ergo intellectus per actum comparativum potest negotiari Entia rationis. Prob. *de actu reflexo*: actus reflexus non est factivus, sed speculativus tantũ Entis rationis jam facti; unde spectat ad memoriam: Ergo non efficit de novo ullum Ens rationis; sicut nec memoria.

6. *Simplex apprehensio est collativa.*

Objicies primò contra secundam conclusionem: Ens rationis èst quid respectivum, causatum per actum collativum; sed sola operatio intellectûs puta judicium est actus collativus: Ergo per primam apprehensionem saltèm fieri nequit. Respondeo transeundo Majorem; quia non est verum universaliter, quòd omne Ens rationis sit respectivum: & distingvo Min. solum judicium est collativus actus collatione compositâ Concedo Min. collatione simplici, quæ etiam sufficit, Nego Min. simplex ergo apprehensio est suô modô collativa simpliciter, quatenus collatio coincidit cum quadam referentia, & comparatione unius ad aliud, quæ comparatio, & collatio dicitur comparatio imitationis, & similitudinis, & excludit omnem affirmationem, & negationem. Per hoc explicantur omnia loca Scoti, ubi docet ad Ens rationis requiri collationem; quia non intelligit hoc de collatione composita, quæ importat affirmationem, & negationem; sed de simplici, de qua *notab. 2.*

7. *Qua ratione Ens rationis dicatur falsum.*

Objicies secundò: Omne Ens rationis est falsum, ad modum Entis realis conceptum; quia concipitur cum modo sibi repugnanti: sed falsitas spectat tantùm ad judicium, non ad apprehensionem: Ergo in apprehensione non habetur Ens rationis. Respondeo Dist. Maj. Ens rationis est falsum, id est non est entitas rata, & firma, imò impossibilis, Conc. Maj. est quid falsum falsitate proveniente ex affirmatione, & negatione judicij, Nego Maj.

8. *In apprehensione datur error*

Ex hoc Infero: in prima apprehensione dari posse errorem, & fictionem simplicem circa impossibilia, simpliciter unionem inter impossibilia machinando, sinè tamen

tamen affirmatione semper, & negatione; quod multis non sapit Scotistis; Experientia tamen hoc docet; quia possum fictè apprehendere in Angelo aliquo v. g. Divinitatem, antequam enunciem sic; *hic Angelus est DEUS*: Ergo &c.

9. Eliditur objectum quoddã.

Objicies contra secundam operationem intellectûs; nil additur de novo Enti rationis facto per apprehensionem, quando fit per judicium: Ergo judicium non facit Ens rationis; sed tendit in jam factum. Resp. Neg. Ant. addit enim ex parte objecti hoc, quod determinatô modô id est per affirmationem, & negationem cognoscatur Ens rationis, quem modum Ens rationis non habuit ab apprehensione priori.

QUÆSTIO IV.

Utrum DEUS Entia rationis aliena suâ notitiâ attingat; illaque fabricare possit?

1. Deus cognoscit Entia rationis nostra, & angelica.

Dico primò: DEUS suâ notitiâ perfectè attingit Entia rationis ab humano, vel Angelico intellectu fabricata. Deducitur ex Scoto *1. dist. 30 q. 2.* & alibi; quem sequuntur Lychet. Gadius, Bargius, Mastrius, & alij Scotistæ: contra P. Meriner. Vasque. Ruvium, &c.

Probatur primò authoritate sac. Scripturæ: Nam *ad Hebr. 4.* dicitur de notitia DEI, *omnia nuda, & aperta sunt oculis ejus*; quem passum glossat P. Lyranus non solùm de factis, sed etiam de cogitatis, sive ea sint realia, sive fictitia aliena, & Entia rationis. Similiter Sap. 8. inducitur DEI notitia terminis quasi specificis circa Entia rationis, dum dicitur; *scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum, signa, & monstra, antequam fiant*; ubi P. Lyra. transfert *fallacias sermonum*; id est, argumentationes apparenter veras, tamen reverà falsas; argumentationes autem sunt Entia rationis: tandem quia per *monstra* intelligi possunt monstra intellectionis, puta chimæræ: Ergo DEUS suâ notitiâ perfectè attingit Entia rationis aliena.

Probatur secundò ratione: DEUS est scrutator cordium, ut alia dicit S. Scriptura: sed in cordibus, id est, intellectibus humanis, latent etiam sæpe cogitationes, & machinæ chimærarum v. g. dum Plato affirmat birco-cervum, vel hyppo-centaurum &c. Ergo harũ scrutator est quoque Deus; & consequenter similia monstra cordium, seu Entia rationis ab homine facta suâ notitiâ attingit. Confirmatur: Notitia Dei est infinita: Ergo eâ attingit quoque Entia rationis.

Probatur tertiò alia ratione: nisi concedatur, Deum suâ notitiâ attingere Entia rationis intellectûs humani, & Angelici, non comprehenderet omnes actus horum intellectuum; quia non attingeret objectum illorum actuum, quæ sæpe sunt chimærica, & formalia Entia rationis: sed Deus comprehendit perfectissimè omnes actus intellectûs humani, & Angelici: Ergo & suâ notititiâ attingit Entia rationis intellectûs humani, & Angelici.

2. Imperfectio Entis rationis est ex parte objecti.

Objicies: Cognitio Entium rationis ab Angelo, vel homine factorum involvit quandam imperfectionem; quia eâ concipitur res aliter facta, quàm sit, & per modum alterius: sed omnis imperfectio â Deo est removenda: Ergo & notitia Entium rationis alienorum. Respondeo Neg. Maj. ad ejus Rationem dico, quod tota imperfectio se teneat ex parte objecti intelligibilis, v. g. chimæræ, quod ita petit intelligi; quia enim intrinsecè includit analogiam ad ens reale, ad ejus modum concipitur.

3. Deus cognoscẽdo aliena Entia rationis, nullũ facit.

Dico secundò: Notitia tamen Dei, quâ attingit Entia rationis ab alieno intellectu negotiata, non eô ipsô propriè est factiva istorum Entium. Ita Fuente, Mastrius, Herman, & quidam alij Scotistæ; contra Vasq. & alios RR.

Probatur: Tum quia Entia rationis ab alieno intellectu negotiata habent rationem præcisè objecti terminativi; non autem effectûs, dum â notitia Divina attinguntur: Ergo talis notitia Divina non est eorũ factiva. Prob. Ant, illa Entia rationis habent rationem effectûs ab intellectu alieno procedenti, â quo negotiantur; cùm ab eo accipiant totũ suum esse objectivum: Ergo dum â notitia Divina attinguntur, habent rationem objecti terminativi tantùm. Ex his:

4. Sed aliena tantùm speculatur.

Infertur: Notitiam Divinam, quâ attingit Entia rationis jam negotiata ab alieno intellectu, esse tantùm speculativam; eò quòd illa speculetur, & intueatur

fictio-

fictiones alienas, & machinationes Entium chimæricorum; eò fermè modò, quo scientia Dei, quam habet de intellectionibus realibus nostri intellectûs, non est earundem practica, & effectiva; sed speculativa duntaxat.

5. DEUS potest sua Entia rationis facere.

Dico tertiò: Deus nihilominus; etiam in sententia Scoti determinata suo infinito intellectu potest efformare propria Entia rationis. Primam partē tenet Fuente, Columb. Mastrius, Faber &c. contra Mayr. Vasq. & P. Fraslen. Secunda est Scoti in *Report.1.dist.36.q.2.* contra Mastrium, & Bellutum, qui Scotum faciunt in hoc problematicum.

Probatur prima pars: Tum quia intellectus Dei est potentia propriè collativa, & comparativa unius objecti cogniti ad aliud: nam ejusmodi ratio collativi in intellectu Divino nullam involvit imperfectionem dedecentem Deum: Ergo Deus potest efformare Entia propria rationis suâ potentiâ collativâ. Tum quia efformare etiam Entia rationis pertinet ad supremum opificem Deum, ejusque potentiam intellectivam in efficiendo recommendat: Ergo &c. Tum quia Deus potest efficere omne id, quod efficit creatura; nisi aliquam imperfectionem involvat: sed creatura potest efformare Ens rationis: Ergo & Deus.

6. Etiam in sententia Scoti aperta.

Probatur secunda pars: plura extant loca in littera Scoti, in quibus apertè dicit Deum quoque efformare posse Entia rationis: Ergo hoc verùm est etiam in sententia Scoti determinata. Prob. Ant. *Quodlib.1. §. de altero* explicitè habet, quod uterque intellectus creatus, & increatus per comparationē suorum actuum ad objecta formet Entia rationis. Idem tenet *1. dist.36. q. unica §. contrà istud. Et Quodl.17. §. de secundo. Et in 4. dist. 16. q. 2.* Ergo &c.

7. Objectionum unum resolvitur.

Objicies contra primam partem: si Deus posset facere Entia rationis, posset concipere distincta ut non distincta, relata ut non relata &c. Sed in tali conceptione intervenit error, & falsitas, quæ dedecent Deum: Ergo Deus nequit facere saltèm omnia entia rationis. Respondeō Conc. Maj. & Negando Min. nam error, & falsitas dedecens Deum primò exurgunt in conceptione, quando relata concipiuntur ut non relata, & intellectus verè judicat ut non relata; non verò si simpliciter illa concipiat sinè ullo prorsus judicio affirmativo, & negativo, quod propriè importat errorem.

8. Aliud quoque evacuatur.

Objicies secundò: Deus non potest fingere: Ergo ad minus nequit facere Entia rationis non fundata, & ficta. Respondeo Dist. Ant. DEUS nequit fingere cum affirmatione, Conc. Ant. nequit fingere, id est rem concipere aliter, ac est sinè affirmatione Nego Ant. Itaque Deus faciendo Ens rationis non concipit Ens chimæricum, ita ut affirmet illud esse possibile; sed concipit illud ita, ut simul neget esse possibile; quod nòn est fingere imperfectè; sed evertere figmentum.

9. Scotus eluciditur.

Objicies contra secundam partem conclusionis pro Mastrio: Scotus *1. dist. 2. q. 4. §. ista tamen positio*, habet pro absurdo, Divinum intellectum causare relationem rationis in essentia, ut existens est. Ergo &c. Respondeo cum P. Lycheto, Scotum loqui de actu intellectûs recto, & absoluto, quò non fit Ens rationis: ideoque absurdum est per hujusmodi actum fieri Ens rationis; cùm hoc concedit, quod fiat per actum collativum.

TRA-

TRACTATUS TERTIUS.

De Distinctionibus.

PROLOQUIUM.

TAmetsi etiam Tractatus iste ad Metaphysicam pertinere videatur, & à multis AA. ibidem ventiletur: cùm distinctio sit passio Entis, sicut unitas, & aliæ passiones Metaphysicæ Entis: quia tamen Distinctionum variarum usus frequentissimus est in Logica, ejusq; notitia summoperè necessaria ad alia Logicæ arcana penetranda: idcirco eorum Tractationem hic adoriar, cum sua mediocri, & proportionata discussione; quam veteres, signanter Formalistæ nostri, fusissimè digesserunt.

DISPUTATIO UNICA.

De Natura, Existentia, & Numero Distinctionum.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Quid sit Distinctio ut sic; quodve ejus constitutivum?

1. *Distinctio latè, & pressè sumitur.*

Nota primò: Distinctionē posse latè, & pressè usurpari: *Latè* usurpata coincidit cum *non idem*; quare ea hoc sensu dicentur distincta, quorum unum dicit negationem alterius; & ita in hoc sensu Distinctio importat formaliter quandam negationem, potestque intercedere tam inter entia positiva, quàm negativa, & privativa; inter duas chimæras; ac inter ens reale, & rationis. *Pressè* usurpatur pro forma aliqua, quæ intercedit inter duas res positivas, à qua forma res una habet esse distincta ab alia. Unde

2. *Descriptio distinctionis ut sic.*

Dico primò: Bene describitur Distinctio ut sic pressè sumpta, seu vertens in res positivas; quòd *sit forma aliqua realis, vel intentionalis discriminans aliquô modô aliqua inter se.*

Probatur evolvendo singulas partes hujus descriptionis, ex quo ejus clarescet bonitas: dicitur *forma aliqua* (quod statuitur locô generis) quia Distinctio revera est affectio, passio, ac proprietas Entis; ac proinde se habet instar cujusdam formæ Metaphysicæ afficientis rem, quam discriminat ab alia: dicitur *forma realis*, ut comprehendatur Distinctio realis, vel strictè, vel formalis; de quibus infrà: additur *vel intentionalis*, ut comprehendatur alia Distinctio rationis, quæ est quid intentionale, seu ab intellectu dependens; dicitur tandem *discriminans aliquô modô &c.* ut exprimatur munus Distinctionis, quod est ponere discrimen inter res & res; uti fit applicando Distinctionem strictè realem; vel inter realitates, uti fit applicando Distinctionem formalem: vel inter conceptibilitates inadæquatas unius essentiæ; uti fit applicando Distinctionem rationis.

3. *Distinctio rerū positivarū consistit in positivo.*

Dico secundò: Distinctio intercedens inter res positivas importat pro formali constitutivo aliquid positivum; quod tamen non est ipsa differentia rerum. Colligitur ex Scoto *2. dist. 3. q. 1.* & sequuntur Mastrius, Herman, estq; contra Pasqual. Suar. Arriag. & alios, qui pro formali constitutivo Distinctionis assignant negativum quid, seu ablationem, & negationem identificationis; & contra Comp. qui assignat differentiam rei.

Probatur prima pars: Tum quia omnis negatio convenit rei ratione alicujus positivi; v. g. negatio irrationalitatis homini convenit ratione rationalitatis positivæ: Ergo illud positivum potiùs debet assignari pro ratione distinctionis. Tum quia dissimilitudo præter negationem unitatis in qualitate importat rationem positivam formaliter præcedentem negationem illam; Ergo à pari Distinctio præter negationem identitatis unius essentiæ cum alia, quam quidem semper importat, dicet aliquod positivum. Consequentia patet; quia Distinctio opponitur identitati, sicut dissimilitudo opponitur similitudini: Ergo si dissimilitudo dicit quid positivum, dicet & Distinctio. Prob. ergo Ant. hæc negatio unitatis in qualitate est ratio nimis laxa; quia convenit etiam rebus non habentibus essentiam positivam: Ergo præter hanc poni debet alia ratio in rebus positivis pro Distinctionis essentia. Confirmatur: identitas, & Distinctio sunt veræ passiones rerum realium: Ergo non possunt consistere formaliter in negatione.

4. *Quod tamē nō est ipsa differentia.*

Probatur secunda pars: per Distinctionem formaliter una res refertur ad aliam tanquam ab ea diversa: sed differentiæ rerum non sunt relativæ secundùm se: Ergo ipsæ formaliter non distingvunt: Ergo requiritur aliquod superadditum eis. Probatur Min. differentiæ, seu essentiæ rerū secundùm se sunt tantùm radix proprietatum, & passionum, qualis est Distinctio: Ergo secundùm se non sunt formaliter relativæ. Ant. patet de rationalitate, quæ secundùm se considerata nil dicit, nisi conceptum unum simplicem, à quo pro posteriori pullulare possunt passiones: Ergo &c. Differentiæ itaque rerum distingvunt quidem; quia dicitur communiter, per hoc res distingvitur, per quod constituitur; sed distingvunt tantùm fundamentaliter; non verò formaliter.

5. *Respondetur cuidā objectio.*

Objicies primò: Per id formaliter distingvitur una res ab alia, per quod maximè distat ab identitate cum illa: sed per negationem identitatis maximè distat una res ab alia: Ergo per negationem distingvitur;

gvitur; & sic Distinctio consistit in negatione. Respondeo Neg. Min. Sed maximè distat per suam differentiam, habentem superadditam rationem positivam, quæ ratio positiva, licèt explicetur per negationem ordinariè; in se tamen negatio non est primariò; multa enim explicamus per negationes, quæ tamen negationibus non constituuntur; sic intimam præsentiam realem duarum sphærarum cælestium indistantiam (quæ est negatio distantiæ) appellamus; licèt aliud non sit, quàm duplex præsentia positiva: sic formam bruti explicamus per irrationalitatem tanquam negationem; quæ tamen forma est quid positivum reale.

6. Alia quoque dissolvitur.

Objicies secundò: non sunt multiplicandæ formalitates sinè necessitate: sed hic nulla est necessitas multiplicandi aliquod positivum; quia positâ solâ negatione v. g. lapidis in Petro, Petrus statim dicitur distinctus à lapide: Ergo &c. Respondeo Neg. Min. quia ipsa negatio in entibus positivis semper præsupponit aliquod positivum, ratione cujus rei conveniat; adeoque illud simul cum negatione poni debet.

7. Positivū Distinctionis non est quid absolutū.

Dico tertiò: Illud positivum constitutivum Distinctionis non est quid absolutum; sed quædam relatio; quandoque prædicamentalis, quandoque transcendentalis, quandoque rationis. Colligitur ex Scoto *citato*, & alibi; contra Hurtad.

Probatur prima pars: Tum quia ex Scoto *5. Met. q. 11.* identitas, quæ opponitur Distinctioni, non est formaliter quid absolutum; sed relatio quædam: Ergo & Distinctio. Consequentia tenet; quia oppositorum eadem est ratio. Tum quia ita se habet Distinctio ad extrema plurificata secundùm essentiam, sicut dissimilitudo ad extrema plurificata secundùm qualitatem: Sed hæc est relatio quædam: Ergo & illa. Tum quia per relationem magis exprimitur pluralitas, & multitudo rerum distinctarum, quàm per rationem aliquam absolutam: Ergo &c.

8. Sed relativum prædicamentale quandoq.

Probatur secunda pars: quòd *hæc relatio sit quandoq. prædicamentalis*: nam quando Distinctio est strictè realis, id est, intercedens inter aliqua, quæ vel possunt separari; vel unū ab alio causatur; vel subjectantur in rebus diversis, tunc importat relationem prædicamentalē. Ergo &c.

Probatur tertia pars: quòd *relativum illud sit quandoq. relatio transcendentalis*; quando Distinctio est formalis Scotistica, vel virtualis Thomistica, & rationis ratiocinatæ, id est, intercedens inter formalitates, vel virtualitates realiter identificatas; importat relationem duntaxat transcendentalem: Ergo &c.

9. Quandoq. trāscendentale.

Probatur quarta pars: quòd *hæc relatio sit quandoque tantùm rationis*: quando Distinctio versatur circa aliquas conceptibilitates inadæquatas ejusdem rei, seu circa objecta solâ ratione concipiente plurificata; tunc importat solam relationem rationis; de quo infrà redibit sermo: Ergo &c.

10. Quandoq. rationis.

Objicies primò: In illo priori ad negationem, vel relationem prætensā Petrus non est Paulus: ergo distinctus: sed tunc per nil aliud, nisi per differentiam propriam distingvitur: Ergo non per relationem. Respondeo in illo priori Petrum non esse Paulum, ita ut Angelus videns in illo priori Petrum, & Paulum dicere posset, hic est una humanitas, & hic est alia; sed tamen non esset inter Petrum, & Paulum Distinctio formalis, & stricta; sed aliqua diversitas fundamentalis, id est, ipsamet essentia unius disparata ab alia.

11. Eliditur objectio prima.

Dices: Ergo superfluit deinde illa adventitia relatio, quæ secundùm con. est ratio Distinctionis formaliter, si adsit fundamentalis diversitas. Resp. Neg. Illatum; quia sicut non superfluit actualis risibilitas in Petro, licèt pro aliquo priori ejus essentia erat fundamentaliter, & radicaliter risibilis; ita nec superfluit illa relatio, à qua essentia rei unius dicitur formaliter distincta ab alia, licèt pro aliquo priori erat fundamētaliter ab eadē diversa.

12. Et replica quadam.

Objicies secundò: Ens, & non Ens; item Ens reale, & Ens rationis; item Deus, & Angelus ab æterno distingvuntur per solam negationem: Ergo omnes res positivæ distingvi debent per negationem identitatis: Ergo non per aliquod relativum. Respondeo Neg. Conseq. disparitas est; quia Ens, & non Ens; item Ens reale, & Ens rationis; item Deus, & Angelus ab æterno non dicunt ambo duas extremitates positivas strictas, & actuales ab æterno, adeoque inter ipsa non potest resultare relatio realis positiva, stricta actualis, tanquam eorum ratio distinctiva; ideoque admitti debet sola negatio; at inter res duas positivas, aliter evenire debet, ubi exurgere potest similis relatio distin-

13. Secunda objectio tollitur.

distinctiva propter extremorum capacitatem, existentiamque positivam.

14. *Tertia objectio destruitur.* Objicies tertiò: si Petrus ante resultantem relationem non esset propriè, & formaliter distinctus, jam pro illo priori naturæ essent duo contradictoria simul; hoc autem implicat: Ergo &c. Prob. sequela Maj. esset idem cum Paulo; quia needum distinctus; & non esset etiam idem; quia fundamentaliter diversus ab eo: sed ista sunt contradictoria: Ergo &c. Respondeo primò Neg. sequelam Maj. & Min. ejus Probationis; quia sunt respectu diversorum, esse non idem, id est non distinctum; & esse fundamentaliter diversum; ac proinde non sunt contradictoria. Respondeo secundò Neg. similiter Maj. quia contradictoria non metiuntur penes signa naturæ, vel rationis, quæ in quovis instanti reali plura distingvi possunt; sed pro toto instanti reali; alioquin in omni ferme re duo contradictoria simul falsa inveniemus; accipio v. g. Angelum unum, qui in primo instanti suæ creationis se cognovit per actum intellectûs à se elicitum, jam sic argumentor: pro illo priori, quô Angelus est, erat illa cognitio; est falsum; quia in eodem priori naturæ effectus non est cum sua causa: item pro illo priori non erat etiam cognitio; similiter est falsum; quia contra hypothesim, quâ supponimus quòd fuerit; & sic dicam de quacunque re: Ergo contradictoria non metiuntur per prioritates, & instantia naturæ.

15. *Quadam objectio præcluditur.* Objicies quartò: Daretur processus in infinitum in his relationibus superadditis; quia inquiri potest de illa relatione superaddita, an sit quid distinctum à rebus, si sic; ergo distingvi, & constitui debet per aliud superadditum; & sic ulteriùs; hoc autem dici nequit: Ergo non datur. Responden Neg. Ant. sicut enim unio non datur ad unionem; sic nec hoc superadditum per aliud distingvi debet, sed seipsô; Ratio est; quia quando devenitur tandem in processu ad rationes formales *Quo*, datur status; quia non potest ultrà denominari *Quod*.

16. *Varietas gradiuũ in re Metaphysica sibi succedentium.* Nota pro majori dictorum intelligentia, & solutione eorum, quæ hîc objici possent; rem quamcunque primò habere suam essentiam; & in hac formaliter ut dixi, non consistit ratio Distinctionis; quia ex se indifferens est ad Distinctionem, & identitatem; ad essentiam hanc sequitur unitas; & nec in hac consistit ratio Distinctionis: ad unitatem sequitur identitas cum alia re, & non identitas, seu negatio identitatis; & nec ista negatio est ratio Distinctionis positivæ, & propriè dictæ; sed solius Distinctionis negativæ, & latè sumptæ; quia hæc negatio latiùs patet, quàm Distinctio propriè dicta; reperitur enim inter Ens, & non Ens; ubi nō est propriè Distinctio: Post istam deinde negationem exurgit diversitas, seu relatio positiva duorũ, in proprijs eorum rationibus fundata; & ratione hujus res una positiva propriè distingvitur ab alia; licèt ab illa negatione etiam possit dici distingvi, Distinctione latè sumptâ, & negativâ: Ratio hujus relationis necessariò resultantis est; quia sicut ad negationem unitatis in qualitate est necessaria positiva aliqua ratio sequens, ut habeatur dissimilitudo; ita hìc necessaria est hæc relatio ad Distinctionem unius ab alio.

QUÆSTIO II.

De numero Distinctionum.

1. *Thomistica Schola Distinctiones.* Nota primò: Circa Numerum Distinctionum, & modum eas explicandi unaquæque Schola in suo sensu abundavit. Schola Thomistica fatetur duo tantùm extare genera Distinctionum; Realem videlicet, & Rationis. *Primam* ait reperiri in rebus citra omnem negotiationem intellectûs. *Secundam* dicit fieri beneficiô rationis concipientis, & formantis plures conceptus de eadē re indistincta; de hujusmodi divisione Distinctionis videri potest Sanc. Cajetan. Jandun. & alij Thomistæ. Distinctionem Rationis subdividit hæc Schola *in Distinctionem rationis ratiocinantis*, quæ fabricatur à ratione sinè fundamento in re: v. g. dum idem distingvitur à seipso; & in Distinctionem *rationis ratiocinatæ*, quæ cuditur cum fundamento in re; hâc dicunt distingvi solem ut est calefactivus, & exsiccativus.

2. *Nominalium Distinctiones.* Nota secundò: Schola Nominalium, uti patet apud nostrum P. Occamum, Gabriel. Aliaco Gregor. esto eadem duo ge-

genera Distinctionum statuat, videlicet Realis, & Rationis, cum sua subdivisione: negat tamen Distinctionem Rationis ratiocinatæ consistere in conceptibus objectivis rei, uti asserunt Thomistæ; sed vult eam consistere in solis nominibus, vel quibusdam connotatis.

3. Neutristarum Distinctiones.

Nota tertiò: Cohors Neutristarum ad tres clasles reducit omnem militiam Distinctionum, ut patet apud Hurtad. Ovied. Arriag. &c. videlicet ad Realem, Rationis, & Modalem. Realem, & Rationis, explicant more Nominalium, ita videlicet, ut *Realis* sit inter res plurificatas ante omne opus intellectûs; *Rationis* verò inter plures conceptus formatos de eadem re ratione diversorum extrinsecorum connotatorum. Per *Modalem* intelligunt illam, quæ intercedit inter rem, ejusque modum extrinsecum v. g. inter figuram ùt modum, & quantitatem ùt modificatum; item inter sessionem, & sedentem.

4. Quid Ægidiani sentiant de Dist.

Nota quartò: Turma Ægidianorum teste Musæô, & Amicô Distinctionem ùt sic secat primò in Distinctionem innatam extremis; & distinctionem immediatè à ratione confectam. *Primam* vocant illam, quæ extremis v.g. Petro, & Paulo positis illico innascitur, ac inter ea diffluit. *Secundam* dicit esse illam, quâ intellectus diversis conceptibus apprehendit aliquid unum. Utramque deinde subdividit juxta varietatem extremorum. Sed si totam Doctrinam Ægidianorum accuratiùs scruteris, deprehendes, eam in re nil aliud dicere, quàm Distinctionem realem, & rationis, à Scotistis assertas.

5. Veterũ Scotistarũ doctrina de numero Distinctionum.

Nota quintò: Schola Scotistica de numero distinctionũ est bipartita; nam veteres Scotistæ, qui & Formalistæ nuncupantur ab Authore formalitatum P. Antonio Sireti (qui doctum composuit Tractatum de formalitatibus ad mentem Scoti, quẽ comentarijs illustrârunt & secuti fuerunt Tromb. Valon. Maurit. Aretin. & alij nostrates) septẽ genera Distinctionum asserunt; puta realem, rationis, formalẽ, ex natura rei, essentialem, subjectivam, & objectivam. *Reali* distingvunt aliqua, quæ possunt separari, vel quæ se habent ùt causa, & effectus; vel quæ sunt in rebus separabilibus: hæc reperitur inter lapidem, & hominem. *Rationis* distingvunt ea, quæ concipiuntur ab intellectu sub diversis secundis intentionibus: Distinctione hac distingvitur homo ab homine in hac propositione; *homo est homo*, ubi concipitur sub intentione prædicati, & subjecti, quæ sunt diversa. *Formali* discriminant illa, quæ dicunt diversas formalitates, quarum una non est de essentia, & quidditate alterius; hac discriminatur risibile, & homo. *Ex natura rei* diversificant illa, de quibus seclusô opere intellectûs collativô verificari possunt duo contradictoria: hâc distingvitur definitio, & definitum; quia nullo cogitante intellectu definitio est constitutiva definiti; & nõ constituta per ipsũ definitũ; & definitũ est constitutũ & nõ constitutivũ definitionis. *Essentiali* distigvunt illa, quæ vel habent diversas essentias, & naturas; vel quæ nõ concurrunt ad constituendam essentiam alicujus: primô modô distingvitur essentialiter homo à tauro: secundô risibilitas ab homine, de cujus essentia non est. *Subjectivâ*, seu se totis subjectivè distingvunt ea, quæ non conveniunt in aliqua realitate communi, quæ sit genus ad illa: hâc distingvuntur decem prædicamenta inter se. *Objectivâ* tandem, seu se totis objectivè distingvunt ea, quæ non conveniunt in aliquo conceptu objectivò univoco, & quidditativo: hâc distingvitur ens reale ab ente rationis. Hæc est doctrina veterum Scotistarum.

6. Et recentiorũ DD. ex Schola Scoti.

Recentiores verò Scotistæ ut Burliter, Bonetus, Tartaretus, Smising. Meurisse, Saxius, Lamazares, Colombus, & alij, memoratas septem legiones, & qualcunque alias Distinctionum, ad ternarium numerum reduxêre; puta ad strictè Realem, Formalem, & Rationis; ita ut ad Realem revocetur essentialis, subjectiva, & objectiva: Ad Formalem Distinctio ex natura rei, modalis, & virtualis, si hæc præscindat ab omni opere intellectûs; si verò involvat opus intellectûs, ad Distinctionem rationis revocari debet. Et ad Rationis tandem revocari potest Distinctio ratiocinantis, & ratiocinatæ, si hæc detur, & quæcunque alia, quæ negotiô intellectûs fabricatur. Unde:

7. Tres tantũ ponendæ sunt Distinctiones.

Dico primò: Tota Distinctionum congeries vertens inter res positivas ad strictè Realem, Formalem, & Rationis revocanda est. Ita colligitur ex Scoto *1. dist. 2. q. 7. & 2. dist. 1. q. 5.*

Probatur: Non sunt multiplicanda entia sinè necessitate: sed nulla est necessitas multiplicandi plures Distinctiones, quàm

quàm Realem, Formalem, & Rationis: Ergo ad has revocanda est tota Distinctionum congeries vertens inter res positivas. Probatur Min. cum Scoto in *2. dist. 3. q. 1.* ex Philosopho *5. Met tex. 18.* Distinctio fundatur super multitudinem, & pluralitatem; adeoque tot erunt Distinctiones, quot modi pluralitatis: sed tres sunt modi pluralitatis: Ergo præter hos nulla est necessitas multiplicandi alias Distinctiones. Probatur Min. pluralitas alia est rerum, alia realitatum, seu formalitatum, & alia conceptibilitatum, seu plurium mente tantùm conceptorum; si est pluralitas rerum, super eam fundatur omnis Distinctio strictè Realis; si est pluralitas realitatum, seu formalitatum, super eam fundatur omnis Distinctio formalis; si tandem est pluralitas conceptibilitatum, super eam fundatur omnis Distinctio à ratione fabricata: Ergo tres tantùm sunt modi pluralitatis.

8. Variæ divisiones Distinctionis strictè realis.

Nota sextò: Distinctionem strictè realem aliam esse essentialem; aliã accidentalem. *Essentialis* est, quæ intercedit inter duas essentias diversas: & subdividitur in Genericam, & Specificam. *Accidentalis* est, quæ causatur per principia accidentalia; quo pacto homo albus distingvitur à nigro realiter: ad hanc reducitur Numerica individuorum; quia licèt principium individuationis non sit accidens; tamen est aliquomodo extraneum, & extra essentiam individui; & hæc Distinctio dicitur à Scoto, Distinctio suppositorum. Rursus Realis alia est Mutua; alia non Mutua: *Mutua* est relatio subjectata in uno extremo, cui in altero correspondet alia correlatio Distinctionis; talis est inter hominem, & brutum v. g. *Non Mutua* est ècontra; talis est inter DEUM, & creaturam. Similiter alia est actualis; alia potentialis: *Prima* est inter Petrum, & Paulum v. g. *Secunda* inter me, & AntiChristum.

QUÆSTIO III.

De Distinctione strictè Reali.

1. Tria afferũtur signa colligẽdi Distinct. strictè realem.

NOta primò: Authores plures assignare vias, & signa, per quæ Distinctio strictè Realis investigari, ac colligi potest, quæ fusè examinat Mastrius; ego contentor tribus magis receptis in Schola Scoti; principiatione scilicet, seu causatione unius ab alio, separabilitate unius ab alio, & subjectatione in diversis subjectis.

Nota secundò: Non omnia tria hæc signa inveniri simul in rebus realiter distinctis; sed vel unum, vel alterum; unumquodque tamen est sufficiens ad indagandam hanc distinctionem realem. Ex his describendo Distinctionem realem.

2. Describitur Distinctio strictè realis.

Dico primò: Distinctio strictè realis bene describitur, quòd *sit illa, quæ reperitur inter rem & rem, quarum vel una potest esse sinè altera; vel quarum una est principium, seu causa alterius; vel quarum utraque subjectatur essentialiter, & immediatè in subjectis diversis.* Ut appareat bonitas hujus descriptionis, ostendam singula signa esse sufficientia. Quare

Probatur prima pars *de separabilitate*; bene infertur, lapidem esse distinctum à leone, quia leo potest esse sinè lapide: Ergo Distinctio strictè Realis bene describitur per primum signum, *quarum una potest esse sinè alia.* Probatur secunda pars *de principiatione*; de fide est Personas Divinas inter se realiter distingvi, ex eo quòd una sit principium alterius productivum: Ergo Distinctio strictè Realis bene datur per alterum signum, *quarum una est principium alterius.* Probatur tertia pars *de subjectatione*; ideo colligimus duas relationes, v. g. duas similitudines inter se realiter distingvi; quia in fundamentis essentialiter diversis subjectantur: Ergo etiam per hoc tertium signum bene data fuit descriptio Distinctionis strictè Realis.

Dixi *essentialiter* in conclusione; quia nisi relatio essentialiter dependeret ab hoc subjecto sic, ut ipsi implicaret esse in alio, non possemus colligere Distinctionem relationum ex Distinctione subjectorum; sicut non colligimus ex eo si anima rationalis esset supernaturaliter in diversis corporibus, quòd sit distincta à se; quia essentialiter in neutro esset. Addidi etiam *immediatè*; quia una, & eadem res indistincta potest subjectari in subjectis separabilibus distinctis immediatè in uno, & mediatè etiam in alio; & tamen non distingvitur à se ipsa propter diversam subjectationem: v. g. albedo, quæ immediatè subjectatur in quantitate, & mediatè in substantia.

Ob-

3. Evolvitur quoddã objectum.

Objicies primò: Spiritus Sanctus quamvis non procederet à Filio, in via Scoti adhuc realiter à Filio distingveretur: sed tunc nullum signum Distinctionis realis ex assignatis tribus ipsi conveniret: Ergo Distinctio strictè Realis per præfata tria signa adæquatè nõ est descripta. Prob. Min. si aliquod haberet, maximè principiationem; sed hanc ex hypothesi non haberet: Ergo &c. Respondeo Neg. Min. & Dist. Min. Probationis ejus; non haberet principiationẽ actualem à Filio Conc. Min. potentialem, & possibilem Nego Min. Itaque in tali casu sufficit pro signo Distinctionis Realis, quòd Filius sit principium possibile sufficiens in ordine ad producendum, & principiandum Spiritum S. licèt actu non principiaret: & conclusio nostra non loquitur de actuali tantùm; sed etiam de possibili principiatione, & principio possibili.

4. Aliud rursus objectum exenteratur.

Objicies secundò contra signum subjectationis: Essentia Divina est in tribus subjectis realiter distinctis; & tamen non distingvitur realiter ab ipsis, ex Fide Orthodoxa: Ergo subjectatio in diversis subjectis non arguit realem Distinctionem. Respondetur Dist. Conseq. si subjectatum sit illimitatum, & infinitum Conc. Conseq. si sit finitum Nego Conseq. Itaq; cùm Essentia Divina sit in tribus Personis modò infinitò, non infert Distinctionẽ realem; nõ sic est de rebus finitis, de quib⁹ solis procedit conclusio quoad hoc. Similiter dicendum, si eadem res v. g. eadem albedo replicaretur in duobus subjectis sinè distinctione Reali; quia tunc supernaturalis esset hæc subjectatio diversa; non naturalis quæ proinde non inferret Realem Distinctionem. Deinde esset una tantùm albedo, cum duplici tamen ubicatione; non duplex, sicut requiritur ad Distinctionem Realem.

Quæres 1. An separabilitas, quæ facit Distinctionem Realem, debeat esse semper mutua; id est, quòd utrumque extremum possit simul actu conservari absque unione reali inter se, vel unum alio pereunte? Respondeo, &

Dico secundò: Non requiritur semper necessariò mutua separabilitas pro signo Distinctionis Realis; sed sufficit non mutua. Est contra Recentiores.

5. Sufficit ad Distin: realẽ separabilitas nõ mutua.

Probatur: Relativa universaliter ab invicem realiter distingvuntur; & tamen unum non potest esse sinè alio v. g. Pater ut Pater sinè filio suo; modus sinè re modificata; & tamen hæc non habent mutuam separabilitatem: Ergo talis non requiritur. Confirm. *primò*: tres relationes in Divinis distingvuntur realissimè; & tamen nec quoad essentiam, nec quoad existentiam separabiles sunt mutuò: Ergo &c. Confirmatur *secundò*: actus vitalis distingvitur realiter à potentia vitali; item unio ab extremis; & tamen nec actus sinè potentia vitali, nec unio sinè extremis existere potest: Ergo &c.

Quæres 2. An res illæ distingvantur realiter, quæ habent solas existentias potentiales, vel possibiles? Respondeo, &

6. Recipitur Dist. realis inter res potentiales.

Dico tertiò: Distinctio Realis est etiam inter res habentes solùm esse potentiale, vel possibile. Est contra Magistrum Formalitatum, Doduet, &c.

Probatur: Duæ rosæ in hyeme consideratæ, adhuc habent tantùm esse potentiale, & possibile suo objectivum: sed hæ distingvuntur realiter: Ergo Distinctio realis est inter res habentes solùm esse potentiale, vel possibile. Prob. Min. una rosa non est alia essentialiter secundùm illud esse potentiale: Ergo distinctæ: sed non solâ ratione; quia Distinctio sequitur essentiam; essentia autem illarum duarum rosarum non est potentialis à ratione, sed à parte rei: Ergo & Distinctio erit à parte rei, & Realis. Confirmatur: una essentia possibilis includit alia prædicata quidditativa, quàm altera essentia, v. g. AntiChristus alia habet prædicata essentialia, quàm leo cras nasciturus: Ergo & Distinctionem, quæ sequitur ad prædicata quidditativa.

7. Satisfit Objectioni.

Objicies: Omnis Distinctio est relatio actualis: sed relatio actualis petit extrema actualia, qualia non sunt duæ res in esse potentiali, seu possibili consideratæ: Ergo inter eas nequit esse Distinctio Realis. Respondeo Dist. Min. Relatio actualis petit extrema actualia, actualitate complexâ, & completâ Nego Min. actualitate incompletâ Concedo Min. Itaque duæ essentiæ in esse potentiali consideratæ habent etiam suam actualitatem, incompletam tamen; quia actu continent sua prædicata essentialia; licèt illa necdum sint posita, & affecta existentiâ actuali, & talis actualitas sufficit in duobus extremis, ut fundent relationẽ Distinctionis.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De Distinctione Formali Scotistica.

1. *Origo, & utilitas Dist. Formalis.*

Nota primò: Distinctionē Formalem (quæ & *Media* appellatur, eò quòd mediet inter strictè realem, & rationis) putat P. Meurisse, & alij complures, simpliciter inventam esse à Scoto, à quo proinde etiam vult eam nomen *Scotisticæ* sortiri; sed decipiuntur in hoc; cùm ejus testimonia aperta, etsi sub alijs terminis, extent in libris Aristotelis; uti sequenti quæst. *probatione 4.* patebit. Doctor ergo Subtilis eam duntaxat primus omnium Theologorum invexit in Divinis inter Divinas perfectiones; quam deprehendit ibidem omnino esse adstruendam; quamobrem etiam Scotistica appellari cœpit. Distinctio hæc tum ad præfatas perfectiones Divinas ritè explicandas, tum ad dissolvendas multas inextricabiles difficultates de SS. Trinitate, summopere est necessaria, & aptissima; unde à quibusdam Scholasticis meritò vocatur *Divinum inventum*, ut habet P. Lealis *prædiâ 3. discept 2. n. 42.* ubi etiam citat S. Augustinum, Athanasium, Justinum, Nissenum, Basilium, & alios PP. qui eâ usi fuêre in suis scriptis, etsi sub alijs terminis. Similiter ab ejus notitia, magna pars Philosophiæ Scotisticæ dependet. Dicitur *Formalis*, quia intercedit inter formas, seu formalitates metaphysicas rerum. Pro cujus uberiori notitia.

2. *Quid sit esse physicū, & metaphysicū rei.*

Nota secundò; In rebus non tantùm dari Esse physicum, & existentiale, quod propriam habet existentiam; quia terminat causalitatem physicam realem; quale Esse physicum habet homo in quantum constitutus ex corpore organico, & anima; sed etiam dari Esse metaphysicum purius, & defæcatum à conditionibus materialibus; licèt non ab eo realiter distinctum; quale est in eodem homine animalitas, & rationalitas, quæ sunt duæ perfectiones, & formalitates alterius rationis, in eadem physica entitate hominis immersæ, ac imbibitæ per realem identitatem; unde non habent aliud esse entitativum reale ab humanitate; bene tamen diversum formale.

3. *Descriptio formalitatis.*

Nota tertiò: Has formalitates sic à Formalistis nostris rectè describi: *formalitas est ratio objectiva identificata rei, conceptibilis in re aliqua conceptu adequato, & perfecto, distincto à conceptu, quô concipitur alia formalitas ejusdem rei*; Ex hac descriptione deducitur; de ratione formalitatis esse, quòd sit *aliquitas* seu aliquid rei, cui per identitatem immergitur, quatenus scilicet est quidam gradus essendi ejus; unde licèt humanitas, & equinitas sint rationes objectivæ, conceptibiles conceptu perfecto sine se invicem; nō tamen sunt formalitates, aut realitates; quia non sunt aliquid rei; sed potius tota res ipsa, & essentia.

4. *Cur aliquæ entitates dicātur realitas & formalitas.*

Nota quartò: Formalitatem, & Realitatem esse synonima; & *Realitatem* hoc diminutô & abstractô nomine potiùs appellari, quàm istô vocabulô *Rei*, dum dico, realitas est quædam realitas, non autem quædam res; quia non est res in recto; sed tantùm in obliquo; id est, aliquid rei per identitatem; eò quòd non habeat propriam existentiam illius, cui identificatur, & non est potens terminare secundùm se propriam causalitatem physicam. Similiter & *Formalitas* est vocabulum diminutum formæ, ut indicet hos gradus metaphysicos v. g. rationalitatem, & animalitatem, non dicere totam formam, seu essentiam rei; sed tantùm aliquitatem formæ; uti ingeniosè docet Doctor Subtilis.

5. *Emanatio formalitatum nō est figmentū.*

Nota quintò: Has realitates, seu formalitates non causari, & produci à rebus per physicam causalitatem; sed per quamdam emanationem, seu pullulationem metaphysicam, quam exercent entitates physicæ in eas; sic v.g. à subjecto pullulant suæ passiones, ab anima suæ potentiæ: quod non capientes adversarij Neoterici, dicunt hanc causalitatem, & emanationem metaphysicam esse tantùm figmentum Scoti. Sed reverà ipsos convinco ex propria ipsorum doctrina; docent enim, quòd risibilitas bene demonstretur per rationalitatem, tanquam per causam à priori: Ergo concedunt risibilitatem ùt passionem causari aliquomodo à rationalitate, ùt causa distincta; sed non est causa distincta causans per physicam causalitatem; aliàs inter risibilitatem ùt effe-

effectum, & rationalitatem ùt causam esset Distinctio realis: Ergo est causans tantùm per emanationem: Ergo non est figmentum hæc causatio per emanationem.

Nota sextò: Omnes formalitates esse talis naturæ, ut sinè illo existere nullatenus possint, in quo includuntur, neq; de novo illi advenire possunt; & per hoc distingvuntur à relationibus realibus; quæ quidem etiam sinè alijs existere non possunt; de novo tamen alijs advenire possunt.

6. *Proprius usus formalitatis.*

Nota septimò: Hoc nomen *Formalitas* quandoque confundi à Scotistis; ut significet omne id, quod est extra nihil, vel cui non repugnat esse extra nihil; hoc modo etiam materia prima, forma, modi intrinseci, genera generalissima, dici possūt Formalitates; sed in sensu largo, & improprio; quia infert Distinctionem realem. Propriè ergo sumi debet pro illis realitatibus, quæ fundant solam Distinctionem formalem; tales sunt rationalitas, animalitas, risibilitas, flebilitas, & omnes passiones rerum: item ex Doct. *in 2. d. 1. q. 5.* relatio transcendentalis identificata realiter suo fundamento; hæcceitas, & omnes gradus identificati realiter generi generalissimo: item transcendentes, ut sunt bonitas, unitas, veritas, omnes gradus, & passiones identificatæ generi subalterno, speciebus, & individuis.

7. *Varia acceptio Dist. Formalis.*

Nota octavò: Distinctionem formalē multipliciter capi posse. *Primò*: pro illa Distinctione, quæ est ratione formarū quarumcunq; sic unum album formaliter distingvitur à nigro. *Secundò*: pro Distinctione vertente inter res habentes diversas speciei essentias; sic lapis distingvitur formaliter, id est essentialiter à ligno. *Tertiò* tandem pro Distinctione, quæ versatur inter formalitates, seu realitates hactenus per Notabilia explicatas; & hæc est propriè Distinctio Formalis Scotistica, quæ negatur à Thomistis, & Neutristis, saltem sub hoc nomine; aliqui enim convicti subtilibus Scoti argumentis, licèt eam in re admittant; nomine tamen Virtualis, vel Modalis eam palliant.

8. *Quid sit præcisio formalis, & objectiva.*

Nota nonò: Hanc Distinctionem dependere à præcisionibus Objectivis, de quibus ex professo infrà agam; interim tantùm nota breviter: *Præcisionem formalem* in sententia nostra tunc fieri, quando intellectus inadæquatè concipiens aliquod indivisibile à parte rei, dividit conceptibiliter in plures partes, unam ab alia præscindendo, v. g. voluntatem ùt est principium volitionis à se, ùt est principium nolitionis. *Objectiva* est quando intellectus à parte rei invenit plures formalitates, & realitates, quæ sunt tales ante opus intellectûs; ut si attingeret in homine animal, & rationale; tunc animal, & rationale essent duæ præcisiones Objectivæ. His notatis.

9. *Descriptio Dist. formalis.*

Dico: Bene describitur Distinctio Formalis Scotistica; quòd *sit Distinctio intercedens inter plures formalitates rei, realiter identificatas inter se, quarum una ante opus intellectûs adæquatè est conceptibilis sinè alia.* Colligitur ex Scoto *in 1. dist. 8. q. 4.* & coincidit in re cum ijs, quas tradunt Recentiores Scotistæ, Tartat. Bonet. Burlif. Smising; & amplectuntur ex Neutristis Fonseca, Amicus, Ægidius de Præsent.

Probatur: Hæc descriptio ritè explicat naturam Distinctionis Formalis: Ergo &c. Ly *Distinctio* est genus; reliqua habent rationem differentiæ. Dicitur *intercedens inter plures formalitates rei*, ad differentiam Distinctionis realis strictè, quæ vertitur inter rem, & rem. Additur *realiter identificatas inter se*; ut, ostendatur qualitas extremorum, inter quæ versatur, quæ sunt quædam realitates, reali identitate connexæ inter se v. g. animalitas, & rationalitas in homine. Apponitur *quarum una ante opus intellectûs adæquatè est conceptibilis sinè alia*, ad differentiam Distinctionis rationis, & virtualis; quarum extrema ante operationem intellectûs non sunt adæquatè conceptibilia, id est, conceptu perfectô completô, & distinctô ab illo, quô concipitur alia formalitas ejusdem rei, vel ipsa res.

10. *Quo sensu Scotus Dist. Formalē appellet rationis, & virtualem.*

Notandum hìc decimò: quod Scotus aliquando istam Distinctionem appellet *Virtualem*, aliquando *Rationis*; non tamen in sensu Thomistarum, & Neutristarum, utì falsè eum commentantur; sed in sensu, quem ad litteram affert *in 1. dist. 2. quæst. 5. §. sed hic restat*; his verbis: *potest autem hæc Distinctio vocari Differentia rationis; non quòd Ratio accipitur pro differentia formata ab intellectu; sed ut Ratio accipiatur pro quidditate rei* (nota bene) *secundùm quod quidditas est objectum intellectûs. Vel alio nomine vocari potest Virtualis*; quia illud quod

quod habet talem Distinctionem, in se non habet rem, & rem; sed una res habens virtualiter (nota bene) *sive eminenter duas realitates*, ita Doctor; Meritò inquam dicitur *Virtualis*; quia hæ duæ realitates, v. g. animalitas, & rationalitas habent virtutem producendi realiter diversos effectus, sensationem v. g. & discursum. Sed abstinendū est ab his nominibus in Schola Subtilium, nè incidamus in quæst. nominalem, & sententiam Neutristarum, ac D. Thomæ, quæ his utitur nominibus; licèt rem aliter explicet, & semper immisceat opus intellectûs.

QUÆSTIO V.

Ostenditur existentia Distinctionis Formalis in creatis.

1. Datur Dist. Formalis in creatis.

Dico primò: Concedenda est à parte rei, & independenter ab omni operatione intellectûs Distinctio aliqua actualis inter formalitates creatas ejusdem rei, quæ non est Realis strictè, nec Rationis, sed Media formalis. Ita Scotus *dist. 8. q. 8.* quem præter suos, sequitur Fonseca, & Ægidius de Præfect. contra Thomistas, & Neutristas, qui acriter impugnare conantur hunc Scotistarum Canonem Philosophicum; quorum tamen multi (ùt probè advertit Oviedo Neutrista *cont. 4. Met. p. 2.*) eam ad mentem Scotistarum non referunt, neque explicant, nec fortassis penetrant; quos proinde ad priorem quæstionem remitto.

Probatur primò conclusio ex via conceptibilitatis sic: Quæcunque identificata realiter habent diversas conceptibilitates objectivas adæquatas, quarum una sinè alia concipi potest, illa distingvuntur tantùm formaliter actualiter; sed gradus metaphysici prædicamentales ejusdem rei habent hujusmodi conceptibilitates: Ergo inter eos datur Distinctio actualis Formalis Media. Maj. patet à pari; quia quæcunque non identificata habent tales conceptibilitates adæquatas, illa realiter distingvuntur, ut paries, & lapis: ergo quæcunque realiter identificata habent tales conceptibilitates distingvuntur formaliter. Probatur ergo Min. Animal in homine secundùm totam suam perfectionem propriam adæquatè concipi potest sinè rationalitate; & è contra: sed hæc duo sunt gradus metaphysici: Ergo gradus metaphysici habent tales conceptibilitates. Prob. Maj. Si animal non posset concipi adæquatè, jam in sua perfectione involveret aliquid determinans ipsum; & sic non posset esse ejusdem rationis omnino intrinsecè in equo, & homine, propter hoc determinans: sed hoc dici nequit: Ergo animal potest adæquatè concipi sinè rationalitate.

2. Alia ratio pro Dist. Formali in creatis.

Probatur secundò efficaciter ex via contradictionis: animalitas, & rationalitas distingvuntur formaliter in homine: Ergo datur Distinctio Formalis Media. Prob. Ant. animalitati, & rationalitati conveniunt prædicata contradictoria ante opus intellectûs: sed uni eidemque rei indistinctæ hæc convenire non possunt: Ergo debent animal, & rationale esse distincta formaliter. Prob. Maj. animalitati in Petro v. g. convenit esse principium convenientiæ cum bruto; & rationalitati hoc non convenit ante opus intellectûs: sed esse principium convenientiæ, & non esse, sunt prædicata contradictoria: Ergo animalitati, & rationalitati conveniunt prædicata contradictoria. Confirmatur primò: animalitas in homine est principium sentiendi, & omnium potentiarum sensitivarum origo; rationalitas non est; aliàs in eodem homine haberetur duplex causa adæquata ejusdem effectûs: Ergo animalitati, & rationalitati conveniunt prædicata contradictoria. Confirm. *secundò*: animalitas habet veram, & realem aptitudinem, ut communicetur pluribus specie distinctis; rationalitas nō; quæ omnia arguunt aliquam Distinctionem inter has duas formalitates ante intellectum: sed non strictè realem: Ergo Mediam Scotisticam Formalem.

3. Neutristarum responsum eluditur circa hanc Dist.

Neutristæ putant se enervare efficax hoc Scotistarum argumentum dicendo; ad hanc verificandā contradictionem inter animalitatem, & rationalitatem sufficere, quòd ante actum intellectûs, in quo solo est formalis contradictio, sit Distinctio Virtualis. *Contrà primò*: Hæc Distinctio virtualis non ponit actu aliquid diversum in extremis ante opus intellectûs; aliàs esset Formalis, vel Realis: Ergo non potest

potest salvare contradictionem, quæ à parte rei est ante intellectum inter animalitatem, & rationalitatem. Ant. patet; quia adversarij docent Distinctionem Virtualem compleri per intellectum: Ergo actu ante intellectum nil ponit diversum. Deinde hæc Distinctio Virtualis debet præsupponere plures perfectiones, quæ sunt fundamentum, & occasio, ut intellectus cum veritate circa illas distingvat, & præscindat; de his jam fundamentis quæro, utrùm unum sit formaliter idem cum altero, vel non? si est idem; quomodo quæso intellectus cum veritate potest ea distingvere, & unum ab alio præscindere; si non habent Scotistæ intentum, quòd unum ab alio distingvatur formaliter.

4. *Similiter Nominalium evasio confutatur*

Nominales conantur idem argumentum elidere subtiliùs, supponendo, quòd eadem omnino res indivisibilis possit habere diversos effectus, v. g. eadem voluntas potest elicere volitionem, & nolitionem; & per præcisionem formalem potest ab intellectu concipi modò cum ordine ad volitionem, modò cum ordine tantùm ad nolitionem: Unde ex hoc inferunt, uni eidemque rei indivisibili etiam convenire posse prædicata contradictoria, propter diversas considerationes, seu actus, & effectus, sinè ulla Distinctione Formali à parte rei: & sic dicunt, animalitatem, & rationalitatem tantùm ratione distingvi propter diversas operationes; ita tamen ut sit una res indivisibilis, quæ dicitur animal rationale. Confirmari potest hæc responsio alijs instantijs; nam Ens ùt sic, est principium bonitatis, veritatis, & unitatis sinè ulla Distinctione formali à se: idem intellectus modò dici potest apprehensivus, modò discursivus, modò judicativus sinè Distinctione Formali, merè extrinsecè per ordinem ad effectus.

Contrà hanc subtilem Occami, & Nominalium responsionem dico; ipsos laborare in malo supposito; quia non ex quibuscunque prædicatis contradictorijs nos arguimus Distinctionem Formalem, quatenus illa prædicata conveniant formalitatibus in ordine ad diversos effectus, vel connotata, quod intendit responsio Occami, & aliæ instantiæ positæ in Confirmatione: sed ex solis illis contradictorijs inferimus Distinctionem Formalem, quæ conveniunt formalitatibus secundùm se intrinsecè consideratis, sinè ordine ad suos effectus, talia autem sunt in animalitate, & rationalitate; quod Probatur: quia animalitati convenit reperiri, ubi non reperitur rationalitas, & è contra, sinè ullo omnino ordine ad connotata diversa: Ergo intrinsecè, & secundùm se hæc prædicata contradictoria conveniunt animalitati, & rationalitati. Prob. Ant. si per possibile, vel impossibile, animalitas nullum produceret effectum in actu secundo, adhuc animalitas reperiretur in brunello v. g. & in eo non reperietur rationalitas: Ergo convenit animalitati reperiri, ubi non reperitur rationalitas. Ant. patet; quia implicat rationalitatem esse in brunello, & non implicat esse animalitatem in eo; Ergo in brunello reperiretur animalitas, & non rationalitas.

5. *Stabilitur Dist. Formalis alio argumento.*

Probatur tertiò conclusio: Si non daretur Distinctio Formalis à parte rei, non daretur scientia realis de homine: sed hoc nequit dici: Ergo datur. Prob. Maj. ut habeatur scientia de homine, debeo risibilitatem demonstrare de homine per rationalitatem, ut distinctam à risibilitate: sed hanc demonstrationem facere nequeo cum veritate, nisi detur Distinctio Formalis inter risibilitatem, & rationalitatem: Ergo tunc non daretur scientia realis de homine. Prob. Min. nisi detur Distinctio Formalis à parte rei inter rationalitatem, & risibilitatem, jam in syllogismo demonstrativo illo essent tantùm duo termini à parte rei; quia rationale, & risibile secundùm te sunt eadem res omnino formaliter, adeoque non possunt facere duos terminos distinctos, sed propositionem ideoticam: Ergo nequeo facere demonstrationem perfectam de homine, nisi detur Distinctio Formalis.

6. *Aureolus refutatur.*

Objicies primò cum Aureolo: Impossibile est in eadem re ex natura rei distingvere plures formalitates, nisi sint etiam plures essentiæ: sed in homine v. g. non sunt plures essentiæ: Ergo nec plures formalitates; & consequenter nulla Distinctio Formalis, desumpta ab his formalitatibus. Prob. Maj. quandocunque aliqua duo sunt idem, multiplicatò unò, de necessitate debet multiplicari & reliquum; alioquin idem esset plurificatum, & non plurificatum: Ergo si in homine v. g. multiplicantur formalitates, deberent & essentiæ multiplicari; quod falsum est: Ergo &c. Respondeo Negan. Maj. ad Probat. ejus distingvo Ant. multipli-

tiplicatô unô multiplicatur & reliquum multiplicitate formali, quæ stat cum unitate reali essentiæ; quia est tantum multiplicitas secundùm quid ex Scoto in *1. dist. 13. quæst. un.* Concedo Ant. multiplicitate reali, quæ dicitur absoluta, Nego Ant. & Conseq. Duplex itaque est multiplicitas, una formalis, altera realis; formalis est inter solos gradus metaphysicos, & formalitates, & stat cum indivisione essentiæ rei: Realis est inter rem & rem, & ista infert divisionē actualem essentiæ.

7. Aliud argumentum oppositū solvitur.

Objicies secundò: Omne Ens aut est reale, aut rationis: Ergo & omnis Distinctio quæ est passio Entis, debet esse aut realis, aut rationis: Ergo nulla datur Media Formalis. Respondeo Dist. Ant. omne Ens est aut reale strictè, vel largè reale, Conc Ant. Omne Ens est strictè reale Nego Ant. & Distingvo similiter Consequens: Ergo Distinctio debet esse vel strictè realis, vel largè realis, Concedo Conseq. Semper strictè realis, Nego Conseq. Entia itaque inter quæ intercedit Distinctio Formalis non sunt entia in rigore, & strictè; quia non habent propriam existentiam, neque sunt terminantia propriam, & physicam causalitatem, neque includunt totam seriē graduum prædicamentalium, quæ tria arguunt aliquod Ens esse in rigore, & strictè reale; sunt tamen aliquid entis realis; quia juxta Aristotelem *3. Met.* solum Nihil effugit rationem Entis.

8. Rursus aliud enervatur.

Objicies tertiò: Quæ distingvuntur numerô, distingvuntur realiter; sed illa quæ secundùm nos distingvuntur formaliter, distingvuntur numerô: Ergo potiùs distingverentur realiter. Maj. putant adversarij esse verissimam, cùm tamen sit falsissima; Probant ergo Min. quæ distingvuntur formaliter, distingvuntur specie: sed quæ distingvuntur specie, distingvuntur etiam numerô: Ergo quæ distingvuntur formaliter, distingvuntur numerô. Respondeo transeundo Majorem, quæ solùm vera est de numero prædicamentali; non autem de transcendentali; qualis est inter distincta formaliter; & Nego Min. ad Probationem ejus Dist. Maj. quæ distingvuntur formaliter, distingvuntur specie adæquatâ Nego Maj. specie inadæquatâ Conc. Maj. & distinctâ sic Minori, Nego Conseq. Duæ itaque formalitates formaliter distinctæ v.g. rationalitas, & animalitas secundùm se considerátæ distingvuntur tantùm specie inadæquatâ; quia distingvi specie adæquatâ, est habere diversas specie naturas completas; quales non habent duæ istæ formalitates; adeoque super eas cadere non potest Distinctio strictè numerica, quæ coincidit cum strictè reali.

9. Arriaga oppositio dissolvitur.

Objicies quartò cum Arriaga: si daretur Distinctio Formalis inter animal v. g. & rationale; sequeretur quòd animal esset indifferens ex se ut esset in homine, vel bruto: Sed hoc est absurdum, inquit Arriaga: Ergo non datur hæc Distinctio inter animal, & rationale. Prob. Min. Si animal esset indifferens ad hanc, & illam differentiam hominis, & bruti, sequitur quòd & ratio Entis, ac Substantiæ quæ reperitur in DEO, & Angelis esset indifferens, & sic poterit esse in lapide: & consequenter nec DEUS, nec Angeli erunt entia spiritualia; quia nil potens esse in lapide est spirituale; cùm lapis sit totaliter materialis. Respondeo Concedendo Maj. & Neg. Min. ad ejus Probationem Concedo totum usque ad illam sequelam, quâ infertur, nec DEUM, nec Angelos esse Entia spiritualia, quod Nego; ad hujus Probationem Distingvo Ant. nil potens esse in lapide est spirituale secundùm illam rationem communem, quæ indifferens est ad quamcunque differentiam contrahentem Conc. Ant. secundùm aliam rationem specificam, puta Spiritûs in exemplo de DEO, & Angelis allegato, Nego Ant. DEUS ergo, & Angeli secundùm quod includunt gradum Entis communis, sunt secundùm quid in lapide, in obliquo tamen; id est, sunt includentes Ens, quod potuit esse in lapide; quia tamen adhuc habent etiam alium gradum, & formam specificam spiritualem, contrahentem istum gradum Entis communis ad hanc naturam specificam constituendam, ideo ratione hujus formæ erunt Entia propriè spiritualia, & non lapis in rectò.

10. Aristotelis testimonia pro Dist. Formali in creatis.

Probatur tandem quartò conclusio ex Aristotele; qui multis in locis hanc Distinctionem Formalem Mediam in re asserit; licèt non sub hoc nomine: docet enim *4. Topic. cap. 1.* Item *4. Met. tex. 3.* quòd *Ens, & Unum sunt una natura; distincta verò ratione quidditativâ*, id est ratione formali. Clariùs *3. Met. tex. 10.* ubi ait; genus esse extra rationem differentiarum; ita ut formaliter se excludant secundùm proprias rationes formales:

les: quid clariùs? excludere enim aliud per rationem propriam formalem, quæ alteri non convenit, est rem unam esse distinctam formaliter ab alia. Item *3. de anima, tex. 9.* dicit; aliud est magnitudo, aliud magnitudinis esse: sed non est aliud alietate, seu Distinctione reali; sicut nec quidditas ab eo, cujus est quidditas; nec aliud alietate, seu Distinctione rationis; quia magnitudo, & magnitudinis esse non habent esse aliquod rationis: Ergo sequitur, quòd sit aliud per Distinctionem Formalem. His & alijs pluribus textibus Aristotelis noster Bonetus *in Tract. de Formalitatibus* hanc Distinctionem ex mente Aristotelis demonstrat. Addo pro sententia Scotist. quod

11. Rationes aliæ pro conclus.

Ex negatione hujus Distinctionis Formalis plurima sequerentur absurda: *Primò* non daretur terminus magìs, vel minùs communis à parte rei; quomodo enim animalitas erit magìs communis à parte rei, quàm rationalitas, si est eadem omnino res formaliter cum rationalitate. *Secundò*: Sequitur omnem prædicationem superioris, & inferioris esse identicam; sicut est hæc, Petrus est Petrus; quia secundùm Adversarios omnes gradus metaphysici superiores, & inferiores sunt idem, sicut Petrus est sibi idem: Ergo &c.

12. Omnis Dist. Formalis est mutua.

Hic quæri solet; an detur Distinctio Formalis non mutua in creatis, id est talis, ut una formalitas ab alia distingvatur formaliter, & illa alia non à prima. Sed Respondeo breviter cum Merinero, Ponc. & alijs, non dari talem Distinctionem; sed omnem esse mutuam Formalem. Ratio patet; quia superiori v. g. & inferiori (quæ adversarij dicunt esse non mutuè formaliter distincta) conveniunt prædicata contradictoria; superius enim dicitur inclusum, & inferius non; item inferius dicitur includens, superius non: Ergo debent mutuè formaliter distingui inter se, ita ut utrobique resultet Distinctio formalis. Si Scotus adducatur in contrarium *in 1. dist. 2. q. 7.* ubi dicit, quòd superius sit formaliter idem inferiori; non è contra; intelligendus est in sensu essentiali; acsi diceret, superius habet eandem essentiam realem cum inferioti; non verò formalem.

QUÆSTIO VI.

Ostenditur quoque existentia Distinctionis Formalis in Divinis.

QUæstio hæc potiùs ad forum Theologicū, quàm Philosophicum spectat: quia tamen multi AA. recentiores de cœtu Thomistarū, & Neotericorum ad inconcussam hanc Distinctionē eliminandam in editionibus suis Philosophicis plura coacervit argumēta Theologica; idcirco consultū esse duxi, eam quoque in hoc opere meo Philosophico apponere, ac resolvere objecta fortiora adversariorum.

1. Varia in Divinis attendi possunt.

Nota autem primò: in Divinis reperiri Essentiam Divinam, quæ est ipsa Natura Divina; & Attributa quædam, quæ sunt perfectiones simplices, per modum proprietatis afficientes Divinam Essentiam adæquatè jam constitutam in esse Essentiæ, ùt habet Doctor *1. dist. 8. q. 3.* hujusmodi attributa sunt Intellectus Divinus, Voluntas Divina, Intellectio Divina, Volitio Divina &c. Reperiuntur pariter ibidem personalitates, quæ & relationes originis appellantur; suntque Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva, quibus constituuntur formaliter Pater Divinus, Filius Divinus, & Spiritus Sanctus.

2. Inter Essentiā DEI, & Attributa est Dist. Formalis.

Dico primò: In Divinis inter Essentiam Divinam, ejusque Attributa; & inter ipsamet Attributa intercedit Distinctio Formalis Scotistica media. Ita Scotus *1. dist. 8. q. 3.* & alibi sæpe, cum tota sua Schola Subtilium; quam sententiam plausibilem, & nusquam ab Ecclesia censuratam, perperam, & non absque nota injuriæ conatur Vasquez (uti solet) & post eum Comptonus, quibus favere videtur Gonet, & RR. involvere cum errore Gilberti hæretici, ponentis inter Essentiam Divinam, & Persones Distinctionem ex natura rei, strictè tamen Realem; qualis non est Formalis Scoti. Scotum tamen ab hac calumnia insigniter purgat Ægidius

fis Lusitan. *Tom. 1. de Beatitudine*, Brancati, P. Smising, &c.

Probatur primò ex SS. PP. adstruentibus in DEO quandam varietatem, alteritatem, multiplicitatem, unum Attributum præstare aliquid, quod non præstat alterum, Attributa circumstare Essentiam veluti qualitates, etsi non accidentales; quæ locutiones aliquam Distinctionem ex natura rei Essentiæ, & Attributorum inferunt; sed non Realem, quæ damnata est ab Ecclesia in Concil. Lateran. per *cap. Firmiter*. Tolet. 11. Concil. Rhemen. & rejecta ac confutata à PP. signanter D. Bernardo, August. Anselmo &c. Ergo inferunt Formalem ex natura rei, cum qua stat identitas realis Essentiæ cum Attributis. Maj. patet ex Dionysio *lib. de Divinis Nominib. cap. 9. Nunc autem ipsam Divinitatem, alteritatem, non variationem quamdam superinconversibilis identitatis suspiciemur; sed unitivam, id est multiplicem formationem, & uniformes multæ fœcunditatis processiones*. Ex S. Cyrillo Alexandr. *lib. 9. de adorat.* dicente: *Neque verò aliquid in eo extremum est, & adventitium; tametsi Divinis Attributis quodam modo haud simplex intelligatur*. Ex S. August. *lib. 6. de Trin. cap. 6.* appellante DEUM *simplicem multiplicitatem, & multiplicem simplicitatem*. Ex Hilario *lib. 8 de Trinit.* dicente, *non voluntatem DEI, sed potestatem* (id est attributum omnipotentiæ) *efficere creaturam*. Et iterum ex D. August. *lib. 5. de Trinit. cap. 5. Si dicam æternus, immortalis, justus, bonus, beatus, spiritus, horum omnium novissimum, quod posui, videtur significare substantiam; cætera hujus substantiæ qualitates*. Argumenta à ratione, complura alia possent afferri ad stabiliendam hanc Scoti doctrinam; sed sufficiat unum alterúmve nervosius attulisse. Quare

3. *Ratio pro Dist. Formali in Divinis.*

Prob. secundò ratione efficacissimâ Scoti *cit.* implicat vera contradictoria de una eademque re penitùs ex natura rei indistincta verificari; uti in confesso est apud omnes Philosophos, & Theologos: Ergo ubi talia contradictoria verificantur, debet esse aliqua Distinctio; & consequenter ex natura rei. Subsumo, sed de Essentia comparata cum suis Attributis, & de Attributis comparatis inter se verificantur contradictoria: Ergo inter ea debet adesse aliqua Distinctio ex natura rei: non realis stricta: Ergo Formalis. Prob. Ant. subsumpti; de Essentia comparata cum suis Attributis verificatur, quòd sit universale, & non particulare principium, quò producuntur secunda, & tertia Persona in Divinis; Intellectus verò, & Voluntas non sunt principium ejusmodi universale; sed tantùm particulare; Intellectus videlicet principium productionis secundæ personæ, & Voluntas principium productionis tertiæ Personæ; sed esse, & non esse universale principium sunt vera contradictoria: Ergo &c. Deinde de Attributis inter se comparatis verificatur de Intellectu, quòd sit principium generationis Divinæ; de Voluntate verò non verificatur; item quòd Voluntas sit principium Amoris, & Spirationis Spiritûs Sancti; Intellectus autem non: Ergo &c. Ad hunc Scoti Achillem variè replicant adversarij signanter Gonet &c. Thomistæ.

4. *Thomistarum responsio enervatur.*

Primò dicunt; ad reconcilianda, seu salvanda ejusmodi contradictoria sufficere Distinctionem fundamentalem, seu Virtualem; quatenus nimirum Essentia Divina, in se simplicissima, & unica eminenter, ac virtualiter continet omnem entitatem, & perfectionem creaturarum; atque ita præbet fundamentum intellectui creato concipiendi, ea esse actu, ac formaliter distincta, quæ revera sunt distincta in creaturis actu: Distinctio enim Virtualis in DEO æquivalet Distinctioni Formali actuali in creatis; v. g. licèt Sol sit tantùm virtualiter calidus; tamen totum id præstat, quod ignis formaliter calidus. Contrà *primò*: nemine cogitante intellectu creato ab æterno veræ sunt istæ contradictiones, Voluntas est principium Spirationis Spiritûs S., & Intellectus non est tale principium: idem dic de alijs in argumento adductis: Ergo earum fundamenta objectivè considerata, nimirum Intellectus, & Voluntas non solùm virtualiter; sed actu debent esse ab æterno in DEO distincta. Contrà *secundò*: illa Distinctio Virtualis vel tollit omnimodam identitatem objectivam Essentiæ cum Attributis, & Attributorum inter se; vel non tollit; si tollit, coincidit in re cum Distinctione Scotistica Formali, etsi nomine sit diversa: si non tollit, impingitur manifestè contra primum illud principium de contradictorijs, *idem nequit esse, & non esse*.

5. *RR. replicas explodunt.*

Replicant secundò aliter alij RR. cum Gonet, & dicunt; allatas propositiones

nes non eſſe contradictorias formaliter; eò quòd non enuncientur de eadem Eſſentia ſecundùm eandem; ſed ſecundùm diverſam rationem ſpectata, & prout multis æquivalet; Eſſentia enim Divina eadem, & ſolitaria ut æquivalet, ſeu æquipollet virtuti creatæ intelligendi, generat Filium; ut æquivalet virtuti creatæ volendi, ſpirat Spiritum S. abſque eo, quòd dentur Intellectus, & Voluntas tanquam duæ formalitates formaliter diſtinctæ. Contrà *primò*: per hanc doctrinam evertitur ordo Divinarum Proceſſionum; quia re ipsâ Filius non magìs emanabit per Intellectum, quàm per Voluntatem. Contrà *ſecundò*: ex hac doctrina ſequitur ordinem Divinarum Proceſſionum pendere ab intellectûs nuſtri conceptu, & excogitatione; adeoque eſſe fictitium. Contrà *tertiò*: datâ hypotheſi, quòd nullus intellectus noſter fuiſſet creatus, ſequeretur, quòd ſecundùm hanc RR. doctrinam nec Verbum natum fuiſſet per intellectum; nec Spiritus S. ſpiratus per voluntatem; atque ita tota Divinarum Proceſſionum diverſitas ceſſâſſet, utpote dependens â noſtro intellectu ſic, vel ſic concipiente; quam tamen SS. PP. tantô ſtudiô, tantâque animi contentione propugnârunt.

6. Firmatur concluſio ex Scoto.

Prob: tertiò concluſio pariter ratione Scoti *eit.* illa, quæ eſſentialibus definitionibus, proprijſque rationibus diſtingvuntur, ex natura rei formaliter diſtingvuntur: definitio enim traditur de rebus ſecundùm earum naturam conſideratis â parte rei; & non prout conceptibus noſtris ſubjacent: Sed Eſſentia Divina, & Attributa proprijs eſſentialibus definitionibus diſtingvuntur, & â proprijs conceptibus objectivis invicem ſe ſe excludunt formaliter. Ergo inter ea datur Diſtinctio formalis ex natura rei. Maj. patet; Prob. Min. â Scoto *1. diſt. 8. q. 4.* SS. PP. dicunt Attributa non ſpectare ad quidditatem Eſſentiæ; ſed ſe habere per modum qualitatum præſuppònentium Eſſentiæ quidditatem, jam plenè conſtitutam; ſicut in phyſicis qualitates præſupponunt eſſentiam ſui ſubjecti, jam adæquatè conſtitutam: Ergo Eſſentia, & Attributa proprijs definitionibus eſſentialibus diſtingvuntur, & â proprijs conceptibus objectivis ſe ſe invicem formaliter excludunt. Ant. patet ex S. Damaſceno *lib. 7. c. 4.* ubi Eſſentiam vocat DEI Naturam; Attributa verò Perfectiones talem Naturam circumſtantes. Et Aug. *lib. 15. de Trinit. c. 6.* ubi Eſſentiam appellat DEI Naturam; Attributa verò hujus ſubſtantiæ qualitates.

7. Inter Perſonalitates, & Eſſentiam Divinam extat Diſtinctio Formalis.

Dico ſecundò: Inter Perſonalitates quoque Divinas, & Eſſentiam Divinam vertit Diſtinctio Formalis Scotiſtica. Ita Scotus *1. d. 2. q. 2.* cum ſuis; contra Thomiſtas, & Neutriſtas.

Probatur *primà* authoritate Conciliorum, diſtingventium inter Eſſentiam, & Perſonam: ſic Florentinum *in litteris unianis* dicit, *Pater omnia communicat Filio, præter eſſe Patrem.* id eſt Eſſentiam cum Attributis, & non Perſonalitatem. Et Toletanum 2. dicit: *In relatione Perſonarum numerus cernitur; in Divinitatis verò ſubſtantia quid numeratum ſit, non comprehenditur.* Et Later: cap. *Firmiter*: *hæc ſancta Trinitas ſecundùm communem Eſſentiam individua, & ſecundùm perſonales proprietates diſcreta*: Probat: *ſecundà* SS. PP. authoritate; aſſerentium Eſſentiam eſſe aliquid præter relationem originis: item aliud eſſe DEUM, aliud etiam Patrem eſſe: ſic loquitur D. Auguſtinus *lib. 7. de Trinit. cap. 1. Omnis Eſſentia, quæ relativè dicitur, eſt aliquid exceptâ relativê.* Et cap. 4. *aliud eſt DEUM eſſe, aliud Patrem eſſe.* Eodem fermè modo loquitur S. Anſelmus, *lib. de Proceſſione Spiritûs S. cap. 2.* Ex quibus omnibus authoritatibus Conciliorum, & PP. patet, inter Eſſentiam, & Perſonas Divinas adeſſe aliquod diſcrimen; non autem reale ſtrictè: Ergo formale. Probatur *tertiè* ratione: Eſſentia Divina præciſâ omni operatione intellectûs eſt ex ſe communicabilis: Perſonæ verò non: Paternitas conſtituit Patrem: Eſſentia non; Paternitas diſtingvit realiter Patrem â Filio, Eſſentia verò non; imò eſt principium convenientiæ: quæ contradictoria arguunt aliquam objectivam, & ex natura rei Diſtinctionem; non autem Realem; Ergo Formalem.

8. Patres nô efficiunt Diſt. Formali.

Objiciunt primò Nominales: SS. PP. paſſim excludunt â DEO omnem Diſtinctionem, & dicunt, quidquid eſt in DEO, DEUM eſſe eſſentialiter: ſic loquitur D. Auguſtinus *lib. 18. de Trinit. cap. 5. non eſt aliud ſapientia, aliud Eſſentia, cui hoc eſt eſſe, quod ſapientem eſſe.* Item Richardus â S. Victore *1. de Trinit. cap. 15. ipſa primordialis ſubſtantia, idem omnino*

nino quod summa Sapientia est. Idem docet Nissen. *Orat. 1. in Cantica*, & alij, quos accumulant Patroni Nominalismi: Ergo &c. Respondeo *primò*; & oppono PP. plures alias PP. authoritates etiam ipsiusmet Augustini, & Richardi de S. Victore *lib. 2. de Trinit. cap. 21.* adstruentium in DEO aliquam Distinctionem; quas vide citatas *hac quæstione, conclusione primâ.* Respondeo *secundò*: & explico PP. citatos, ne sibi contradicere videantur, dicoque quòd tantùm per allegatos, & similes modos loquendi statuere voluerint in DEO summam identitatem realem: cum qua stat Distinctio Formalis.

9. *Reconcilantur alij SS. PP. & Concilia.*

Objiciunt secundò Patroni Distinctionis Rationis: SS. PP. & Concilia agnoscunt solam Distinctionem Rationis inter Essentiam, ejusque Attributa, & Personalitates; sic D. Damascenus *lib. 1. de Fide cap. 11.* loquens de Personalitate, & Natura divina, ait; *quod autem in ea distinctum est solâ cogitatione distinguitur;* ita pariter loquuntur alij PP. August. &c. In Concilio verò Florentino *sess. 19.* ex mente Ecclesiæ Latinæ dixit Joannes Episcopus, haudquaquam putare debetis, quòd te differant (scilicet Essentia, & Personalitates) quandoquidem sola ratione, aut intelligentiâ differre credantur. Et Concilium Rhemen. definit contra Gilbertum Episcopum; Essentiam, & relationes non *ratione Theologicâ*, id est, Distinctione ex natura rei, *sed mathematicâ abstractione*, hoc est, distinctione Rationis, distingvi: Ergo &c. Respondeo SS. PP. & Concilia allata per Distinctionem Rationis intelligere, omnem Distinctionem, quæ non est realis strictè; onde eo nomine quoque venit DistinctioFormalis: quod sic ostendo; nam PP. citati, & Concilia consultò hoc nomine *Rationis* usi fuêre; quia egerunt contra Sabellium, & Gilbertum Episcopos, negaotes perfectam Essentiæ unitatem, & consubstantialitatem Personarum; unde ut hujusmodi unitatem, & consubstantialitatem meliùs adstruerent, & efficaciùs persvaderent, quasi excessivè locuti fuerunt, solam Rationis Distinctionem ponendo inter Essentiam, & Personas; iste etenim fuit mos SS. PP. & Conciliorum, pro re nata quasi excessivè loquendi: nam (ut docet S. Bonavent. *2. d. 33. q. 1. art. 3. principium.* Et ponit pro regula Generali Scotus ibidem *qu. un.*) quemadmodum secundùm Aristotelem in moribus via deveniendi ad medium est aliqualiter procedere ultra medium versùs extremum *2. Ethic. cap. ult.* ita frequenter PP, & Concilia, ut sopirent hæreses novas succrescentes, in eisdem confutandis declinabant ad aliud extremum, ut ad medium pervenirent: Sic D. Augustinus dimicans contra errores Arrij declinat quasi ad Sabellianam Doctrinam; & è contra disputans contra Pelagianismum videtur declinare ad Arrianismum; ùt loquntur citatus Bonav. & Scotus, eô fine tantùm, ut subjectum errorem, quem impugnabant, debitè eliminaret: quare bene advertendum, cum quibus hæreticis Patres, & Concilia disputabant, quando has, aut illas doctrinas quasi excessivas proponunt; uti in præsentiarum contigit cum Distinctione Rationis. Addo, & est regula pariter generalis Scoti *2. d. 16. q. un.* in fine; quòd in quæstionibus tantùm disputativis, & materiam Fidei non continentibus (qualis erat illa de specie Distinctionis inter Essentiam, & Proprietates, quatenus ventilata inter Scholasticos) possimus favorabiles tantùm retinere Patres, & Contrarios dimittere cum reverentia: & fundatur hæc doctrina in S. Augustino *Epist. 111.* ubi loquens de Ambrosio, Hieronymo, Athanasio, & Nazianzeno dicit: *neque enim quorumlibet disputationes, quam Catholicorum, & laudatorum hominum velut scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salvâ honorificentiâ, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atque respicere; talis ego sum in scriptis aliorum, tales esse volo intellectores meorum.* Dicit tandem Scotus *in 1. d. 2. q. 7.* pro totali enucleatione objectionis factæ, quòd Distinctio Formalis *potest vocari differentia rationis, sicut ait quidam Doctor; non quòd accipiatur differentia formata ab intellectu; sed ut ratio accipitur pro quidditate rei, secundùm quod quidditas est objectum intellectûs.* Et in Concil. Rhemen. ly *Ratione Theologicâ* non usurpatur pro Distinctione Formali; uti falsè Vasq. interpretatur; sed pro Distinctione Reali.

10. *Distinctio Formalis nō præjudicat simplicitati DEI.*

Objiciunt tertiò RR. quidam, ut Gonet. Compton. Reding. &c. In Concilio Lateranensi definitum est, quòd DEUS sit summè simplex, & expers omnis compositionis: Sed si Essentia Divina, Per-

Personalitates, & Attributa formaliter distingverentur, sequeretur in DEO compositio entitativa; quia compositio est distinctorum unio; unde Distinctio Scotistica (inquiunt hi) non minùs lædit DEI simplicitatem, quàm sententia Gualberti, & Gilberti; ab eaque non recedit: Ergo &c. Respondeo *primò* hos AA. censurantes Scoti doctrinam, aut eos non intelligere sententiam Scoti; aut sanè ei insignem atque indiscretam inurere injuriam, qui in hodiernum usque diem ab Ecclesia Romana nequaquam propter hanc suam Distinctionem Formalem pro sectario Gvalberti, & Gilberti hæreticorum asserentium Distinctionem realem strictam (quam Scotus eum Catholica veritate negat, & solam Formalem minorem asserit) fuit habitus. Respondeo *secundò*: in forma Negu Min. Nam non quæque Distinctio; sed sola Realis strictè infert compositionem: unde eruditè ait Scotus, cum Distinctione Formali stare summam DEI simplicitatem; eò quòd cùm ejusmodi Distinctione stet identitas realis, & ultima actualitas Essentiæ, & Attributorum, quæ distingvuntur, exclusâ per infinitatem sibi omnem perfectionem identificantem omni potentialitate, & actualitate, quæ ad formalem compositionem requiritur. Itaque unio Attributorum, atque Essentiæ Distinctorum est unio merorum purissimorum actuum, & actuum, quorum unus non perficit alterum.

11. Gonet rejicitur.

Objiciunt quartò iterum Gonet, Reding. &c. Essentia Divina est infinita, & purissimus actus: Ergo petit identitatem formalem cum Divinis relationibus, & Attributis; & consequenter excludit omnem Distinctionem etiam Formalem. Respondeo *primò* retorquendo argumentum: [Ergo ob ejusmodi infinitatem inferentem] formalem identitatem neque Distinctio Rationis ratiocinatæ, fundamentalis, nec virtualis cum veritate admitti, vel concipi poterit à Gonet, & Reding. Respondeo *secundò*: Neg. Conseq. quæ non sequitur ex hoc Antecedenti; sed solùm, quòd petat identitatem realem: & sanè majorem hac identitatem nequit Essentia Divina habere cum Attributis, ùt bene probat Scotus *1. d. 8. q. 4.* nam aliàs ipsa esset una duntaxat omnium formalitatum formaliter inclusarum, & identificatarum formalitas, & non plures; cum tamen SS. PP. & Concilia plures in DEO rationes objectivas, seu formalitates alias, & alias distingvant.

12. Idem author refutatur.

Objicit quintò Gonet rationem S. Bernardi, quâ contra Gilbertum usus fuit *serm. 80. in cantica*: si sapientia v.g. ex natura rei ab essentia distingveretur, vel esset quid superius, vel æquale, vel inferius; non *superius*; quia nil est supra divinam naturam; *nec æquale*, quia daretur aliquid, quòd à parte rei, & actu non esset DEUS, & tamen esset tantæ perfectionis ùt DEUS, aut Divina Essentia: *nec inferius*; alias esset creatura: Ergo sapientia ex natura rei non distingvitur ab Essentia. Respondeo sapientiam DEI ob sui infinitatem, & illimitationem posse quantùm ad hoc dici æqualem Divinæ Essentiæ suô modô: & quia est identificata realiter eum Essentia, non sequitur dari aliquod Ens à parte rei, quod non esset realiter DEUS; & tamen æqualis perfectionis cum Essentia Divina.

13. Suario respondetur.

Objicit sextò Suar. Essentia Divina est de quidditate Patris: Ergo etiam de quidditate Paternitatis: quia in Divinis concretum, & abstractum idem omnino important. Respondeo ex Doctore Subtil. Dist. Ant. est de quidditate Patris substantivè sumpti Conc. Ant. adjectivè sumpti Nego Ant. Itaque Pater substantivè sumptus, id est pro Persona cujus est Paternitas, quidditativè Essentiam Divinam includit: adjectivè verò sumptus importat ipsam relationem Paternitatis denominativè, quô sensu dicitur idem Patrem esse, & genuisse; & tunc Paternitas non est de quidditate Patris; nec consequenter idem importat abstractū, & concretū & concretū enim importat Essentiam; Paternitatem; abstractum verò solam Paternitatem formaliter.

14. Sententia Scotistarū diversa circa Distinctionē prædicatorū quidditativorū ab Essē tia.

Objicies septimò: Si Attributa distingverentur formaliter inter se, etiam secundum Scotum prædicata quidditativa DEI puta ratio entis, substantiæ &c. ita inter se distingverentur; nam rationes Scoti probantes Distinctionem Formalem Attributorum inter se, æquè concluderent eandem de prædicatis quidditativis: nam sicut ex Scoto DEUS non est eô formaliter DEUS, quô sapiens, vel Pater; sed est formaliter DEUS Deitate, & Sapiens Sapientiâ; Pater autem Paternitate; ita dicendum, quòd non sit eô DEUS, quô Ens, & non eô Ens, quô substantia: sed Præ-

prædicata quidditativa DEI non distinguuntur formaliter ab Essentia: Ergo &c. Respondeo, Scotistas esse divisos in suis opinionibus circa Distinctionem prædicatorum quidditativorũ ab Essentia: Nonnulli, & sat probabiliter tenent, illa æquè esse distincta formaliter, ac Attributa inter se; cùm habeant diversas definitiones essentiales, & fundent contradictoria. Verùm alij negant inter ea intercedere Distinctionem Formalem; eò quòd hæc prædicata quidditativa, ens, substantia, & spiritus se habeant sicut superius transcendentale, seu magis commune, & sicut inferius; unde proprias realitates formaliter distinctas importare nequeunt; aliàs facerent saltèm metaphysicam compositionem; una enim esset potentialis ad aliam: hoc autem de Attributis dici nequit, etsi proprias realitates formaliter distinctas important: quia non se habent sicut superius, & inferius; sed veluti perfectiones disparatæ, quarum unaquæque est in ultima actualitate constituta.

15. Distinctio Formalis relinquit mirabile mysterium Trinitatis.

Objicies ultimò: Hac admissâ Distinctione à parte rei, jam non ampliùs erit nobis mirabile Mysterium SS, Trinitatis, ubi contradictoria maxima reperiuntur; ut quod una res identificata cum altera sit communicabilis, & non altera; quia contradictio hæc solvitur nobis, si dicamus in Divinis esse plures formalitates formaliter distinctas, quæ tanquam res diversæ hanc salvare possunt contradictionem: Ergo &c. Resp. Dist. Ant. non ampliùs erit mirabile Mysterium Trinitatis, quia solvitur nobis contradictio cadens super esse formale Trinitatis Concedo Ant. cadens super esse reale Trinitatis Nego Ant. Itaque hæc Distinctio Formalis solvit contradictoria non quæcunque; sed tantùm illa, quæ concernunt esse formale Trinitatis; non verò quæ concernunt esse entitativum, & absolutè sumptum; qualia sunt produci, & non produci; communicari, & non communicari; pro quibus reconciliandis videtur necessaria Distinctio realis; quæ cùm inter Essentiam, & Paternitatem, Filiationem, & Spirationem passivam non detur juxta Fidem, ideo Mysterium Trinitatis est nobis mirabile, & manet tale etiam cum Dist. Scotistica.

Alias Objectiones Nominalium, Thomist. & Neutrist. vide Solutas apud nostrum Smising, Mastrium, Herincx, Radam &c.

16. Regula generalis circa Dist. Formalem.

Nota itaque pro regula generali, esse aliqua prædicata quæ insunt alicui toti ut totum est, v. g. esse, & non esse; produci & non produci; & hæc semper inferunt Distinctionem realem; nisi obstet Fides; ut contingit in Divinis; quia insunt non ratione formalitaris, sed ratione rei: alia iterum sunt quæ insunt rei solùm ratione alicujus formalitatis; ut velle, & intelligere; quæ animæ conveniunt ratione voluntatis, & intellectûs, quæ sunt duæ formalitates hominis; & talia inducunt solam Distinctionem Formalem in suis principijs. Pro fine

17. Scotus fundatè transtulit Dist. Form. ad Divina.

Nota secundò: Scotum optimò fundamentò transtulisse hanc Distinctionem Formalem ex creatis ad Divina, ad explicandum mysteriũ Trinitatis; quia teste Apostolo; *Invisibilia DEI per ea quæ facta sunt conspiciuntur*. Rom. 1. Unde quia Scotus subtiliter videt inter realitates metaphysicas per Distinctionem Formalem multa contradictoria componi, & simul posse stare in aliqua re; consultò eam invexit in Divina ex eadem ratione; ubi tamen stat cum omnimoda identitate reali.

QUÆSTIO VII.

De Præcisionibus Formalibus; & Objectivis.

Quoniam prioribus quæstionibus Doctrina Scotistica de Distinctione Formali allata fuit, quæ fundatur in Præcisionibus Objectivis; idcirco earundem naturam, & existentiam libet præsenti quæstione proponere; ut sic Neutristarum conatus faciliùs elidantur, qui ut Nominalismum contra Scotum rursus erigerent, Præcisiones omnes Objectivas negant; quibus Doctor Subtilis, ejusque discipuli in metaphysicis quæstionibus plurimùm utuntur; & concedunt solas Formales, uti olim fecere Nominales; ùt videre est apud Ovied. Arriag. Hurtad. &c.

1. Quid sit Præcisio Objectiva apud Scotistas?

Nota primò: *Præcisio Objectiva* in Schola Scoti habetur, quando intellectus contemplatur aliquod objectum, in quo imbibitæ sunt plures formalitates à parte rei, easque ita discriminat inter se, ut uno actu

actu intelligat unam, & alterò alteram v. g. dum contemplatur hominem continentem rationalitatem, & risibilitatem, & in eo præscindit à rationalitate risibilitatem, quæ nemine cogitante intellectu erant duæ formalitates formaliter distinctæ, seu duæ Præcisiones Objectivæ.

2. Et quid Formalis.

Nota secundò: *Præcisio Formalis* in Schola Doct. Subtilis habetur, quando intellectus contemplatur aliquod objectum prorsus indivisibile à parte rei, & nullas continens formalitates; illud tamen dividit in plures partes, & de eo format plures conceptus præscindendo unam partem ab altera, quæ à parte rei, & objectivè præcisa non est; v. g. dum eundem Platonem præscindit à seipso, in quantum est subjectum, & prædicatum in hac propositione identica, *Plato est Plato*; quamvis Plato non includat plures partes à parte rei, quæ hic & nunc essent subjectum, & prædicatum.

3. Præcisiones in sensu Neutrist.

Nota tertiò: In doctrina Neutristarum *Præcisio Formalis* fit, quando intellectus attingit aliquod objectum indivisibile ita, ut quamvis totum formaliter per quemcunque actum attingatur, ita tamen confusè cognoscitur, ut apparere videatur solùm secundùm unum prædicatum, non verò secundùm aliud; exemplificant hoc in aliquo colore visò è longinquo, quotasn visio coloris ita est confusa, ut sola ratio coloris in communi; non verò hic individualis color albus, vel viridis oculo repræsentetur, & talis species transeat ad phantasiam, & inde demum ad intellectum; quare ille modus tunc cognoscendi obiectum coloratum mediante tali specie confusè repræsentante, dicitur *Præcisio Formalis* à RR. quia præcisio, & confusio illa se tenet omnino ex parte actûs; non verò ex parte objecti, ut discurrit Arriaga. Ubicunque ergo Scotistæ statuunt Præcisiones Objectivas v. g. in Distinctione Formali diversarum formalitatum unius rei; in Distinctione Divinorum Attributorum, & graduum metaphysicorum, Neutristæ assignant suas Præcisiones Formales, maximè in creatis; nam nonnulli eorum in Divinis, pressi Scoti argumentis, etiam Objectivas concedunt; ùt facit Arriaga.

4. Admittendæ sunt Præcisiones Objectivæ.

Dico primò: Præcisiones Objectivæ tam in Objectis Divinis, quàm in creatis statuendæ sunt. Ita communis Scotist. & Thomist. aliorumque Realium contra Neutristas, & eorum Parentes Nominales.

Probatur primò omnibus illis argumentis, quibus prioribus tribus quæstionibus probata fuit Distinctio Formalis tam in Divinis, quàm in creatis; quia Distinctio Formalis necessariò fundatur in Præcisionibus Objectivis, seu formalitatibus, quod idem est; puta in Divinis, in Intellectu Divino, Voluntate Divina; in creatis verò in animalitate, rationalitate, aliisque gradibus metaphysicis.

Probatur secundò: Datur à parte rei, & ante intellectum compositio metaphysica ex genere & differentia: Ergo dantur ibi plures Præcisiones Objectivæ; alia nimirum generis, alia differentiæ.

5. Actus confundens Arriaga confunditur.

Dices cum Arriaga; compositionem ex genere, & differentia non consurgere ex aliquibus Præcisionibus Objectivis, quæ se tenerent ex parte objecti; sed provenire extrinsecè ab uno actu intellectûs, quo confunditur cum pluribus, & ab alio, quo ab illis distingvitur; unde animal, & rationale in homine non sunt genus, & differentia formaliter; sed una res quæ dicitur homo, qui cognoscitur nunc per actum tendentem in plures species; nunc per actum tendentem in differentiam illarum. *Contrà*; Ergo hæc compositio quoque ipsi DEO applicari poterit cum omni proprietate. Prob. illatum: quia etiam DEUS concipi potest aliquo actu, quo confunditur cum creatura in aliquo prædicato transcendenti; & aliò actu, quò secernitur ab illa; hanc autem compositionem in DEO negat Arriaga: Ergo &c.

Replicat Arriaga; quòd in DEO non inveniat rationem univocam ipsi DEO & creaturæ. *Contra* est: quia veritas, & ipse Arriaga *disp. 11. Log. Sect. 4.* docet, rationem Entis esse communem DEO, & creaturis: Ergo compositio cum omni proprietate poterit DEO applicari, si discursus Arriagæ in replica positus verus est; quod tamen nemo docere ausus est hactenus.

Probatur tertiò ex fundamentis Arriagæ, & RR. illorum, qui in Divinis Præcisiones Objectivas admittunt propter prædicata contradictoria; v. g. quòd Essentia communicetur, relatio non: sed in creatis similia prædicata inter animal, & rationale reperiuntur, ut suprà ostensum est; ergo æquè in creatis admittendæ sunt Præcisiones Objectivæ.

S Ob-

6. *Arriaga refutatur.*

Objicies primò pro Arriaga: Objectum bis cognitum v. g. paries, dicitur duplex ratio terminandi cognitionem: & tamen est unica res formaliter indistincta:. Ergo & homo v. g. terminans duas cognitiones, unã confusam animalis, & alteram claram rationalis dicetur quidem duplex ratio terminandi; sed tamen in se erit una formalitas indivisibilis formaliter. Respondeo Neg. Conseq. Disparitas est; quia paries incapax est, ut per diversas formalitates terminet diversas cognitiones; non sic homo: quòd autem incapax sit paries inde colligitur; quia nullæ inveniuntur figuraturæ, & vestigia diversarum formalitatum; sicuti in homine inveniuntur per effectus à posteriori.

7. *Et Hurtadus refellitur.*

Objicit secundò Hurtadus S. Anselmum, & Basilium *hom. 6. in Exameron* docentes apertè; omnia illa realiter distingvi, ac posse à DEO ad minus separari, quæ nos possumus cogitatione separare; sic ibi ex conceptu lucis non conceptô sole infert Distinctionem realem: Ergo similiter si darentur aliquæ Præcisiones Objectivæ, potiùs realiter, quàm formaliter distingverentur; quia cogitatione possunt separari: non distingvuntur autem secundùm nos realiter: Ergo non dantur tales Præcisiones. Confirmat Hurtadus hanc objectionem; & insignem Scoto impingit culpam; Petrus inquit de Tarantasia postea Innocentius V. Pontif. Max. fuit accusatus à Dominicanis eò quòd constitueret in DEO formalitates, & Præcisiones Objectivas: Ergo & Scotus cum suis deferendus esset ad Judicem; qui hanc doctrinam à Tarantasia sumpsit. *Resp. ad primum* ex Scoto *q. 32. univers.* separationem seu cogitationem unius sine alio duplicem esse, Præcisivam, & Divisivam. *Præcisiva* fit quando sinè mendacio unum identificatum cogitatur sinè alio identificato, ùt docet Aristoteles *2. Physic. 12.* v. g. dum cogitatur homo in primo dicendi modo esse animal rationale, non cogitando vel affirmando quòd etiam sit risibile: *Divisiva* fit, quando unum identificatum cogitatione separatur ab alio, & affirmatur esse separatum & exclusum ab altero, v. g. dum cogito, & affirmo hominem non esse risibilem; & hæc separatio cogitata infert Distinctionem realem; deque ea loquitur Anselmus, & Basilius; quæ tamen non inveniuntur in Præcisionibus Objectivis Scoti. *Ad Confirm.* Hurtadi dico, quidquid sit de illa historia Petri de Tarantasia, an vera sit nec ne; non obstante illâ delatione, & accusatione PP. Dominicanorũ non legitur ullibi Petrum de Tarantasia fuisse condemnatum cum sua sententia; igitur nec Scotus si Judici sisteretur, foret damnandus de jure: timeo autem vehementer, nè si Hurtadus cum suis Præcisionibus Formalibus simul cum Scoto ad Judicem traheretur, suâ caderet sententiâ.

8. *Achilles putativus Neutrist: debellatur.*

Objicit tertiò Arriaga, & Oviedo Achillem suum: Tam contradictoriè opponitur cognosci, & non cognosci; respondere & non respondere ex parte objecti, ac existere, & non existere; produci & non produci: Sed implicat animalitatem hominis existere, & non existere ejus rationalitatem; item unam produci & non aliam: Ergo etiam implicabit cognosci animalitatem, & non cognosci rationalitatem, & respondere ex parte objecti animalitatem cognitioni, & non respondere rationalitatem: Ergo unum cum altero semper cognoscitur, & consequenter non facient duas Præcisiones Objectivas, distinctis actibus attingibiles. Confirmat Arriaga Objectionem: implicat animal terminare actionem physicam vel unionem ab aliquo principio activo procedentem, quin eandem unionem, vel actionem terminet rationale: Ergo à pari implicat animal terminare cognitionem & non terminare rationale.

Respondeo ad hunc putativum Achillem Neutrist. nil omnino evincere contra Præcisiones Objectivas Scotisticas; quia hæ seorsim cognosci possunt; unde habentur plura objecta formalia, super quæ cadit illa contradictio, cognosci & non cognosci; quæ proinde non erit respectu ejusdem; hinc in forma Distingvo Maj. tam contradictoriè opponitur cognosci & non cognosci, si fiut respectu ejusdem formalitatis Conc. Maj. si fiut respectu diversarum Nego Maj. in proposito homo v. g. cognosci potest secundùm unam formalitatem puta animalitatis, & non necessariò secundùm rationalitatem, quæ est altera formalitas; sicut in omni demonstratione ubi propria passio ostenditur de suo objecto, v. g. risibilitas de Petro rationali, priùs cognoscitur objectum puta Petrus ùt rationalis; & deinde ex hoc cognoscitur risibilitas; & tamen non sequitur idem cognosci, & non cognosci

gnosci secundùm eandem rem. *Ad Confirm.* Nego Conseq. Disparitas est; quia actio & unio physica cadit semper super res habentes proprias existentias; & cùm in proposito animal & rationale habeant unicam tantùm existentiam, ideo quidquid terminat animal, debet & terminare rationale; non sic est de cognitione, quæ etiam cadere potest super solas formalitates sinè respectu ad existentiam; quæ proinde cùm plures sint in una, poterit una terminare unam cognitionem, & non alteram; sicque non sequitur contradictio respectu ejusdem in terminare, & non terminare cognitionem. Deinde actio physica, & unio immutat in se physicè extrema quæ unit, vel producit; ideoque tam animal quàm rationale debet illam terminare: at cognitio non immutat sic objectum; sed solùm per extrinsecam denominationem illud cognitum denominat; ideo unum poterit terminare cognitionem, & non aliud. Et sic manet solutum argumentum Oviedonis, cujus solutionem putabat desperatam in humanis.

QUÆSTIO VIII.

De Distinctione Rationis; Virtuali; & Modali.

1. Quid sit Distinctio rationis?

Nota primò: *Distinctionem Rationis* ideo sic vocari, quia fabricatur à *ratione*, seu intellectu distingvente; talis est, quæ intercedit inter genus, & speciem, aliasque secundas intentiones: item inter prædicatum, & subjectum prædicationis identicæ; ut *homo est homo*, ubi intellectus distingvit hominem ut est subjectum, & ut est prædicatum.

2. Thomistarũ Distinctiones duæ rationis.

Nota secundò: Scholam Thomisticam assignare Duplicem distinctionem Rationis; videlicet Rationis ratiocinatæ; & Rationis ratiocinantis. *Distinctio rationis ratiocinatæ* (quam & Fundamentalem, eò quòd habeat fundamentum in re, appellant) ajunt esse illam, quæ est inchoata à natura habente quandam eminentiam virtualiter multiplicem, & pluribus æquivalentem; suum tamen complementum recipit ab intellectu; talem dicunt reperiri in sole, ubi virtutem calefactivam, & exsiccativam distingvunt fundamentaliter à sole, & inter se invicem, quatenus nimirum eadem simplicissima forma solis eminenter æquivalet pluribus rebus, & ea præstat munera, quæ præstare solent illæ realitates in alijs entibus dispersæ; quam æquivalentiam, & eminentiam solis, videns intellectus eâ utitur ut fundamentô, & ponit in sole Distinctionem rationis ratiocinatæ, eamque complet in ratione Distinctionis. *Distinctio verò rationis ratiocinantis est*, quam præcisè fabricat intellectus per præcisiones formales, nullô habitô fundamentô in re; & fit, quando alicui objecto, quod est indivisibile à parte rei realiter & formaliter, intellectus affigit diversas relationes rationis diversimodè illud concipiendo, ita ut tota diversitas sit ex parte modi concipiendi; talem dicunt esse inter secundas intentiones. Et ideo dicitur *rationis ratiocinantis* quia videlicet ex solo intellectu ratiocinante ortum ducit: altera verò dicitur *rationis ratiocinatæ*, eò quòd per rationem complementum accipiat.

Nota tertiò: Utramque Distinctionem dicunt Thomistæ esse veras species Distinctionis rationis ut sic: deinde Distinctionem rationis ratiocinatæ adhibent ijdem ad distingvenda Attributa Divina ab Essentia; & inter se; similiter ad discriminandos gradus metaphysicos; id est prædicata superioris, & inferioris v. g. animalis & rationalis in homine; & universaliter ubicunque Scotistæ utuntur Distinctione Formali. Neutristæ ampliùs dogmatizant, eam quoque esse sobolem genuinam Scoti; unde conantur eam invehere in Scholam Scoti: quod & facit noster Mastrius, & Bellutus &c. Sed

3. Distinctio rationis ratiocinatæ nõ datur apud Scotum.

Dico primò: Distinctio rationis ratiocinatæ, neque est de mente Scoti; neque valet pro distingvendis Attributis Divinis, & gradibus metaphysicis. Prima pars est Saxij, Columbi, & communis Scotistarum Mastriô ejusque Collegâ exceptô: contra Neutristas. Secundam tenet comunis Scotistarum; contra Thomistas.

Prob. prima pars: In nullo passu litteræ Scoti reperitur hæc Distinctio rationis ratiocinatæ asserta à Scoto, ut propria mens ejusdem: Ergo hæc Distinctio non est de mente Scoti. Prob. Ant. *in 1. dist.*

dist. 2. q. 7. §. sed hic restat, quem passum maximè pro se urgent Neoterici, habet quidem hæc verba commemorativa alicujus Distinctionis rationis; *potest autem Distinctio vocari differentia rationis; non quòd Ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu; sed ut Ratio accipiatur pro quidditate rei, secundùm quod quidditas est objectum intellectûs:* quæ verba, ut vides, potiùs negant Distinctionē rationis ratiocinatæ, seu differentiam formatam ab intellectu: Ergo &c. Similiter *Quodlib. 1. §. de 2. art.* ubi meminit Distinctionis rationis, se explicat, quòd per eam intelligat Distinctionem rationis ratiocinantis tantùm, inquiens; *Si distinguantur Ratione, & hoc sive Ratione sumpta ex parte rei, id est pro ratione quidditativa* (quæ fundat Distinctionem formalem) *sive merè causatâ per actum intellectûs*; qualis est scilicet Distinctio rationis ratiocinantis. Sic pariter loquitur *4. dist. 49. quæst. 1.* & in summa nusquam asseruit Scotus Distinctionem hanc rationis ratiocinatæ ùt suam: sed ubicunque aliquam *Distinctionem rationis* propriam asserit, intelligit Distinctionem rationis ratiocinantis; ubi verò Distinctionem aliquam sub nomine *Differentia rationis*, vel *Differentia intentionis* ponit, intelligit Distinctionem formalem, usurpando ly *rationis* pro ratione quidditativa, seu ratione objectiva, seu pro formalitate, quæ est objectum rationis fundans Distinctionem Formalem; quod bene notandum contra Mastrium, qui hac in causa dedit palmas Neutralibus, & recessit à Parentibus suis, gravissimis, & acutissimis Doctoribus Formalistis: Ergo Distinctio rationis ratiocinatæ non est de mente Scoti; & consequenter ex Subtili Schola ableganda est, tanquam adulterina soboles, Thomisticam redolens doctrinam.

4. *Neque ipsa usui est utilis.*

Prob. secunda pars contra Thomistas: pro distingvendis Attributis Divinis, & gradibus metaphysicis necessaria est Distinctio majorà parte rei, scilicet Formalis, ùt supra *quæst. 6. & 5.* satis probatum est: Ergo non valet Distinctio rationis ratiocinatæ pro præfatis distingvendis. Potissimam rationem Thomistarum in oppositum ex via compositionis metaphysicæ petitam, quam putant reperiri in DEO, ejusque Attributis Divinis positâ Distinctione Formali, & negata Distinctione rationis ratiocinatæ, vide solutam supra *quæst. 6. object. 3.*

5. *Distinctio rationis ratiocinantis admittitur.*

Dico secundò: Sola ergo Distinctio rationis ratiocinantis est retinenda in Schola Scoti, ùt verum membrum Distinctionis ùt sic; quæ sic ritè describitur; *est Distinctio orta præcisè ex vi intellectûs, rem omnino eandem concipientis inadæquatè, & dividentis in plura.* Ita sincerior cætus Scotistarum.

Prob. prima pars: Non sunt multiplicanda entia sine necessitate: sed nulla est necessitas multiplicandi aliam Distinctionem Rationis, præter Ratiocinantis: Ergo hæc sola retinenda est in Schola Scoti. Prob. Min. Ubicunque non adest pluralitas rerum & rerum, inter quas consurgit Distinctio strictè Realis; vel pluralitas formalitatum, inter quas emergit Distinctio Formalis; sufficit inadæquata conceptio intellectûs ratiocinantis, & varias relationes rationis affigentis, uni eidemque rei indivisibili sive cum, sive sine fundamento: ex quibus habetur Distinctio rationis ratiocinantis: Ergo nulla est necessitas multiplicandi aliãDistinctionem præter Ratiocinantis.

6. *Ut verū membrum Dist.*

Quòd autem hæc Distinctio sit verum membrum Distinctionis ùt sic; patet ex Aristotele *5. Met.* quia præter ens reale, datur quoque Ens rationis: Ergo etiam præter Distinctionem strictè realem,& laxè realem seu formalem, admitti debet Distinctio rationis, quæ est passio talis entis.

7. *Enucleatur descriptio Distinctionis rationis ratiocinantis.*

Prob. secunda pars elucidando descriptionem: ly *Distinctio* est genus; reliqua adduntur pro differentia: dicitur *Orta præcisè ex vi intellectûs*, ut distingvatur à Distinctione strictè Reali, & Formali, quæ à parte rei, etiam nemine ratiocinante intellectu consurgunt inter res, & realitates seu formalitates: apponitur *rem omnino eandem concipientis & dividentis in plura*; quibus verbis exprimitur modus, quo fabricatur ista Distinctio rationis ratiocinantis.

8. *Eadem Dist. est utilis.*

Ex hac descriptione infertur *primò*: Etsi Distinctio Rationis ratiocinantis non habeat fundamentum in re, sicut habet Realis, & Formalis, id est res & res, vel formalitates & formalitates; sed solam inadæquatam conceptibilitatem objecti, vel modum aliquem objecti, v. g. aliquam secundam intentionem prædicati, subjecti &c. utilis tamen est ad explicandas varias

rias objectorum conceptibilitates in ordine ad intellectum nostrum imperfectè concipientem; item ad dignoscendas prædicationes identicas, ut hæ à formalitatibus secernuntur: similiter conducit, ut exactam habeamus illarum rerum notitiam, quæ ex natura rei distinctæ sunt; & quæ beneficiò intellectûs discriminantur.

9. *Non consistit in sola repetitione conceptûs ejusdem.*

Infertur *secundò* contra Vasq. & Suar. hanc Distinctionem non consistere in sola repetitione ejusdem conceptûs de eadem re. Ratio est; quia quando objectum modò concipio grammaticaliter v.g. parietem in rectō casu; modò logicaliter v.g. per modum abstracti vel concreti, *ut sapiens & sapientiam*, quæ inter se sola Distinctione Rationis ratiocinantis distingvuntur, profectò tunc non facio simplicem repetitionem mei conceptûs, quò concipio illa diversimodè; sed formo diversum & diversum conceptum; quæ diversitas non oritur ex objectō; sed ex modo meo concipiendi juxta Scotum *1. d. 2. q. 7.* Circa Distinctionem Virtualem.

10. *Dist. Virtualis explicatur Thomisticè; & repudiatur ex Schola Scoti.*

Nota quartò: Thomistas (quibus subscribunt complures Neutristæ) per *Distinctionem Virtualem* intelligere illam, quæ inter plures perfectiones ejusdem rei versatur; non tamen actualiter à parte rei, quasi antecedenter ad omne opus intellectûs sit completa in esse Distinctionis; sed tantùm fundamentaliter, quatenus res eadem intellectui objecta præbet ipsi occasionem ob ejus eminentiam ac illimitationem quandam, distingvendi in ipsa plures perfectiones per plures conceptus inadæquatos. Hujusmodi Distinctio Virtualis sic Thomisticè explicata coincidit planè cum Distinctione Rationis ratiocinatæ, suprà *Notabili 1.* descripta: quare sicut illam è Schola Scoti eliminavi; ita & hanc ablegandam judico, si per hanc Thomistæ distinctum membrum ab aliis speciebus Distinctionum velint constituere. Neque specialem habet utilitatem sive in creatis, sive in Divinis, quæ non defactò sequatur ex Distinctione vel Formali, vel Rationis ratiocinantis: quare non est audiendus P. Mastrius *disp. 6. Met. q. 12.* qui eam ut specialiter utilem persvadere conatur, etiam in Schola Subtilium; minùs credendum ei est, dum ibidem vult eam à Scholæ nostræ Principe assertam; cùm ab eodem repudietur expressis terminis *1. d. 2. q. 7.* dum ait, *breviter ergo dico, omittendo illa verba de Distinctione rationis; & Distinctione Virtuali* NB. *non quòd sint malè dicta* (subaudi, si debitè explicentur, ut coincidunt cum aliqua Distinctione vera, puta cum *Formali*) *sed quia non oportet eis uti.* Circa Distinctionem Modalem.

11. *Alij sunt modi intrinseci, alij extrinseci.*

Nota quintò: Duo esse genera Modorum; alij enim sunt Modi *intrinseci & metaphysici*, id est qui magis intrinsecè essentias rerum intrinsecas determinant; talis est v. g. existentia respectu essentiæ, finitas respectu creaturæ, infinitas respectu DEI. Et *Extrinseci* seu *Physici*; qui extrinsecè, & velut accidentaliter res ipsas physicas determinant; talis est figura respectu quantitatis, sessio respectu sedentis. RR. solos extrinsecos hos admittunt; in quibus proinde fundant hanc Distinctionem suam Modalem, ut distinctum membrum ab alijs, docentes hos modos Extrinsecos, non esse res; quia se solo existere nequeunt; sed tantùm modificationem, & circumstantiam rei; unde describunt Distinctionem Modalem sic; est diversitas inter rem & ejus Modum, antevertens opus intellectûs. Sed

12. *Distinctio modalis extrinsecorũ modorũ nõ est specialis membrũ Dist.*

Dico tertiò: Distinctio Modalis Modorum Extrinsecorum non constituit tertium membrum contradistinctum à Distinctione reali, & rationis; sed est omninò realis. Est juxta Scotum *Quodlib. 3. art. 1. & in 2. d. 1. q. 5.* ubi ait, hanc esse contentionem de nomine, quia juxta varias acceptiones entitatis, & rei potest vocari *realis*, & *modalis*; quod & ipse fatetur Arriaga cum Pasqualio, dum dicit illam ab uno extremo, quod habet rationem modi, dici *Modalem*, & ab altero quod habet rationem rei, *Realem*.

Probatur tamen Conclusio; Modus Extrinsecus est separabilis à re cujus est Modus, absque eo quod res illa aliquid entitatis suæ amittat: Ergo erit ibi Distinctio Realis. Consequentia patet; quia separabilitas infert Distinctionem strictè Realem. Prob. ergo Ant. Modus habet diversam entitatem & essentiam à re modificata; imò & existentiam: Ergo est separabilis à re cujus est Modus: Prob. Ant. si unam haberent prorsus entitatem & existentiam, tunc utrumque desineret simul, vel neutrum; quia nil desinere potest, nisi etiam ejus entitas & existentia desinat; sed res modificata non desinit, v. g. Petrus mutato loco A. ad locum B. Ergo Modus habet diversam entitatem.

13. *RR. refelluntur.*

Dices cum RR. non esse mutuam separabilitatem inter Modum & rem, quæ re-

requiritur ad Distinctionem Realem. *Contra*, ad Distinctionem Realem non requiritur talis mutua separabilitas; quia juxta D. August. *lib. 6. Trin. c. 6.* figura, & magnitudo distingvuntur realiter; & tamen non dicunt mutuam separabilitatem. Unde adversarij committunt fallaciam consequentis, dum ad Distinctionem realem mutuam requirunt separabilitatem; non enim sequitur, sunt distincta realiter: Ergo sunt separabilia; bene tamen sunt separabilia: Ergo realiter distincta. Tandem ipsi adversarij docent, actum vitalem quà talem ob intriusecam & essentialem à potentia vitali dependentiam, neque per DEI potentiam, posse separari à potentia vitali, & conservari; & tamen est realiter à potentia distinctus: Ergo à pari idem dicendum de ipso Modo, & Modificato.

14. Modalis intrinseca ad Formalem reducitur.

Quantùm verò ad Modos Intrinsecos omissis placitis aliorum Scotistarum, dico Distinctionem Modalem versantem inter Modos intrinsecos, reducendam esse ad Distinctionem Formalem. Ratio est; quia sicut Modalis Extrinseca refertur ad Realem, ex eo quòd habeat extrema positiva, quamvis unum ab alio tantùm sit separabile; sic Modalis hæc intrinseca Distinctio referri potest ad Formale; quamvis unum extremum tantùm sit formalitas, & alterum Modus ejus.

15. Locus quidam Scoti reconciliatur.

Dices: Doctor *in 1. d. 3. q. 2.* dicit; conceptum Modi Intrinseci esse simpliciorem, quàm conceptum entis, vel formalitatis ejus, cujus est Modus; quia conceptus Modi Intrinseci v. g. conceptus infinitatis in DEO non est Attributum, nec passio ejus; sed est conceptus tantùm rei in gradu aliquo certo: Ergo fundabit etiam Distinctionem minorem Formali. Respondeo Neg. Conseq. ex loco enim Doctoris tantùm infertur Modum intrinsecũ non fundare Distinctionem Formalem proprijssimè dictam, id est versantem inter formalitatem & formalitatem; sed tamen fundat Formalem imperfectam; quia unũ extremum deficit à ratione formalitatis.

TRACTATUS QUARTUS.

De Universalibus.

PRÆFATIO.

UT organum decem Categoriarum, seu Prædicamentorum ab Aristotele constructum faciliùs intelligeretur, Porphyrius insignis Philosophus atque in doctrina Aristotelis, & Platonis versatissimus, Tractatum hunc de Universalibus seu quinque prædicabilibus (qui passim Isagoge Porphyrij, seu Introductio ad Categorias Aristotelis appellatur) composuit apud Lilibæum Siciliæ Oppidum existens aliàs, ibidem pro componenda historia ignis Æthnai occupatus. Occasionem huic Tractatui componendo dedit quidam Chrysaorius juvenis Patritius Romanus, qui cùm Romæ temporibus Aureliani, & Diocletiani Imperat: Aristotelis Categorias lustraret, easq; difficiles intellectu adverteret, eò quod passim continerent quinque vocabula obscura, genus videlicet, speciem, differentiam, proprium, & accidens; petijt eorundem explicationem â Porphyrio (qui erat natione non Phænix, ùt plures arbitrantur, sed Judæus, ùt advertit Baronius tom. 2. annal.) & sanè non absque re; nam qui ignorat Universalium seu horum quinque prædicabilium naturas, nunquam plenè intelligit Prædicamenta; hæc namque sunt quædam coordinationes generum, & specierum. De his proinde hìc potiùs, quàm in Metaphysica tractabo; cùm Categoriarum examen pariter in Logicam reponere intendam. Subjectum autem hujus Tractatûs non erunt

ipsa

ipsa quinque Universalia, sed Universale ut sic; nam Objectum scientiæ unius debet esse Objectum unum 1. Poster. text. 43. *Doctrina autem Universalium est una: Ergo & ejus Objectum, quod est universale ut sic, in quo univocantur omnia quinque prædicabilia.*

DISTINCTIO I.

De Universalibus in communi; & de Metaphysico.

QUÆSTIO I.

De quidditate; multiplicitate; Existentia; Distinctione; & Univocatione Universalium.

1. *Quid nomine Universale.*

Nota primò: *Universale* secundùm ethymon nominis dicitur quasi *unum versus alia*: secundùm acceptionem Logicorum, & Metaphysicorum est *quid unum ad multa pertinens.* Et aliud est complexum; aliud incomplexum. *Complexum* est quævis propositio universalis; talis est hæc: *Omne animal est vivens sensitivum. Incomplexum* describitur quòd sit aliquod unum in multis, & de multis; id est unū, quod dicit ordinem ad multa; tale est *animal.*

2. *Quadruplex Universale.*

Nota secundò: Universale incomplexum rursus aliud est *in causando*, & est illud, quod natum est concurrere ad plures effectus producendos; tale est DEUS, Sol, & Astra, quæ dicuntur causæ universales. Aliud *in significando*, & est illud, quod varias res diversæ naturæ significat; tale est hoc nomen *Canis*, quod cælestem, terrestrem, & marinum canem significat; Item *Cometa*, qui varios morbos, sterilitates &c. significat. Aliud *in repræsentando*, & est illud, quod plura simul repræsentat; tale est speculum, idea domûs &c. Aliud *in essendo*, & est id, quod potest esse in multis cum aliqua sui unitate; tale est natura animalis, quæ potest esse in suis inferioribus, homine & bruto: Hoc etiam vocatur Universale *Materiale, Fundamentale, & Metaphysicum*, de quo procedit ista Distinctio. Aliud tandem *in prædicando*, quod potest de pluribus prædicari; tale est secunda intentio generis, & speciei &c. hoc vocatur *Universale Logicum*; & ejus fundamentum est Universale Metaphysicum, seu in essendo; quia Universalia Logica seu secundæ intentiones nunquam essent veræ, nisi Universalia Metaphysica seu primæ intentiones, ut fundamenta eorum, veritatem fundamentalem exhiberent; unde ideo dicitur homo species prædicabilis, quia natura humana priùs est in Platone, & Socrate: de hoc sequens erit Distinctio: de utroque autem Metaphysico scilicet, & Logico totus præsens instituitur Tractatus

Dico primò: Rectè assignavit Porphyrius quinque tantùm Universalia tam Logica, quàm Metaphysica, genus videlicet, speciem, differentiam, proprium, & accidens. Ita Scotus *q. 12. univers. §. dicendum*; & sequitur Tatar. Joannes de Magist. Columb. & communis Dialect. contra Græcos agnoscentes solùm genus, & speciē & contra Cajet. ultra ista quinque; statuente individuum vagum; & contra quosdam Theologos, qui ex Mysterio Incarnationis septimum apponunt, quò natura substantialis dicitur assumptā de persona assumente, & vocant hoc *Universale assumptivum.*

3. *Porphyrius benè assignat 5. Universalia.*

Probatur prima pars de *Universalibus Logicis*: Tot sunt Universalia Logica, quot sunt prædicabilia; quia prædicabilitas est de essentia Universalis Logici: sed quinque tantùm sunt prædicabilia: Ergo & quinque tantùm Universalia Logica. Prob. Min. Quidquid est prædi-

cabi-

cabile aut est prædicabile *in quid*, aut *in quale*: si est prædicabile in quid, aut secundùm partem essentiæ, & totius potentialis; & sic est Universale quod vocatur *genus*; aut secundùm totam essentiam; & sic est Universale, quod dicitur *species*: si prædicetur in quale; aut prædicatur in quale essentiale; & habetur Universale, quod appellatur *differentia* aut in quale accidentale; & hoc vel est *accidens* convertibile, egrediens à principijs subjecti; & tunc habetur Universale, quod dicitur *proprium*: vel est accidens commune; & tunc habetur quintum Universale, quod vocatur *accidens*: Ergo quinque tantùm sunt Prædicabilia.

Probatur secunda pars *de Universalibus Metaphysicis*: Universale Metaphysicum pro formali consistit in unitate, & aptitudine ad essendum in multis; sed quinque tantùm modis aliquid potest inexistere multis: Ergo &c. Prob. Min. Naturæ quæcunque communes, vel possunt esse in multis essentialiter, vel accidentaliter; *si essentialiter*, vel ut tota essentia rei, & sic habetur *species*, quæ dicitur quidditas tota individuorum, ut docet Scotus *4. d. 3. q. 6.* quia hæcceitates pertinent ad esse materiale, & integritatem individui; non ad esse formale, & quidditatem: vel potest esse in multis ùt pars tantùm essentialis, & hoc dupliciter, vel ùt pars materialis, & contrahibilis; & habetur *genus*; vel ut pars contrahens, & habetur *differentia*. Si verò possit esse in multis *accidentaliter*, vel ùt accidens inseparabile, & habetur quartum Universale Metaphysicum scilicet *proprium*; vel ut separabile, & habetur quintum scilicet *accidens*; sed isti sunt tantùm diversi modi inessendi multis: Ergo quinque tantùm erunt Universalia Metaphysica.

4. *Quædam objectio præcluditur.*

Dices: Dantur naturæ communes infinitæ, Angelica, humana, bovina, equina, leporina &c. Ergo plura quàm quinque Universalia Metaphysica. Respondeo Neg. Conseq. licèt enim istæ, & similes naturæ sint inter se specie distinctæ; quia tamen omnes habent eundem modum inessendi suis inferioribus, puta ùt tota essentia, ideo diversa Universalia non constituunt: tota enim ratio diversitatis inter Universalia Metaphysica colligitur ex diverso inessendi modo.

5. *Objectiones resolvuntur; prima.*

Objicies primò: Species prædicatur per modum partis tantùm essentialis: Ergo non constituit distinctum Universale. Prob. Ant. ideo genus v. g. animal prædicatur ùt pars essentiæ v. g. hominis, quia per differentiam contrahitur ad essentiam, id est hominem: sed etiam species contrahitur per differentias individuales: Ergo &c. Resp. Neg. Ant. & Disting. Maj. Probat. Ideo animal prædicatur ùt pars essentialis, quia contrahitur, tantùm ideo Neg. Maj. propter alias etiam rationes simul repertas in animali Conc. Maj. Itaque animal, & quodcunque genus non ideo præcisè est genus, quia contrahitur; sed quia præterea non est quid completum; quod inde patet; quia non satisfit quærenti, quid est individuum hoc; si enim respondeatur *est animal*, non exprimitur completè tota essentia, quam quæro: at species, licèt etiam contrahatur, quia tamen completum quid est, & satisfacit quærenti, ideo non prædicatur ùt pars essentiæ; sed ut tota essentia, individuorum completa; aliàs si pars esset tantùm, Petrus, & Paulus essentialiter differrent; quia juxta Doct. omnis essentia est communicabilis, qualis non est Petreitas, & Pauleitas.

6. *Secunda.*

Objicies secundò: Tot modis dicitur unum oppositorum, quot & reliquum ex Aristotele 1. *Top. cap. 2.* Sed singularia opponuntur Universalibus, & sunt infinita quasi: Ergo & tot Universalia. Respondeo, hoc axioma Aristotelis non esse intelligendum de oppositis, acsi deberent esse tot opposita unius oppositi, quot alterius; non enim est necessarium, quòd tot sint alba, quot sunt nigra in mundo: loquitur ergo ibi Philosophus, ùt notat bene Scotus, de oppositione unitatis, & multitudinis, identitatis, & distinctionis, volens solùm dicere, tot esse modos unitatis; quot multitudinis; tot identitatis, quot Distinctionis v. g. genericæ, specificæ, & numericæ: & hoc est verum.

7. *Tertia.*

Objicies tertiò: Universale Assumptivum debet etiam admitti, de quo in *principio quæst.* nam homo est prædicabilis de Patre, Filio, & Spiritu S. si omnes humanam naturam assumerent: sed non est ullum ex his quinque: Ergo &c. Resp: Neg. Min. reduceretur enim ad quintum; quia homo esset prædicabilis de illis ùt accidens separabile.

8. *Quarta.*

Objicies quartò: Modus prædicandi sequitur modum essendi ex Aristotele: sed decem sunt modi essendi; quia decem T sunt

sunt modi essendi; quia decem prædicamenta: Ergo & tot Universalia. Respondeo Dist. Maj. sequitur modum essendi in se Nego Maj. sequitur modum essendi in alio Conc. Maj. Licèt ergo prædicamenta decem in seipsis existant diversimodè; si tamen considerentur ùt sunt in alio, tunc istis quinque modis tantùm insunt, ùt patet de substantia, & accidente, quæ licèt in se diversissima sint; eodem tamen modo in alio esse possunt, scilicet ùt pars essentialis, & contrahibilis; sic tam essentialiter contrahitur color ad albedinem, sicut animal ad hominem. Breviter ergo dico, quòd divisio prædicamentorum ideo multiplicata fuerit magìs, quàm divisio prædicabilium; quia in divisione prædicamentorū attendebantur naturæ entium secundùm rem, quæ quia decem sunt diversæ, ideo decem posita sunt prædicamenta: at in divisione Universalium attendebatur modus prædicandi, & connectendi naturas cum alijs, & hic est quintuplex tantùm.

Nota tertiò: Hæc Universalia dici à Porphyrio *Prædicabilia*; quia sunt termini magìs communes; terminus autem communis in propositione semper dicitur prædicatum, & prædicabile.

9. *Quæ sint conditiones Universaliū hic definitorum.*

Nota quartò: Porphyrium, & DD. communiter per quinq; Universalia enumerata intelligere sola Universalia prædicamentalia: unde excluduntur transcendentia, v. g. ens, unum, bonum, quæ etsi de pluribus prædicentur; non tamen censentur esse propriè Universalia, de quibus hìc. Item per ea intelligunt aliqua completa saltèm realiter; unde à ratione talium excluditur anima rationalis. Dico *saltèm realiter*; quia differentiæ metaphysicæ hìc non excluduntur, etiamsi sint incompletæ formaliter. Pariter per ea intelligunt sola univoca: unde à ratione Universalium hic excluduntur analoga, & æquivoca, cujusmodi est individuum, quod de pluribus puta Platone, & Socrate prædicatur æquè, ùt habet Scotus *1. dist. 25. q. unic.* Tandem per ea intelligunt sola determinata: unde excluditur individuum vagum. Ratio horum omnium est; quia in hoc Tractatu cum Porphyrio agitur de solis illis Prædicabilibus, quæ ponuntur in prædicamentis, vel directè, ùt genus, & species; vel à latere, ùt differentia; vel per reductionem ùt proprium, & nonnulla accidentia communia; de quorum numero non sunt illa, quæ mox exclusa sunt.

Nota quintò: Tametsi ex hactenus dictis pateat dari Universalia, quæ quinque sunt numerò: quia tamen Heraclitus, & Cratyllus pertinaciter hoc negant, putantes omnia in perenni fluxu esse, corruptioniq́ue obnoxia, ac proinde nulla in rebus adesse Universalia; idcirco contra eosdem libet existentiam Universalium ampliùs proponere, & suadere. Unde

10. *Extant Universalia.*

Dico secundò: Dantur in rebus vera Universalia. Ita Scotus *q. 4. Univers.* Aristoteles, Socrates, & communis Philosophorum.

Probatur primò authoritate Aristotelis, qui sæpe commemorat Universalia; nam *1. Periher. cap. 5.* dividit res in Universales, & singulares; adeoque asserit dari vera Universalia. Et *3. ejusdem operis text. 58.* ait, *intellectus est Universalium, & sensus singularium*: & alibi sæpe: Ergo dantur vera Universalia.

Probatur secundò ratione: Tum quia defactò dantur objecta scientiarum quarundam: sed objecta scientiarum sunt Universalia quædam *7. Met. text. 14.* quia de singularibus nō habetur scientia *1. Post. text. 62.* cùm singularia nō habeant passiones proprias scibiles, & demōstrabiles: Ergo danturUniversalia. Tum quia dantur naturæ cōmunes Metaphysicæ à parte rei; & consequenter universales; ut in *sequentibus quæstionibus* patebit: Ergo &c.

11. *Qua ratione distingvātur Universalia.*

Quæres primò: Qua ratione distingvantur inter se quinq; Universalia? Respondeo *primò*: si Universalia Logicè considerentur ùt sunt quædam secundæ intentiones, distingvuntur sola ratione ratiocinantis; ùt habet P. Lychetus. Ratio est; quia distinctio proportionatur extremis; unde cùm Universalia Logicè considerata sint quædam entia rationis, non quidem chimærica; sed fundata, ut suprà *Tract. 2. dist. 1. q. 5.* ostensum est; idcirco & eorum distinctio erit duntaxat rationis. Respondeo *secundò*: si verò Universalia metaphysicè attendantur; quædam participabunt distinctionem strictè realem; quædam verò formalem Scotisticam, ut vult P. Columbus. Ratio primi est; quia quædam Universalia metaphysica sunt inter se separabilia, puta Universale, quod est substantia, & Universale quod est accidens; patet in Sacramento Evcharistiæ, ubi accidentia panis, & vi-

& vini separata manent à substantia, per Consecrationem destructâ: Ergo hæc duo ratione talis separabilitatis (quæ signum est distinctionis strictè realis) participabunt Distinctionem strictè realem. Ratio secundi; quædam verò Universalia sunt inseparabilia; habent tamen definitiones distinctas; ut Universale generis, quod dicitur animal, & Universale risibilitatis, quod dicitur proprium: Ergo hæc participabunt Distinctionem formalem Scotisticam.

12. Universale ut sic est univocũ respectu 5 universalium.

Quæres secundò: Num Universale ut sic sit univocum respectu quinq; Universalium? Respondeo affirmativè; ùt patet ex Scoto *quæst. 8. Universalium*, & habet P. Mayr. Fuente &c. contra Ammon. Suar. &c. Ratio est; ut aliquid sit univocum pluribus, sufficit, quòd secundùm idem nomen, & eandem rationem conveniat eis; ùt docet Aristoteles *cap. prædicam.* sed sic convenit quinque Universalibus Universale ùt sic; quodlibet enim eorum est unum aptum prædicari de multis, quæ est ratio, & definitio Universalis ùt sic: Ergo &c.

13. Et genus respectu specierum.

Quæres tertiò: Utrum Porphyrius assignando quinque Universalia fecerit divisionem Universalis ùt sic tanquam veri generis in suas species? Respondeo affirmativè cum Scoto *quæst. 5. Univers.* Ratio est; quia Universale enuntiatur de omnibus quinque ùt speciebus subalternis, & quidem secundùm idem nomen, & eandem rationem; sicut animal de homine, & bruto; quod sufficit ad esse genus respectu aliquotum.

14. Sed mediatum tantùm.

Quæres quartò: An ulteriùs fecerit divisionem tanquam generis immediati? Respondeo negativè cum eodem Doctore. Ratio est; quia Universale non descendit immediatè in istas quinque species subalternas, genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens; sed dividitur in illud, quod prædicari potest de multis essentialiter, & inesse multis essentialiter; ac in illud, quod prædicari potest accidentaliter de multis, & inesse accidentaliter multis: Et hæc duo divisionis membra iterum subdividuntur: adeoque cùm priùs Universale dividatur in ista duo membra, illa constituunt duo genera intermedia; quæ postea subdividuntur in solitas quinque species, à Porphyrio assignatas.

QUÆSTIO II.

De Universali Metaphysico; num consistat in nominibus, vel conceptibus?

1. Describitur Universale Metaphy.

Dico primò: Universale Metaphysicum benè describitur, quòd *sit ens unum aptum inesse pluribus cum sui multiplicatione.* Ita Philosophus 7. *Met. text. 45.* & communis Philosophorum.

Probatur: Hæc descriptio aptè exprimit naturam Universalis Metaphysici; uti patebit explicando singulas ejus partes: Ergo &c. Ly *Ens*, intellige positivum, ponitur locô generis; per quod excluduntur etiam à ratione Universalis hìc definiti negationes, privationes, & entia rationis; hic enim agitur de illo solo, quod conducit ad prædicamentorum cognitionem; sed sola entia positiva serviunt ad prædicamentorũ cognitionẽ; cùm in prædicamentis sola entia positiva collocentur: Ergo &c. Dicitur *Unum*, id est per se, ut excludantur entia per accidens; quia & hæc ad cognitionẽ prædicamentorum non juvant, ubi ponuntur sola entia per se. Dicitur *aptum inesse pluribus cum sui multiplicatione*, per quod datur intelligi, quòd Universale debeat esse talis naturæ, quòd licèt defacto non sit, possit tamen esse multiplicatum, & divisum per plura inferiora cum formali multiplicatione, & divisione: & hinc excluditur hic Essentia Divina, quæ licèt defacto sit identificata pluribus Personalitatibus Divinis, distinctis realiter, uti docet Fides Catholica; tamen in eis non est cum multiplicatione reali, & divisione actuali; non enim verùm est, quòd in Patre, Filio, & Spiritu S. sint distinctæ tres Essentiæ, & tres Dij: Non excluditur tamen per hanc particulam differentialem natura Solis, & Lunæ v. g. quæ licèt defacto non sint multiplicatæ per plura individua; possunt tamen multiplicari, si DEUS plura individua Solis, vel Lunæ produceret.

2. Qua ratione unum, & multa dicant oppositionem.

Objicies: Unum, & multa dicunt oppositionem: Ergo Universale nequit esse unum, & etiam aptum multiplicari: Ergo mala descriptio. Respondeo Dist. Ant. unum, & multa dicunt oppositio-

nem, si unum, & multum sint respectu ejusdem immediatè, & secundùm idem Conc. Ant. si sint respectu diversorum,& secundùm diversas considerationes Neg. Ant. In proposito ergo Universale aliô modô est unum, & aliô modô multa. Unum est secundùm unitatem genericam; & multa secundùm pluralitatem vel specificam, vel individualem; & sic animal v. g. est genericè unum Ens; specificè autem in plures species distributum, quod non implicat; bene tamen implicaret, si esset unum genere, & multa genere simul.

3. *Unde Nominales sic dicti; & Reales.*

Nota primò pro sequenti Conclusione: Nominales qui sic dicti sunt, quia multa nominibus tribuunt, autumant Universalia Metaphysica esse quædā duntaxat nomina, vel conceptus, plura singularia immediatè significantes. Sed

Dico secundò: Universalia Metaphysica nec sunt aliqua nuda nomina, nec aliqui conceptus duntaxat. Ita colligitur ex Scoto *2. d. 3. q. 1. & quæst. 4. Univers.* quem sequitur utraque Schola Realium, scilicet Scoristica, & Thomistica, sic dicta, quia asserit naturas reales pro Universalibus contra Nominalismum, in quem hôc sæculô videntur incidisse recentiores scriptores Societatis, Hurtad: Arriaga, Oviedo &c.

4. *Universalia Metaphysica nō sunt nuda nomina.*

Probatur prima pars primò authoritate S. P. Anselmi: qui *lib. 1. de Incarnat. cap. 2.* rejicit opinionem Nominalium, & ait, quòd *sint monendi illi utique nostri temporis Dialectici, qui quidem non nisi flatum vocis putant esse universales substantias*: Ergo &c.

Probatur secundò authoritate Philosophi; qui res, non autem nomina, & voces appellat Universale; ùt videre est *1. Poster. cap. 2.* Et quando disputat *7. Met. text. 51.* contra Platonem, supponit Universalia esse entia quædam; non verò nomina; & docet talia entia non existere extra singularia, quasi sint ab his separatâ: Ergo &c.

Probatur tertiò ratione: Tum quia Universalia dicuntur æterna, abstrahere â singularibus, deque illis prædicari ùt superiora de inferioribus, ùt contra P. Occam acutè urget P. Lychetus: sed hæc non conveniunt nudis nominibus: Ergo &c. Tum quia definitio est Universalium ex Aristotele *7. Met. text. 45.* Sed definitio non explicat naturam nominum: Ergo rerum Universalium: Ergo non nomina, sed aliquæ res sunt illa Universalia, quæ Metaphysica dicuntur.

5. *Neg. conceptus formales intellectûs.*

Prob. secunda pars: Tum quia Universalia Metaphysica ingrediuntur essentiam singularium, v. g. rationale, quæ est differentia, & Universale Metaphysicum, est de essentia Platonis; & irrationale de essentia Bucephali: conceptus autem formales sunt extra essentiam singularium; quia sunt in intellectu: Ergo &c. Tum quia conceptus, seu cognitio animalis, & hominis non immediatè terminatur ad omnia singularia contenta sub animali, & homine: Ergo immediatum objectum talis conceptûs formalis erit aliqua natura illis communis, & realis: Ergo â parte rei præter singularia dantur naturæ communes, in quibus proinde consistet Universale Metaphysicum. Probatur Ant. quia tam voces, quàm conceptus formales illi significant tes immediatè secundùm illam rationem, secundùm quam concipiuntur res; sed per tales voces, & conceptus inferiora non concipiuntur secundùm rationem singularitatum, aut differentiarum: Ergo significant immediatè naturas communes. Prob. Min. illi conceptus sunt universales, & præscindentes â singularitatibus,& differentijs;quia ex vi illius conceptûs individua conveniunt, & non distingvuntur: Ergo per tales conceptus inferiora non concipiuntur secundùm rationes proprias: Ergo dantur naturæ communes â parte rei, per hos conceptus conceptæ.

6. *Conceptus formalis nō significat immediatè singularia cōfusè cognita.*

Dices primò cum Arriaga: Conceptum formalem hominis v. g. non significare immediatè naturam aliquam communem Platoni, & Ciceroni; sed immediatè ipsa singularia Platonis, & Ciceronis; confusè tamen cognita, sine Distinctione inter illa. *Contra primò*: quæro ab Arriaga, quæ est illa ratio, in qua confunduntur simul, & communicare dicuntur Plato, & Cicero v. g. non est ratio aliqua particularis; quia in particulari quâ tali implicat plura communicari: Ergo est ratio aliqua communis: Ergo â parte rei datur natura communis. *Contrà secundò*: si significet confusè singularia Platonis, & Ciceronis, vel significat ipsa copulativè sumpta, vel disjunctivè: non copulativè; quia cùm totum, quod concipitur ex parte prædicati, debeat affirmari de subjecto, hinc si per hoc prædicatum *homo* copulativè significetur Plato, Cicero, & omnia singularia naturæ humanæ, omnia quoq; affir-

affirmari deberent de Platone; quod est falsum. Nec etiam disjunctivè; ùt putat Hurt. quia aliàs etiam in hac propositione *Petrus est homo*, ly *homo* vagè, & indeterminatè acciperetur; quia disjunctivè sic resolvi deberet, Petrus est hic, vel hic homo; & esset idē, ac Petrus est aliquis homo; quod non est verum: Ergo &c.

7. *Quædam replica refellitur.* Dices secundò: Omnia singularia quidem significare immediatè copulativè; sed inadæquatè, & sic v. g. conceptus hominis est inadæquatè prædicabilis de Platone, & Cicerone, & quocunque alio individuo, id est, una natura humana de uno, alia de alio; quod sufficit, ut sit prædicabilis de pluribus; intellectus enim tunc non discernit inter partem, & totum, & sic totam collationem individuorum de unoquoque prædicar seorsim sumpto inadæquatè. *Contrà*; quia tunc in qualibet propositione propria natura prædicabitur de proprio individuo; & ita dum dicimus *Petrus est homo*, non erit prædicatio superioris de inferiori; sed ejusdem de seipso: ut hunc solvat nodum Arriaga, mirabilia dicit, & parùm ad propositum.

8. *Aristoteles exponitur pro ass[er]tio[ne].* Objiciunt primò Nominales: Aristoteles asserit Universale non consistere in aliquo reali: Ergo censet illud consistere in nudis nominibus communibus, & conceptibus. Probat. Antec. nam 7. *Met. text. 25.* ait, *impossibile est substantiam esse quodcunque eorum, quæ universaliter dicuntur*; Ergo censet Philosophus Universalia non esse res; sed nomina communia duntaxat significantia. Respondeo Neg. Ant. & interpretor Philosophum, dicoque eum solùm velle, quòd substantia non sit Universale Platonicum, id est separatum à singularibus, de quo *sequenti quæst.* cum quo stat quòd sit Universale, quod importat naturam communem, imbibitam in singularibus.

9. *Rursus alius textus ejusdem reconciliatur.* Objiciunt secundò: Significare spectat ad nomina; quia nomen definitur, quòd sit vox significativa ad placitum: sed Universalia significant: Ergo Universalia sunt nomina. Prob. Min. ex Aristotele qui *cap. de substant.* docet, quòd secundæ substantiæ, quæ inter Universalia numerantur, significent quale quid: Ergo &c. Respondeo Neg. Min. & ad Philosophum dico, ipsum usum esse *loc. cit.* metonimiâ, sumendo nomina pro rebus, quod explicat 1. *Elench.* similitudine calculorum, qui pro pecunijs supponantur; unde *loc. cit.* dicit, primas substantias significare hoc aliquid; certum autem est primas substantias non esse nomina; sed veras res singulares per se subsistentes. Et similis modus loquendi habetur etiam in S. Scriptura *Luc. 2.* ubi dicitur; *videamus verbum, quod factum est*, hoc est rem, quæ facta est. Reliquas Objectiones Nominalium, & RR. solvam *sequenti quæst.* ubi adstruentur naturæ reales communes, & universales metaphysicæ.

QUÆSTIO III.

Utrum Universale Metaphysicum consistat in Ideis Platonicis; vel Naturis communibus realibus, quæ singularibus sunt immersæ?

1. *Imputatur Platoni Idearū separatarū assertio.* Nota primò: Aristoteles 1. *Met. cap. 7.* & 7. *Met. cap 6.* narrat Platonem suum Magistrum sensisse, dari quoddam Universale Metaphysicum; sed illud esse entitatem quandam separatam à singularibus, positam vel supra cælum Empyreum in spacijs imaginarijs, vel in cornibus Lunæ, cujus participatione haberent omnia singularia suum esse: has entitates appellavit *Ideas*, ingenerabiles, & incorruptibiles, ac coævas DEO, ita ut corruptis singularibus ipsæ non corrumpantur; sicut v. g. dicebat Plato, per impressionem unius sigilli aurei in pluribus ceris plures efficiuntur sigillationes partiales, quibus omnibus corruptis tamen adhuc remanet sigillum separatum; & sicut ex uno foco multæ accenduntur faculæ focô illæsô, ita corruptis omnibus singularibus, & productis multis singularibus, ac vitali animâ accensis, adhuc Idea principalis, & separata remaneat illæsa, atq; integra v. g. productis, & corruptis infinitis lilijs in terra, adhuc Idea lilij complera in loco suo perseverarct. Ita videtur sensisse Plato *in Timæo Theateto 5. & 10. de Repub.*

2. *Sed defenditur à D. Aug. & P. Alensi.* Verùm D. *Aug. lib. 83. qq. q. 46.* Et Scotus *in 1. d. 35. q. un. §. ad ista*; item doctissimus P. Alensis ex Ordine Min. Ma-

Magister D. Thomæ, & D. Bonaventuræ Platonem defendunt, dicentes eum nunquam hæc somniâsse; sed quando Ideas docuit, intellexisse per illas certas quasdam rationes principales rerum creandarum in mente Divina, quæ secundùm August. *sunt exemplaria æterna, & incommutabilia in mente Divina, secundùm quæ qualibet res à DEO ad extrà formabilis est, antequam formetur*: & in hoc sensu assignando Ideas non erravit Plato; quia revera tales Ideæ dantur in Intellectu Divino, ùt docetur *in 1. sententiarum*. Dicit ultrà D. August. Platonem ab his Divinis Ideis dictum esse *Platonem divinum*. Quidquid sit, an Plato in hoc secundo sensu eas posuerit; saltèm in primo ponere non potuit; unde contra eum.

3. *Universale Met. nō est à singularibus avulsum.*

Dico primò: Non datur Universale Platonicum à singularibus avulsum. Ita Aristoteles *locis citatis*. Et Scotus *1. Poster. quæst. 31. Et 1. d. 35. q. un.* Et sequitur communis Peripateticorum.

Probatur primò: Illæ Ideæ si darentur, non essent Ens increatum, & DEUS: Ergo essent creatum quid: sed omne creatum, cùm producatur per actionem singularem, est in singularibus: Ergo non datur Universale Platonicum avulsum à singularibus.

Dices: illud Universale esse unam puram essentiam, nullam includentem conditionem individuantem; adeoque non est singulare. *Contrà*: Illa essentia ad minùs existit; Ergo est una; quia omne quod existit, est unum: Ergo si habet unitatem, habet & cæteras conditiones individuantes, sequentes necessariò ad unitatem: Ergo non est pura essentia; sed essentia cum individuatione.

Probatur secundò: evertendo rationes, ob quas Plato posuit has Ideas separatas. Prima ratio ejus est; quia datur in rerum natura scientia: sed scientia est tantùm de Universalibus; non de singularibus: Ergo dari debent Ideæ Universales. *Contrà*; juxta Aristot. *7. Met. cap. 26.* tunc res perfectè scitur, cùm scitur ejus propria essentia: sed essentia sciri potest sinè his Ideis: Ergo &c. Prob. Min. quia essentia Platonis sciri potest per definitionem animalis rationalis sinè hoc homine separato Platonico: Ergo essentia cujusque rei sciri potest sinè Ideis. *Secundò*: De accidentibus habetur scientia; at horum Plato non posuit Ideas, sed solarum substantiarum: Ergo &c. *Tertiò*: Dantur etiam Universalia, quæ sunt immersa singularibus; de his proinde haberi adhuc potest scientia sinè separatis Ideis.

Secunda ratio Platonis est; quia ideo ponendæ sunt, ut generatio univocorum ab eis facta conservetur; & simile generet simile per participationem hujus Ideæ. Ergo &c. *Contrà*: Detractò non obstantibus his Ideis fit generatio æquivoca (id est, in qua effectus non assimilatur causæ in entitate) utì patet de igne, qui ex ferro, & lapide nascitur per affrictionem: item de rana, quæ nascitur ex pluvia, & pulvere: Ergo ex hoc motivo non sunt ponendæ.

Tertia ratio Platonis est; ponendæ sunt Ideæ, ut inferiora conserventur per earum influxum: Ergo &c. *Contrà*. Inferiora conservantur sufficienter per concursum DEI, & influxum cælorum: Ergo &c.

Quarta, & ista fuit fundamentalis ejus ratio; omne quod est tale per participationem, debet reduci ad aliquod primum, quod non sit tale per participationem, sed per se tale: at singularia sunt talia per participationem: Ergo debent reduci ad aliquod primum: sed illud primum non potest esse in singularibus; quia est ens per se, & substantia: Ergo per se existens sinè alio; & consequenter sinè singularibus. Ad hanc rationem Conc. totum Syllogismum; ad subsumptum Distingvo illam propositionem, est ens per se, id est, non ex ens per accidens, ad existentiam alterius subjecti existens tantùm Conc. Ant. est per se ens, id est solitariè sinè substantia singulari Neg. Ant. & Consq.

Confirmatur conclusio: Universalia sunt de essentia singularium: Ergo extra illa esse nequeunt: Ergo neque illæ Ideæ.

4. *Univers. Met. est quædā natura commūnis.*

Dico secundò: Universale Metaphysicum consistit in natura communi reali, sed quæ perpetuò singularibus est immersa; ac cum eis realiter identificata; formaliter tamen ab eis distincta. Prima pars est Scoti *1. dist. 25. q. un. & 10. Met.* & suorum; contra Nominales, & RR. Secunda pars est Aristotelis *7. Met. 31.* & communis Peripat. contra Platonem. Tertia est contra Jand. dicentem, illas naturas communes esse realiter distinctas à singularibus, quibus immersæ sunt. Quarta est Scoti *2. dist. 3. q. 1.* & totius Scholæ Subtilium; contra Thomist. & RR.

RR. ponentes distinctionem rationis ratiocinatæ, seu virtualem.

Probatur prima pars primò authoritate Philosophi: qui *1. Perher. cap. 5.* dividit res in Universales, & singulares: Ergo dantur res, seu naturæ communes reales; ac consequenter in ipsis consistit Universale metaphysicum. Et *7. Met. text. 46.* dicit; essentia animalis communis est homini, & bruto: ubi per essentiam communem intelligit naturam communem realem: Ergo &c.

Probatur secundò authoritate SS. PP. agnoscentium naturas communes reales; unde D. Augustinus *19. Civit. cap. 12.* ait; *quisquis mecum res humanas, naturamq; communem utcunque intuetur, agnoscit.* Idipsum videre est apud D. Damascen. *lib. 1. Fid. cap. 12.* Et S. Chrysost. *hom. 3. in 1. Cor. 3.* Ergo in ipsis consistit Universale metaphysicum.

Probatur tertiò ratione deducta ex veritate prædicationis, in qua natura Universalis enunciatur de singulari; quando dico *Petrus est homo*, immediatum hominis significatum prædicatur de Petro; & tamen tota individuorũ collectio confusa non prædicatur de Petro; ut putant RR. Ergo prædicatur aliqua natura communis realis distincta ab illa collectione, in qua consistit Universale metaphysicum. Prob. Ant. si tota individuorum collectio tunc prædicaretur de Petro, Petrus esset Paulus, Plato, Joannes, & omnis homo: Ergo illa nequit prædicari.

5. Oviedonis instantia extenuatur.

Dicies cum Ovied. hoc argumentum quoque procedere contra nos Scotistas objectivè præscindentes; quia in nostra sententia Universale v. g. homo etiam continet plures rationes abstractas, inter se distinctas, quarum collectio de nullo inferiori prædicari potest. Dicit ergo aliter, quòd illa prædicatio *Petrus est homo* non sit naturæ Universalis propriè; quia prædicatum non retinet suam Universalitatem; cùm contrahatur ad Petreitatem, & per eam circumscribatur; dicitur tamen prædicatio naturæ Universalis; quia habet prædicatum illius naturæ communis, quæ ante continebatur in illo Universali, quod per collectionem inferiorum erat constitutum, & dicebatur *homo:* & sic est prædicatio superioris de inferiori quoad modum tantùm; non quoad rem: *Contrà* ad primum; falsum est, quòd illud argumentum etiam contra præscindentes objectivè militet; nam in nostra, & omnium præscindentium sententia, Universale continet unam tantùm rationem communem, & de omnibus prædicabilem; non verò aliquam collectionem. *Contrà* etiam ad Responsionem Oviedonis; si hæc prædicatio *Petrus est homo*, est quoad modum tantùm in sensu explicato Universalis: Ergo cùm prædicatum non habeat in re majorem latitudinem, quàm subjectum, erit prædicatio nugatoria, id est ejusdem de seipso; quia nil concipitur sub ly *homo*, quod non concipitur sub ly *Petrus*. *Secundò*, falsum etiam est, quòd non sit prædicatio propriè superioris de inferiori; nam dum dicitur *Petrus est homo*, aut ille conceptus *homo* est natus verificari tantùm de Petro; aut etiam de Paulo; non de Petro tantùm: Ergo etiam de Paulo; Ergo prædicatum illud latiùs patet: Ergo est Universale, & superius de inferiori.

6. Stabilitur conclusio.

Probatur quartò eadem pars: Datur à parte rei ratio communis, in qua Plato, & Cicero ùt in principio conveniêntiæ assimilantur, etiam nemine cogitante intellectu: sed illa est sola natura humana communis: Ergo dantur naturæ communes reales metaphysicæ; & consequenter in eis consistit Universale metaphysicum. Prob. Min. Illa ratio non potest esse singularitas, nec collectio omnium singularitatum simul: Ergo natura communis humana. Prob. Ant. Non singularitas; quia hæc est principium disconvenientiæ unius singularis ab alio; non etiam collectio; quia collectio illa in qua Nominales statuunt Universalitatẽ v. g. naturæ humanæ, explicitè prædicari nequit de unoquoque; non enim est bona prædicatio, *Plato est collectio singularium*, vel *omnis homo*, quod idem est; quia per hoc complexum *omnis homo* explicatur collectio illa.

7. Rationes Hurtadi contra naturas communes rejiciuntur.

Objicit primò Hurtado longum elenchum argumentorum contra hanc partem Conclusionis; sed omnes quasi petunt principium. Præcipua est ista; objectum immediatum actus Universalis v. g. *homo* prædicatur de Petro, & Paulo: sed de illis nil est immediatius prædicabile in recto, nisi ipsæmet inferiora; & non natura communis: Ergo &c. Respondeo Neg. Min. sed est aliqua natura communis; aliàs illæ prædicationes v. g. *Petrus est homo*; *Paulus est homo*, essent iden-

identicæ, & nugatoriæ, si inferiora prædicarentur immediatè.

8. Ejusdē authoris aliæ machinæ infringuntur.

Objicit præterea idem Author primò: Hæ naturæ communes, si darentur, essent existentes: sed omne existens est singulare; quia vi alicujus actionis existit; actiones autem sunt circa singularia *1. Met. text. 1.* Ergo &c. *Secundò*; Existentia est actus rei singularis: Ergo &c. *Tertiò*: si deberent admitti Universalia talia, maximè ut de eis habeatur scientia, quæ est de Universalibus: sed de singularibus etiam haberi potest scientia; ut patet de DEO in Theologia: Ergo &c. Respon: ad *Primum* Dist. Min. omne existens terminans primariò, & immediatè actionem productivam, est singulare Conced. Min. omne existens quod concomitanter producitur tantùm ad alterius productionem, uti sunt istæ naturæ communes, est intrinsecè singulare Neg. Min. & in hoc sensu actiones etiam sunt circa Universalia, ut docet Doctor *3. d. 22. quæst. un.* *Ad secundum* Dist. Ant. existentia perfecta, & ultimata Conc. Ant. existentia illius, quod mediantibus alijs tantùm existit, uti sunt naturæ communes existentes mediantibus singularibus, Neg. An. *Ad Tertium* Neg. Min. & ad Rationem de DEO dico; ideo de ipso adhuc haberi posse scientiam, quia est summè necessarius; quod nō currit de alijs singularibus.

9. Naturæ communes sunt singularibus immersæ.

Probatur secunda pars de perpetua immersione naturæ communis in singularibus: Tum quia implicat essentiam, vel partem essentiæ esse extra rem, cujus est essentia: sed naturæ communes metaphysicæ sunt de essentia singularium: Ergo ipsis sunt perpetuò immersæ. Tum quia nullum signum distinctionis realis convenit naturis communibus, & singularibus; non enim sunt à se invicem separabilia; nec unum est causa alterius; nec habent diversam subjectationem, quæ tria sunt signa distinctionis realis aliquorum: Ergo non distingvuntur realiter.

10. Et identificata realiter.

Probatur tertia pars de identificatione reali: adest sola distinctio formalis inter gradus metaphysicos; natura autem communis est gradus metaphysicus entitatis alicujus singularis v.g. Petri, & formalitas constitutiva ejus; adeoque neqnit ab eo realiter separari: Ergo non distingvitur realiter natura communis à singularibus; & consequenter est realiter identificata ipsis.

Confirmatur: Unica tantùm est in quolibet individuo à parte rei individualis differentia, per quam natura specifica in eo existens est singularis, & meritò ejus omnes gradus superiores; unde per eandem differentiam individualem Petrus fit hæc individua substantia, hoc corpus, hoc vivens, hoc animal, & hic homo; Ergo pariter dabitur unica tantùm existentia individui, per quam omnes gradus prædicamentales existunt: Ergo nullus eorum potest realiter separari, & distingvi à communi constituto; & consequenter nec natura communis, quæ est similis gradus, imò multi tales gradus simul; quia ad distinctionem realem requiritur propria existentia rerum distinctarum.

Probat. rursus eadem pars: si natura communis realiter distingveretur ab hæcceitatibus, ut vult Jandunus, posset transmutari de una differentia in aliam; nam quando res potentialis est prior, respicit plures oppositas actualitates ut distinctas realiter, potest DEUS saltèm illam transmutare de una in aliam; ut patet de materia prima, quæ de una potest transire in aliam formam; sed hoc dici nequit: Ergo &c. Prob. Min. aliàs animalitas hominis posset fieri animalitas leonis, imò dari animal, quod nec sit rationale, nec irrationale, sed spoliatum omni differentiâ, uti spoliari potest materia prima omni formâ; quod esset summè monstrosum: Ergo &c.

11. Quæ contradictoria arguāt distinctionem realem.

Objicies: de natura cōmuni, & singularitatibus à parte rei verificantur contradictoria; nam natura communis est contrahibilis; differentia verò individualis non; sed dicitur contrahens: Ergo distingvuntur realiter inter se. Respondeo Neg. Conseq. nam non quæcunque contradictoria sunt sufficientia ad distinctionem realem strictam; sed sola illa, quæ conveniunt toti rei absolutè, non ratione alicujus formalitatis inclusæ præcisè, & quæ spectant ad esse identicum entitativum, ac physicum rei, ut; sunt existentiæ, & non existentiæ; produci, & non produci: alia verò contradictoria, quæ respiciunt esse formale rei, ut esse sensitivum, & discursivum in homine, non inferunt distinctione mrealem strictè; & talia contradictoria sunt inter naturam, & singularitatem.

Dices: omnia contradictoria æquè repugnant: Ergo &c. Respondeo Dist. Ant.

Ant. omnia contradictoria æquè repugnant quoad veritatem Conc. Antec. quia cùm omnia affirmationem, & negationem puram importent, planè secundùm idem de eodem verificari nequeunt: æquè repugnant quoad distinctionem inferendam, Neg. Ant. nam quoad distinctionem inferendam aspicienda sunt extrema, quibus contradictio commensuratur, quæ si formalia sint, distinctio erit tantùm formalis; si realia, erit realis.

12. *Qualiter oppositio solvitur.*

Objici secundò Aristotelem *5. Met. 16.* dicentem; priora naturâ dicuntur illa, quæ possunt esse sinè alijs, non alia sinè ipsis: sed natura communis est prior singularitatibus: Ergo potest esse sinè ipsis: Ergo distingvitur realiter ab ipsis. Respondeo *primò* cum Scoto *2. d. 12. q. 2.* illam propositionem Aristotelis esse veram tantùm, quandò prius est realiter distinctum â posteriori; quod in proposito non habetur. Respondeo *secundò* cum Lycheto, naturæ communi ut priori secundùm se non repugnare quidem esse sinè alijs, id est singularitatibus; repugnat tamen ei ex aliquo concomitante; quia ipsa natura necessariò, & ab intrinseco originat singularitatem, & ex hoc implicat ipsam esse sinè singularitate.

13. *Natura communis formaliter disting. â singularitate.*

Probatur quarta pars de formali distinctione naturæ communis â sua singularitate: naturis communibus, & singularitatibus earum conveniunt prædicata contradictoria, ex quibus Scotistæ rectè arguunt distinctionem formalem aliquorum: Ergo naturæ communes sunt formaliter distinctæ â singularitatibus. Prob. Ant. naturæ communi animalis v. g. convenit esse rationem aliquam, in qua plura inferiora, puta Plato, & Bucephalus conveniunt; & singularitatibus Platonis, & Bucephali, quæ identificantur realiter cum animali, non convenit esse rationem, in qua plura conveniunt; imò sunt ratio, in qua plura differunt: Ergo naturis communibus, & singularitatibus eorum conveniunt prædicata contradictoria.

QUÆSTIO IV.

In quo consistat communitas Universalis Metaphysici, seu aptitudo ad essendum in multis?

POsteaquã priori qu. ostensum est Universale Metaphysicũ consistere in natura aliqua communi reali; ulteriùs manifestanda est communitas talis naturæ, seu aptitudo ad essendum in multis. Qua in re variant Scholæ Thomistica, Neutristica, & Scotistica: pro intellectu sententiæ Scotisticæ.

1. *Quid sit communitas indifferentiæ positivæ & negat.*

Nota primò: Communitatem naturæ esse duplicem ex Scoto *2. dist. 3. q. 1.* & alibi; una namque est indifferentiæ positivæ; altera indifferentiæ negativæ. *Communitas indifferentiæ positivæ* vocatur illa, quæ afficit naturam aliquam ut abstractam ab omnibus differentijs individualibus, seu ab hæcceitatibus, respiciteq; omnes differentias individuales æqualiter; â qua respicientia rectè etiam sortitur nomen *indifferentiæ;* talis est in natura humana pro illo priori, antequam singularizetur, & hæcceizetur per differentias individuales Platoneitatis, & Pauleitatis. *Communitas indifferentiæ negativa* dicitur illa, quæ afficit naturam aliquam ut jam singularizatam, & contractam per differentias individuales; relinquit tamen ex ratione sua formali in eadem natura non repugnantiam ad essendum sub alia differentia individuali; eò quòd natura non fiat de se hæc per illam differentiam individualem contrahentem; sed ex suis principijs intrinsecis manet intrinsecè indifferens ad quamcunque aliam differentiam; talis indifferentia est in natura humana jam hæcceizata per Platoneitatem. Hæc dicitur *indifferentia negativa*, non quòd pro formali importet aliquam negationem, ut malè censet Cajetanus; cùm ista indifferentia sit aptitudo quædam, & passio naturæ fluens â principijs ejus, quod positivum quid indicat; sed vocatur sic, quia per negationem explicatur; sicut differentia brutalitatis explicatur per negationem rationalitatis, licet positivum quid sit.

2. *Utraq; alia nomina sortitur.*

Nota secundò: Indifferentia positiva alio nomine vocatur *aptitudo proxima ad essendum in multis;* eò quod nullo obice impediatur natura communis considerata in statu abstractionis ab individualibus, quò minùs sibi approprient quamcunque differentiam individualem, seu singularitatem. Indifferentia verò negativa dicitur *aptitudo remota ad essendum*

in multis; eò quod in statu contractionis ad differentiam hanc individualem ponatur obex, puta hæc singularitas, ad identificandū sibi de factò aliam singularitatē.

5. *Quid status essentiæ, & existentiæ.*

Nota tertiò: Naturam aliquam communem sortiri duplicem statum juxta phrasim Scotisticam, statum videlicet essentiæ, & statum existentiæ. Tunc censetur natura aliqua communis esse *in statu essentiæ*, quando consideratur ut præcisa ab omni differentia individuali. Tunc verò censetur esse *in statu existentiæ*, quando attenditur ut affecta actu aliquā differentiā individuali.

Dico primò: Communitas Universalis metaphysici non consistit in conceptu aliquo negotiato per intellectum; sed in aliquo positivo reali, quod naturæ communi convenit à parte rei, etiam in statu existentiæ realis. Ita Scotus 1. *dist.* 3. *q.* 1. & 7. *Met. q.* 18. & communis Scotistarum, quos sequuntur ex alienis Ragusæus, Amicus, & Pasqual. contra Thomistas, Nominales, & plures Neutristas, Ovied. Hurtad. Arriag. Moris. Suar. &c. docentes communitatem convenire naturæ per opus intellectûs.

6. *Communitas metaphysica Universalis est quid positivū reale.*

Probatur primò authoritate Philosophi; qui 5. Met. 11. dicit, *individua esse unū essentiā; quia unū ratione, & definitione* ubi ly ratione non capit præcisè pro conceptu ab intellectu negotiatio, ut autumant Adversarij; sed pro definitione objectiva, quæ suam Unitatem habet à parte rei, sumptam ex unitate definiti, ut glossat Scotus 3. *dist.* 1. *q.* 1. & alibi: Ergo si individua sint unum unitate reali, debet aliqua communitas realis ipsis correspondere: & consequenter talis communitas erit quid positivum reale.

Probatur secundò ratione: Tum quia natura communis à parte rei non est incommunicabilis; sed redditur talis per singularitatem: Ergo à parte rei habet aliquam communitatem, consistentem in aliquo positivo reali. Tum quia Universale metaphysicum consistit in natura communi reali: Ergo & ejus communitas ut passio pullulans ab eadem natura communi debet consistere in aliquo reali; & non in aliquo conceptu negotiato ab intellectu. Tum quia quod Natura Divina non sit numerò multiplicabilis, & communis, hoc ei evenit ab aliquo intrinseco reali principio ipsiusmet Naturæ Divinæ; puta quia talis natura est de se hæc, ut docetur in Theologia: Ergo è converso quod aliqua natura sit multiplicabilis numerò, & communis, hoc evenit quoq; ab aliquo principio intrinseco reali, seu formalitate positiva, quam natura creata à parte rei includit: atque adeò communitas talis naturæ non consistit in aliquo conceptu ab intellectu fabricato.

5. *Argumenta cōtra communitatem positivā realem.*

Objiciunt adversarij *primò*: si communitas Universalis metaphysici consisteret in aliquo positivo reali independenter à negotiatione intellectûs, sequeretur DEUM non posse annihilare perfectè unum individuum alicujus speciei, sinè eo quòd annihilet quoque omnia alia individua ejusdem: sed sequela est falsa: Ergo &c. Prob. Maj. si DEUS annihilaret perfectè unum individuum, speciei humanæ v. g. deberet etiam annihilare illud positivum reale naturæ humanæ, quod participat tale individuum: annihilando autem tale positivum reale naturæ humanæ, deberet annihilare omnia alia individua naturæ humanæ; quia hæc quoque participant idem positivum reale; cùm hoc sit quid commune omnibus: Ergo &c. *Secundò* sequeretur, quòd omnia individua creata non distinguantur quidditativè, & realiter; sed tantùm hypostaticè, sicut Personæ Divinæ; quia omnia individua ratione talis positivi realis (in quo Scotistæ statuunt communitatem naturæ cōmunis) habent unam naturā cōmunem: sed sequela est falsa: Ergo &c.

6. *Resolvuntur.*

Respondeo hæc, & similia plura argumenta, quæ congerit Aureolus, militare duntaxat contra communitatem naturæ explicatam per quandam inexistentiam positivam (uti eam explicant plures, etiam ex Schola Scoti, contra quos infrà redibit actio Scholastica) si videlicet sustineatur, quod una, & eadem entitas sit adæquatè in omnibus individuis alicujus speciei, cum aliqua unitate minori numericā: non faciunt autem contra meam doctrinam, & aliorum Scotist. qui communitatem naturæ explicant per indifferentiam negativam; de qua paulò post agetur; nam in hac doctrina multiplicatur natura communis in singulis individuis cum sua unitate formali; Unde in forma: Respondeo *ad primum* Neg sequelam Maj. ad Probationem ejus dico, quod annihilatò unò individuò naturæ humanæ v. g. Platonis, non debeat necessariò annihilari aliud v. g. Plauti: quia natura Platonis non est eadem Platto inexistens, & adæquatè cum natura Plauti;

sed

sed communis tantùm per indifferentiam negativam. Ad *Secundum* Neg. sequelam Ant. quia in pluribus individuis non est una eademque numerò natura; sed realiter multiplicata; quod non currit de Natura Divina, quæ unica est; adeoque duo individua creata plus distinguuntur, quàm hypostaticè.

7. Positivū reale communitatis est quædam in differentia negativa.

Dico secundò: Illud positivum reale, in quo consistit communitas Universalis metaphysici, est quædam indifferentia, quæ *negativa* dicitur. Ita colligitur ex Scoto *2. dist. 3 q. 6.* & alibi; & sequuntur Fuente, Trombeta, Mastrius, Meriner. & alij complures Scotistæ; contra Bonet. Canoc. Columb. Fabrum, & alios Scotistas.

Probatur: Tum quia Scotus *locò cit.* tenet communitatem realem Universalis metaphysici importare indifferentiam negativam. Tum quia nil aliud congruentiùs assignari potest, quod pro formali importaret illud positivum reale communitatis Universalis metaphysicæ, quàm indifferentia negativa; non enim adstrui potest ipsa inexistentia ejusdem naturæ; ut *sequenti quæstione* contra plures Scotistas docebitur: nec aliquid aliud: Ergo &c. Tum quia eò ipsò quòd natura aliqua in statu existentiæ sit indifferens negativè, est apta prædicari de pluribus; ideóque ratione talis indifferentiæ sortitur communitatem realem positivam.

8. Rationes Scotistarū opposito-rū enodantur.

Objicies *primò*: Si communitas realis Universalis metaphysici consisteret in quadam indifferentia negativa, sequeretur, quòd posset natura Platonis v. g. transire sub singularitatem Socratis, etiam in statu existentiæ; sicut materia prima in statu formæ habitæ potest transire ad habendam aliam: sed sequla est falsa: Ergo &c. *Secundò*: Natura in statu existentiæ fit de se hæc: Ergo ut tali nequit convenire aliqua communitas realis per indifferentiam. Respondeo *ad Primum* Neg. sequelam Maj. nam intimior est connexio, puta identica realis, inter naturam in statu existentiæ consideratam, & ejus singularitatem; quàm sit inter materiam primam informatam, & suam formam; quæ realiter sunt separabiles. *Ad secundum* Neg. Ant. nam natura in statu existentiæ, seu ut consideratur contracta ad singularitatem aliquam, redditur extrinsecè tantùm, & denominativè *hæc*, seu individualis; quia singularitas est ei extranea.

QUÆSTIO V.

Communitas realis per inexistentiam Universalis Metaphysici impugnatur.

Nota primò: Tametsi Scotistæ omnes conveniant contra Nominales, & RR. naturam Universalem metaphysicam esse communem realiter multis, absque omni opere intellectûs. Dissentiunt tamen inter se in hoc, quòd quidam eorum doceant, naturam esse realiter communem per indifferentiam negativam, ut *priori quæst. conclus. 2.* ostensum est; quidam verò arbitrantur eam esse communem per inexistentiam.

1. Doctrina Scotistarū opposi-torū elucidatur.

Nota secundò: Illi Scotistæ, qui tenent, naturam aliquam esse communem realiter per indifferentiam dogmatizant, unumquodque individuum talis naturæ gaudere propriâ naturâ, adeò ut alia sit humanitas Platonis, alia Socratis, priusquam concipiantur conjunctæ cum differentijs individualibus Platoneitatis, & Socrateitatis; alij verò qui ponunt naturam esse realiter communem per inexistentiam, docent, quòd sit una & eadem humanitas, quæ v. g. reperitur in Platone, & Socrate, ac omnibus alijs individuis: & ne videantur hoc dogmate adstruere mysterium aliquod simile Trinitati, in qua una eademque Natura Divina reperitur in tribus Personis, dicunt naturam communem per inexistentiam habere unitatem nō numericam; sed aliam, quæ dicit indivisionem per principia essentialia; & hæc unitas dicitur ab eis unitas formalis, & essentialis.

2. Natura nō est communis per inexistentiam.

Dico primò: Natura creata prædicamentalis non est communis suis inferioribus per inexistentiam; seu non repetitur in eis per inexistentiam. Ita Scotus mox citandus, quem sequuntur P. Lychetus, Rada, Merinerus, Mastrius, Saxius, Tatar. Fuente & alij præclariores Sco-

Scotistæ; contra Columbum, Canonc. Boner. Meurisse, Fabrum, & nonnullos alios Scotistas.

Probatur primò authotitate Doctoris, qui conclusionem docet varijs in locis; signanter *2. dist. 3. q. 1. & 2. dist. 3. q. 6.* ubi apertum profert testimonium, dum ait; *Concedo ergo, quòd unitas realis non est alicujus entis exsistentis in duobus individuis; sed in uno. & 3. d. 8. q. unic.* in fine dicit, in singulis individuis naturam communem plurificari ad pluralitatem eorum, cum plurificatione etiam unitatis formalis naturæ; unde addit aliam esse unitarem formalem humanitatisChristi; aliā MARIÆ: Ergo si unitas formalis identificata naturæ plurificatur, debet etiā ipsa natura communis plurificari; & consequenter oon est una, eademque natura communis suis inferioribus per inexistentiam; talis enim secundùm adversarios Scotistas non plurificatur in eis.

5. *Aliæ rationes contra inexistentiam.*

Probatur secundò ratione: Ex hac sententia Scotistarum sequerentur plura absurda: Ergo non est tenenda. Probat. Ant. *primò*: sequeretur, quòd una eademque natura esset beata, & damnata; puta beata in Christo, & damnata in Juda; quia una eademque natura inexisteret in Christo, & Juda: sed hæc sequela est absurda: Ergo &c. Nec valet hic subterfugium P. Columbi dicentis, quòd cùm actiones, & passiones sint singularium ex *1. Met. 1.* illa damnatio, & beatitudo imputanda sit diversis singularitatibus Christi, & Judæ. *Contrà* enim est; quòd non sola singularitas hominum; sed & natura communis sit capax damnationis, & beatitudinis; & defacto totum essentiale, quod importat Christus, est beatificatum; & consequenter ejus humanitas, seu natura communis; quare si eadem sit quoque in Juda, erit simul beata, & damnata.

Secundò sequeretur: hac doctrinā Scotistarum oppositorum in creatis invehi simile mysterium Trinitati; quia una eademque natura creata assereretur esse in Platone, Plauto, & Socrate; sicut una Natura Divina est in tribus Hypostasibus Divinis: sed hæc sequela est absurdissima: Ergo &. Nec eliditur vis hujus argumenti responsô, quod adhibet Pasqualigus assignando disparitatem, quòd videlicet in Divinis sit eadem numerò Natura Divina in tribus Hypostasibus; in creatis verò in Platone, Plauto, & Socrate sit eadem duntaxat specie. *Contrà* namque est; quia tametsi concedatur, naturam quæ inexistit Platoni, Planto, & Socrati esse unam duntaxat specie; adhuc mysterium simile Trinitati oportebit hos Scotistas concedere; nam mysterium Trinitatis etiam in hoc consistit, quòd tres Hypostales Divinæ realiter inter se distinctæ identificentur cum tertio, id est Essentia Divina; & tamen non identificantur inter se: sed in doctrina horū Scotistarum hoc totū habetur; quia singularitates Platonis, Plauti, & Socratis realiter inter se distinctæ identificantur realiter tertio, puta uni speciei naturæ; & tamen non identificantur inter se. Et parùm refert, quòd illud tertium in Divinis sit partiale, in creatis verò cōmune; quia privilegium hujus identificationis Naturæ Divinæ cum tribus Hypostasibus non habet ratione singularitatis, & numericæ unitatis; sed ratione infinitatis, ob quam sibi identificat omne compossibile.

Tertiò sequeretur: quòd DEUS nullum individuum alicujus naturæ communis posset annihilare; quia cùm eadem natura inexistat omnibus individuis, remaneret in reliquis: sed & hæc sequela est absurda: Ergo &c. Nec audiendus est hìc Canonicus dicens, sufficere ad annihilationem, quòd nil singularis remaneat. *Contrà* enim est; quia ad annihilationem, ut secernitur à corruptione, requiritur, ut nil remaneat in rerum natura entitatis actualis, quæ intrinsecè rem annihilatam componebat.

Quartò sequeretur: quòd in Eucharistia non fieret totalis transmutatio panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi; quia ratio communis substantiæ, quæ est quædam natura communis, & corporis persisteret adhuc in corpore Christi: sed hæc sequela hæresim redolet; & est contra Scotum *4. dist. 4. q. 1.* Ergo &c.

4. *Philosophus reconciliatur.*

Objiciunt oppositi Scotistæ primò: Philosophus *7. Met. st.* ait; animal esse unum, & idem in homine, & equo, sicut tibi ipsi: Ergo est ipsis commune per inexistentiam: animal autē est natura quædam communis: Ergo &c. Respondeo interpretando Philosophum, & dico ipsum *locô cit.* agere contra Platonem, & solùm velle, animal non esse Universale quoddam Platonicum, seu Ideam à singularibus avulsam; sed esse naturam imbibitam in homine, equo, & te; cum quadam

dam duntaxat indifferentia; & non cum inexistentia in omnibus.

5. Oppositiones Columbi dissolvuntur.

Objiciunt secundò: in singulis individuis naturæ alicujus communis v. g. humanæ, reperiuntur eadem prædicata essentialia: Ergo iisdem inexistit eadem entitativè natura communis humana. Respondeo Neg. Conseq. nam ut censeantur in omnibus indviduis esse verè eadem prædicata essentialia, non requiritur inexistentia ejusdem naturæ; sed sufficit, quod natura, quæ in uno reperitur, habeat aptitudinem remotam, & indifferentiam negativam ad essendum sub singularitate cujuscunque alterius individui.

Objicit tertiò P. Columbus; rationes, quas adducit Scotus in locis ad svadendas naturas communes reales contra Thomistas, & Nominales confirmant quoque earum inexistentiam in singularibus. Similiter Distinctio Formalis, quam inter gradus metaphysicus invehit idem Doctor, talem inexistentiam insinuant: Ergo &c. Respondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam Scotus locis suprà *in prima probat.* citatis, & ubicunq; adstruit communitatem realem contra Thomistas, solam communitatem indifferentiæ negativæ ponit; & illam per inexistentiam *2. dist. 3. q. 6.* apertis terminis suprà relatis reijcit. *Ad secundum* dico, Distinctionem formalem Scoti, vertentem inter gradus metaphysicos, nil ampliùs evincere ad propositum, quàm quòd natura communis, & ejus singularitas sint duo gradus metaphysici, à parte rei, & absque omni negotiatione intellectûs distincti; abstrahendo an sit eadem, vel plurificata natura, quæ reperitur in singularibus, & an sit in ipsis per indifferentiam, vel per inexistentiam.

QUÆSTIO VI.

Num, & qualis sit Unitas in Universali Metaphysico in statu essentiæ?

1. Quid sit Unū generalissimè

NOta primò: Aristoteles *1 Met. 6.* & *10. Met. cap. 1.* *Unum* generalissimè acceptum describit, quòd *sit ens indivisum à se, & divisum à quocunque alio*: quare cùm aliqua diversimodè dicantur non divisa; idcirco diversæ quoque reperiuntur Unitates in rebus: de quibus paulò infrà.

2. Quid sit unitas generica, specifica & numerica.

Nota secundò: Unitatem esse passionem entis, quæ ipsum ens consequitur, ut habet Aristoteles *4. Met. cap. 2.* Unde tot rursus attendi possunt unitates, quot sunt classes entium. Ad propositum autem idem Philosophus *5. Met. cap. 6.* tres potissimè recenset, unitatem videlicet genericam, specificam, & numericam. *Unitas generica* est illa, à qua habent aliqua convenire in gradu generico, seu in principijs essentialibus remotis, quæ sunt differentiæ essentiales genericæ; hac ratione conveniunt Plato, & Bucephalus in gradu generico animalis. *Unitas specifica* est illa, quæ facit aliqua convenire in gradu specifico, seu in principijs essentialibus proximis, quæ sunt differentiæ specificæ; hac unitate conveniunt Plato, & Socrates in gradu humanæ naturæ. *Unitas numerica* est, quæ facit aliqua convenire in hæcceitatibus, seu singularitatibus, quæ sunt differentiæ individuales: hanc habet Petrus in seipso, quia est indivisus per principia individualia.

3. Quid formalis & numerica minor.

Nota tertiò: quòd unitas numerica dicatur à DD. *materialis*; quia sequitur individualitatem, quæ potest vocari materia propter quandam proportionem quam habet cum materia physica. Specifica verò *formalis*; quia convenit naturæ alicui ratione essentiæ, quæ est forma metaphysica constitutiva rei. Hæc eadem Unitas dicitur *minor numericâ*, quia compatitur secum divisionem per hæcceitates; quare ea, quæ sunt unum specie, possunt esse multiplicata numerô: est tamen major genericâ, quia Unitas generica admittit secum divisionem etiam per principia essentialia, & formalia.

4. Quævis natura etiam in statu essentiæ habet unitatem realem.

Dico primò: quævis natura communis Universalis metaphysici etiam in statu essentiæ considerata gaudet propriâ aliqua Unitate positivâ, & reali, independenter ab omni opere intellectûs. Ita Scotus *3. dist. q. unic. & 7. Met. q. 18. & 2. dist. 3. q. 6.* & tenet communis Scotistarum; contra Nominales, & Hortad. Aversam, ac cæteros RR. nominalizantes.

Probatur primò anthoritate Philosophi: qui *5. Met. 11. & 7. Met. 29.* conclusioni favet: Ergo &c.

Pro-

Probatur secundò rationibus Scoti ex *cit. 2. Primò*; Unitas est adæquata realis passio entis realis, convertibilis cum eo, cujus est passio: sed natura communis Universalis metaphysici etiam in statu essentiæ est ens reale positivum: Ergo ejus passio Unitas, erit aliqua unitas realis positiva. *Secundò*; natura communis Universalis metaphysici in statu essentiæ per se definitur: sed nil propriè definitur, nisi sit ens unum verâ Unitate reali positivâ; ut habet Aristot. *4. Met. 10.* Ergo natura communis Universalis metaphysici in statu essentiæ est una; & consequenter gaudet propriâ Unitate positivâ reali, independenter ab omni operatione intellectûs.

5. Aversa & Aureo: replicantes repelluntur.

Dies cum Aversa, & Aureolo: ad hoc ut aliqua natura dicatur una, & propterea apta definiri, sufficit ipsam habere unitatem negativè, id est, ut non dicat essentialiter divisionem; & ut possit etiam concipi ab intellectu ut una. *Contrà*; passiones entis realis sunt quid positivum reale; quia fluunt ab essentia reali: Ergo Unitas naturæ definibilis nequit salvari in aliquo merè negativo. Neq; potest salvari in conceptivitate intellectûs; quia ut rectè docet Scotus *Quodlib. 1.* natura non haber ab intellectu, sed ex se, quod sit definibilis; & insuper definitiones rerum explicant res, uti à parte rei sunt; & non ut possunt concipi per intellectum.

6. Nominales objiciunt.

Objiciunt Nominales, & eorum adhærentes *primò*: Si quævis natura communis Universalis metaphysici in statu essentiæ gauderet propriâ unitate aliquâ positivâ reali, non posset deinde dividi per singularia in statu existentiæ; sicut natura Divina non potest dividi in tribus Hypostasibus ex eo, quòd gaudeat aliquâ unitate formali: sed quævis natura communis Universalis metaphysici dividitur per singularia, quando ad statum existentiæ descendit: Ergo &c. *Secundò*: natura in statu essentiæ habet sola prædicata essentialia, & proprietates: sed Unitas positiva realis nō est aliquid horū: Ergo &c.

7. Sed contentantur.

Respondeo has, & similes rationes solùm procedere contra concedentes unitatem realem numericam naturæ communis in statu essentiæ; non autem contra concedentes formalem (quam paulò pòst statuam) quæ stat cum numerali divisione; & cum qua natura potest ritè descendere ad singularia: in forma, *ad Primum* Neg. Maj. & ad paritatem dico; Naturam Divinam non posse dividi numeraliter, quia est de se hæc; sicut potest dividi natura communis, etsi affecta unitate aliquâ formali. *Ad secundum* Neg. Min. unitas enim est vera realis proprietas naturæ communis.

8. Unitas naturæ est tantùm formalis.

Dico secundò: Unitas realis, quam sortitur natura aliqua communis Universalis metaphysici in statu essentiæ est præcisè Unitas formalis numericâ minor, Ita Scotus *2. dist. 3. q. 1.* quem sequuntur, præter suos, plures Thomistæ; contra Fonsecam, qui asserit hanc unitatem naturæ communis esse mixtam ex numerali, & formali.

Probatur: Tum quia Unitas realis, quam sortitur natura aliqua communis Universalis metaphysici, non est aliqua Unitas mixta ex numerali, & formali; ut prætendit Fonseca; cùm talis omnino repugnet; numeralis enim Unitas est propria individuorum: formalis verò naturarum; formalis patitur secum divisionem, numeralis non: nec est aliqua alia assignabilis realis: Ergo relinquitur, quòd talis Unitas sit præcisè formalis numericâ minor. Tum quia univocè generans realiter convenit in natura cum genito; exemplum clarum est in homine generante alium hominem: sed non convenit cum eo in aliquo uno, unitate numericâ: Ergo in aliquo uno unitate specificâ formali: Ergo Unitas quæ est in natura aliqua communi generantis, & geniti est Unitas præcisè formalis.

9. Argumēta Nominaliū enervantur.

Objiciunt Nominales primò: Omnis entitas extra intellectum est singularis; quia Universale datur tantùm per intellectum: Ergo illa unitas non est minor numerali; sed coincidit cum illa. *Secundò*: si natura specifica haberet talem unitatem formalem numerali minorem, etiam & generica talem haberet: sed hoc est falsum; quia dicit Aristoteles *in genere latere æquivocationes 7. Phys. 29.* quæ non stant cum Unitate; sed cum pluritate: Ergo &c. Respondeo *ad Primum* cum Scoto *2. dist. 3. q. 6.* Dist. Ant. omnis entitas extra intellectum est singularis per se semper Neg. Ant. per se, vel per accidens, seu denominativè Conc. Ant. natura autem communis dicitur denominativè tantùm, & per accidens singularis; quia singularitas est extranea naturæ, & superaddita. Negari etiam potest absolutè

lutè Ant. cum sua ratione. *Ad secundum* Conc. sequelam; quia cùm natura generica sit prædicamentalis, habebit similiter unitatem formalem sibi proportionatam; & cùm Aristot. dicit, *in genere latere æquivocationes*, non absolutè loquitur, quasi omnem unitatem à genere ablegare vellet; sed loquitur comparativè ad speciem; id est quòd non habeat talem, qualem habet species, puta unitatem formalem atomam, & majorem, quàm sit generica.

10. *Quadam objectio evacuatur.*

Objiciunt secundò: si daretur in Petro v. g. talis unitas formalis ex natura rei distincta à numerali, sequeretur quòd Petrus esset duo; quia duæ unitates faciunt dualitatem; & similiter essent in eo duæ humanitates, una communis, altera singularis; hoc autem implicat: Ergo &c. Respondeo Neg. utramque sequelam Maj. quia natura, & hæc natura, non distinguuntur realiter; nam gradus communes cùm singularibus non ponunt numerum; cùm per eandem hæcceitatem individuentur. Tum etiam, quia illæ duæ unitates sunt formaliter identificatæ uni rei, non habentes propriam existentiam, ideoque inter se facere nequeunt numerum prædicamentalem, sed tantum numerum realitatum ejusdem speciei transcendentalem.

11. *Alia rursus dissolvitur.*

Objiciunt tertiò: Natura non habet propriam existentiã in statu essentiæ: Ergo neque propriam unitatem minorem numericâ. Ant. patet; quia si haberet propriam existentiam, posset intuitivè videri non visis hæcceitatibus; sicut Essentia Divina videri potest non visis Personalibus: sed hoc dici nequit: Ergo &c. Probat. Min. aliàs humanitas Petri, & humanitas Pauli viderentur ut distinctæ locô, & subjectô, & consequenter viderentur ut distinctæ numericè; quia istæ sunt conditiones individuales: hoc autem negamus & nos: Ergo &c. Respondeo Doctorem problematicum esse, num natura ut distincta formaliter à singularitate, & in statu essentiæ, habeat propriam existentiam; partem tamen affirmativam censeo probabiliorem; quia inquit Scotus in *4. dist. 45. q. 3.* quòd existentia actualis primò conveniat naturæ ut naturæ; & deinde formalitatibus propter identitatem realem: unde ad Objectionem Respondeo Neg. Ant. & Min. Probat. ejus; ad ejus Probationem dico, quòd illæ duæ humanitates viderentur tantùm ut diversæ, & disparatæ, seu divisæ; non ut distinctæ numericè propriè; quia hæc distinctio propria numerica ex singularitatibus oritur, juxta Scotum.

QUÆSTIO VII.

Utrùm natura communis Universalis Metaphysici retineat etiam in statu existentiæ Unitatem Formalem; & qualis ea sit?

1. *Natura in statu existentiæ retinet suã unitatem.*

Dico primò: Quando natura communis Universalis Metaphysici descendit ad statum existentiæ, approprianado sibi singularitates, retinet suam Unitatem formalem nomericâ minorẽ, quâ gaudebat in statu essentiæ. Ita Scotus *3. dist. 8. q. un.* Est etiam communis Scotistarum; & subscribunt plures Thomistæ; contra Capreol. Aversam, Joan. à S. Thoma, & quosdam Thomistas, qui Hervæistæ vocitantur.

Probatur: Tum quia unitas formalis nomericâ minor est proprietas, & passio naturæ communis Universalis Metaphysici, fluens à principijs ejus; estque realiter identificata cum natura communi in statu essentiæ: Ergo natura communis eandem retinet, quando descendit ad statum existentiæ, appropriando sibi singularitates. Consequentia tenet; nam quæ semel identificantur, ampliùs in quocunque statu ponantur, non separantur; quare hic valet illud axioma Scoti, *quod semel est tale, ubicunque ponatur, manet tale*: Ergo &c. Tum quia duo singularia alicujus naturæ communis contractæ v. g. Plato, & Socrates magìs conveniunt inter se, quàm cum individuis alterius naturæ v. g. brutalis: sed hoc ob aliquam Unitatem suæ naturæ communis, quæ formalis dicitur: Ergo natura communis descendens ad statum existentiæ retinet suam Unitatem formalem.

2. *Hæc non pugnat cum divisione numera li.*

Objiciunt adversarij: si in statu existentiæ natura communis Universalis Metaphysici retineret suam Unitatem formalem, non esset divisa per sua singularia: sed hoc est falsum: Ergo &c. Respondeo

deo Neg. Maj. Unitas enim specifica formalis non pugnat cum divisione numerali, seu illa, quæ fit per singularia.

Dico secundò: Unitas formalis, quam natura communis Universalis Metaphysici retinet in statu existentiæ, est omnino positivum quid; & non privativum. Deducitur ex Scoto *3. dist. 8. q. un. 2. dist. 3. q. 1. & 6.* & sequuntur plures Scotistæ; contra Canonic. Tromb. & Radam, qui ejusdem Unitatem faciunt privativam.

3. Est in se positivum quid.

Probatur rationibus Scoti cit. *primò*: Unitas, quam natura Universalis Metaphysici retinet in statu existentiæ, est passio quædam ipsius naturæ: Ergo importat quid positivum, & non privativum. *Secundò*; natura communis secundùm hanc unitatem est principium formale agendi, & terminandi actiones reales: insuper est ratio proxima fundandi relationes reales similitudinis, æqualitatis, & alias; quæ munera ei non convenirent, si ejus Unitas formalis esset quid privativum: Ergo &c.

4. Natura in singularibus dividitur tantùm materialiter.

Objiciunt Scotistæ oppositi: quando aliqua natura dividitur in plura, non perseverat una unitate, quam priùs habuit: sed natura communis Universalis Metaphysici dividitur in plura individua secundùm Unitatem formalem, dum in statu existentiæ ponitur: Ergo non perseverat una Unitate formali, quam prius in statu essentiæ habuit. Respondeo Negan. Min. quia natura communis Universalis Metaphysici solùm dividitur per singularitates, seu per principia materialia; unde adhuc retinet suam Unitatem formalem, & specificam, quæ per solam divisionem, datam per principia essentialia, seu differentias specificas, tollitur.

5. Multiplicatur unitas formalis in individuis.

Dico tertiò: Unitas formalis afficiens naturam communem Universalis Metaphysici in statu existentiæ, multiplicatur ad multiplicationem ipsiusmet naturæ; unde non est per inexistentiam. Ita Scotus *2. dist. 3. q. 6.* & amplectuntur Mastrius, cum alijs illustrioribus Scotistis; contra P. Lealem, Bonetum, & alios Scotistas.

Probatur authoritate Scoti: qui *3. dist. 8. q. unic.* in fine docet, quod in natura humana Christi (quæ est natura quædam communis in statu existentiæ posita) est unitas aliqua realis minor unitate numerali; & similiter unitas realis in Maria: Ergo censet Doctor esse aliam, & aliam Unitatem formalem in natura Christi, & Maria; & consequenter Unitas formalis multiplicatur ad multiplicationem naturæ.

Probatur secundò ratione: Unitas formalis afficiens naturam communem Universalis metaphysici est passio metaphysica naturæ communis identificata, ut sæpiùs dictum est: Ergo multiplicatur ad multiplicationem naturæ comunis. Consequentia tenet ex illa maxima Scotistica, *quæ realiter identificantur, multiplicatò unò, multiplicatur & aliud*: Ergo &c.

6. Scotistis adversus satisfit.

Objicies cum Scotistis oppositis: si Unitas formalis afficiens naturam comunẽ Universalis Metaphysici in statu existentiæ multiplicaretur ad multiplicationẽ naturæ, sequeretur quod tot forẽt species naturæ humanæ v. g. quot sunt individua ejusdem; quia in unoquoque individuo reperitur alia, & alia natura cum sua multiplicata Unitate formali specifica: sed sequela est absurda: Ergo &c. Respondeo Neg. sequelam Maj. quia unaquæq; natura in suo individuo ratione suæ Unitatis formalis, quantum est de se, est nata convenire omnibus individuis ejusdem speciei; quod non eveniret, si multiplicationem specierum inferret in individuis multiplicatis; quia una natura specifica, nequit convenire alteri specie distinctæ: sola ergo multiplicatio numeralis seu individuorum intervenit; non verò specifica, seu specierum.

7. Unitas formalis naturæ non consistit in similitudine singularium.

Dico quartò: Unitas formalis, quam habet natura communis Universalis Metaphysici in statu existentiæ non consistit in nuda quadam similitudine, quæ consurgit à parte rei inter singularia talis naturæ; neque in repræsentabilitate eorum per eundem conceptum formalem; sed consistit in unitate indifferentiæ antecedente, quæ est fundamentum proximum talis similitudinis, & repræsentabilitatis. Colligitur ex Scoto *3. dist. 8. q. unic.* & tenet comunis Scotistarum; contra Aversl. aliosque RR. & ex Schola nostra contra P. Poncium, & P. Herman, qui à communi Doctrina Scholæ suæ recessêre, & Recentiorum placito subscripsêre.

Probatur primò *de similitudine*: secundùm Philosophum *5. Met. 10.* relationes æquiparantiæ fundantur super Unitatem naturæ, quæ dicitur unitas indifferentiæ: sed similitudo consurgens à parte rei

rei inter singularia ejusdem naturæ est relatio æquipatantiæ: Ergo debet fundari super Unitatem naturæ: & consequenter jam habetur Unitas tanquam fundamentum antecedens, antequam consurgat similitudo; atque ita in tali similitudine non consistit Unitas formalis naturæ communis.

Probatur secundò idem specialiter contra Poncium, & Herman; quando Scotus *2. dist. 3. q. 1.* contra Thomistas quosdam, maximè Hervæistas, probat dari Unitatem formalem à parte rei in natura communi contracta ad singularia, sanè plus intendit probare, quàm solam Unitatem similitudinis; quia hanc ultrà concedunt illi Thomistæ: Ergo intendit probare Unitatem indifferentiæ, quæ est fundamentum proximum talis similitudinis: & consequenter in via Scoti Unitas formalis non consistit in nuda similitudine, quæ consurgit à parte rei inter singularia alicujus naturæ.

8. Neg. in repræsentabilitate per eundē conceptum.

Probatur ulteriùs Conclusio; & infringitur eorundem Scotistarum assertum *de repræsentabilitate per eundem conceptum formalem*: Tum quia objectum non accipit Unitatem suam formalem à conceptu formali; sed potiùs è contra conceptus formalis ab objecto; quia actus (cujusmodi est conceptus formalis) specificantur ab objecto *2. de anima 22.* & consequenter etiam Unitatem ab objecto sortiuntur: sed in doctrina data ab istis AA. natura communis acciperet Unitatem essentialem, & formalem à conceptu formali, quò repræsentantur individua ut similia: Ergo &c. Tum quia nequeunt isti AA. ritè explicare, cur individuis conveniat hæc repræsentabilitas per conceptum formalem: si dicant hanc ipsis convenire, quia habent à parte rei aliquo modo unam, & eandem essentiam; ecce jam concedunt, quòd in essentia, seu natura communi adsit Unitas quædam, tanquam fundamentum aliquod proximum similitudinis, quæ utique est indifferentia naturæ, quæ est fundans ipsam similitudinem. Deinde nequeunt pariter assignare, quid sit illud, in quo omnia individua alicujus naturæ sunt repræsentabilia: si enim dicant esse aliquam naturam singularem pluribus communicabilem: *Dicam ego contrà*, hoc totum reperiri in Divinis, ubi natura Divina de se est singularis, & communicabilis pluribus Personis; & tamen non est una per repræsentabilitatem. Si verò dicant fundamentum talis repræsentabilitatis esse omnia singularia ut conformia: *Contrà*, quia cum omnia singularia etiam ut conformia sint plura ut plura, sequerentur rationem pluralitatis quà talem esse rationem formalem fundandi Unitatem aliquam, quod repugnat: si verò nolint concedere illam pluralitatem conformium esse rationem fundandi Unitatem aliquam; inquiro de illo alio fundamento conformitatis, quam omnia singularia dicunt: Et sanè nullum aliud finaliter reperient isti Scotistæ, quàm naturæ communis indifferentiam, quæ in omnibus singularibus multiplicata reperitur; atque ita antiqua genuina Scoti, & Scotistarum politiorum circa hoc doctrina erit retinenda. Ex quo liquet probatio tertiæ partis conclusionis.

X DI-

DISTINCTIO II.

De Universali Logico.

PRÆNOTATIO.

Universale Logicum superædificatur ab intellectu super Metaphysicum, veluti super fundamentum à parte rei, quod intuens intellectus, nè merè temerè, & gratis operetur, fabricat hoc Universale; quod etiam passim à Doctoribus dicitur Universale in prædicando; *& est quædam secunda intentio, totaliter pendens ab operatione intellectûs, ut infrà dicetur. Dicitur etiam* Universale in actu, *tunc scilicet, quando actu prædicatur de suis inferioribus. De tali Universali sit.*

QUÆSTIO I.

De definitione; existentia; & formali constitutivo Universalis Logici.

1. *Definitiones Philosophi pro universali Logico.*

Nota primò: Philosophum tres dare definitiones Universalis; primam habet *7. Met. cap. 13. Universale est aptum quid, ut in pluribus insit*: secundam affert *1. de interp. cap. 5. Universale est aptum, ut de pluribus dicatur*: tertiam ponit *in libris de posteriori resolut. lib. 1. cap. 18. Universale est, quod est unum in multis, & de multis.* Primam communis Scotistarum adscribit soli Universali metaphysico; reliquas duas appropriant nonnulli Universali Logico, sed paulò clariùs.

2. *Alia clarior assignatur.*

Dico primò: Universale Logicum bene definitur, quòd *sit ens per se unum, proximè prædicabile de multis cum sui multiplicatione.* Hæc est conformis definitioni, quam tradit Doctor *2. dist. 3. q. 1.* sicut & mox ultimis duabus, datis ab Aristotele.

Probatur: hæc definitio optimè explicat naturam Universalis Logici: Ergo &c. Elucidantur singulæ particulæ, ly *ens* statuitur pro genere; reliqua pro differentia: dicitur *ens per se unum*, ut ostendatur Universale Logicum habere suam veram unitatem tanquam passionem suam propriam, ratione cujus concipitur ut unum in suis inferioribus: dicitur *proximè prædicabile de multis*; ut assignetur differentia hujus Universalis ab Universali metaphysico, quod pro essentia dicit aptitudinem ad essendum in multis: additur tandem *cum sui multiplicatione*, quia sicut natura Universalis metaphysici multiplicatur, dum ad sua inferiora descendit; ita & natura Universalis Logici, dum de suis inferioribus prædicatur.

3. *Datur Universale Logicum.*

Dico secundò: Universale Logicum datur in rerum natura; sed præcisè per operationem intellectûs. Ita Scotus *7. Met. q. 13.* quem sequitur torrens Latinorum, & Græcorum Philosophorum.

Probatur prima pars primò authoritate Philosophi; qui *1. de anima text. 8.* & *locis* suprà *citatis*, Universale definit tanquam rem in rerum natura existentem: Ergo &c.

Probatur secundò ratione: Tum quia tota Logica Aristotelis, D. Thomæ, Scoti, & Nominalium est plena genere, specie, differentiâ, propriô, & accidente, ut sunt quædam secundæ intentiones: Ergo datur in rerum natura Universale Logicum. Tum quia experientiâ constat, intellectum nostrum esse comparativum, referendo superius ad inferiora in ratione præ-

prædicabilitatis, & illud actu prædicando de inferioribus: Ergo tunc cudit rationem generis, vel specieiLogicam; adeóque ista Universalia existunt aliquomodo in rerum natura.

4. *Sed per operationē intellectûs.*

Probatur secunda pars: Universale Logicum est mera secunda intentio fundata; ut patebit prosequendo singula quinq; Universalia in particulari: sed secunda intentio habet præcisè esse per operationem intellectûs: Ergo & Universale Logicum. Præterea intellectus actibus suis comparativis fabricat Universalia Logica; ut infrà ostendetur: Ergo hæc habent esse suum præcisè per intellectum.

5. *Ejus ratio constituens est prædicabilitas.*

Dico tertiò: Formale constitutivum Universalis Logici est prædicabilitas de multis. Ita habet expressè Scotus *q. 15. Univers. §. dicendum* inquiens, *dicendum ergo ad quæst. quod est vera definitio; quod sic ostenditur; ratio Universalitatis* (id est formale constitutivum) *est prædicari de pluribus, per Aristotelem 1. Periherm. 5.* Quare circa formalem rationem constitutivam non mansit Doctor dubius, ut arbitratur Mastrius hic: Scotum sequuntur Sarn. Mauritius Ang. Barg. Brasslavol. Lealis, &c. contra Mastrium, Mayt. Lychet. aliosque Scotistas, qui prædicabilitatem ponunt passionem Universalis Logici; esse in multis verò rationem formalem constitutivam ejus.

Probatur primò authoritate Philosophi; qui *1. de interp. cap. 5.* in definitione essentiali Universalis Logici ponit prædicabilitatē solam dicendo; *Universale est aptum ut de pluribus dicatur*; & per hujusmodi prædicabilitatem alibi sæpiùs, quàm per esse in multis, dictum Universale explicat: Ergo &c.

Probatur secundò authoritate Porphyrij, cujus in hoc tractatu est summa authoritas; hic *cap. ult. suæ Isag.* dicit, *prædicari de pluribus commune est omnibus Universalibus*, subintellige Logicis; adeoque est de ratione formali constitutiva Universalis ut sic Logici.

Probatur tertiò ratione: Tum quia Universale Logicum fit per comparationem intellectûs: sed hujusmodi comparatio passiva essentialiter includit prædicabilitatem formalem; cùm sit relatio rationis superioris prædicabilis de inferioribus, ut infrà docebitur: Ergo prædicabilitas est illud formale, quod constituit Universale Logicum. Tum quia esse in multis est formale constitutivum Universalis Metaphysici: Ergo prædicari de multis erit formale constitutivum Universalis Logici. Consequentia tenet; quia prædicabilitas fundatur super inesse. Tum tandem, quia Logica nō considerat quidditates rerum, quæ per *esse in* exprimuntur; sed subjectiones, & prædicationes extremorum, quæ sunt secundæ intentiones, rebus applicatæ; ut apertè testatur Scotus *quæst. 14 Univers.* Ergo pariter in Universali suo Logico pro formali constitutivo non attendit quidditatem, quæ per *esse in* explicatur; sed prædicabilitatem, quæ est quædam secunda intentio.

6. *Scotistis oppositi respōdetur.*

Objiciunt oppositi Scotistæ primò, signanter P. Mastrius: quod primò intelligimus de aliquo, dicimus esse essentiam ejus: sed primum, quod intelligitur de Universali Logico, est esse in multis: Ergo hoc spectat ad essentiam ejus; & consequenter hoc est formale ejus constitutivum. Minorem probant ex Aristotele *qui 1. Poster. 25.* utrumque attribuens Universali Logico, priùs attribuit *esse in*; deinde *dici de* inquiens, *Universale esse unum in multis; & de multis*: Ergo. Respondeo *primò* Neg. Maj. instantia est clara in effectibus, & accidentibus; sæpe enim priùs intelligimus effectum, quàm ejus causam; & prius accidentia, quàm subjectum; & tamen nec effectus est de essentia causæ; nec accidentia de essentia subjecti. Respondeo *secundò* Distin. Min. primum materiale quod intelligitur de Universali Logico, est esse in multis Conc. Min. primum formale Neg. Min. Itaque esse in multis est materiale duntaxat Universalis Logici, in quo fundatur secunda intentio prædicabilitatis de multis, tanquam super formale Universalitatis Logicæ: & hoc est tantùm quod voluit Aristoteles *loc. citat.* dum Universali Logico primò attribuit *esse in*, intellige tanquam materiale; & postea *dici de* tanquam formale. Hâc viâ solvuntur etiam authoritates Scoti, in oppositum adducibiles, quibus videtur Universale Logicum describere per *esse in*; expone, quod solùm velit materiale Universalis per hoc exprimere; non formale: nam formale ejus exprimit distinctis terminis *quæst. 15. Univers.* per prædicari de multis.

Objiciunt secundò : Scotus *q. 11. Prædicam.* ait prædicari esse proprium (id est proprictatem) Universalis : Ergo est tantùm passio Universalis Logici ; & consequenter non est essentiale constitutivum ejus. Respondeo interpretando Doctorem, & dico, eum *loc. cit.* non loqui assertivè ; uti facit *quæst. 15. Univers.* assignando ly *prædicari* pro essentia Universalis Logici ; sed loquitur problematicè, & disputativè, ac in sententia aliena.

7. Prædicabilitas Logici Univer sal. est relatio rationis.

Dico quartò : Præfata Prædicabilitas de multis, est relatio quædam rationis naturæ alicujus communis seu supperioris, ad sua inferiora, & subijcibilia: Ita colligitur ex Scoto *4. dist. 43. q. 2. §. 2. respondeo ;* & sequuntur communiter Scotistæ ; contra Suar. Tolet. Conimb. &c. asserentes, essentiam Universalis Logici esse quid absolutum.

Probatur : Tum quia prædicabilitas de multis importat ordinabilitatem quandam ad plura per intellectum fabricata, de quibus enunciari potest : Ergo relationem quamdam rationis. Tum quia prædicabilitas est quædam secunda intentio : sed secunda intentio est formaliter quædam relatio : Ergo & prædicabilitas. Itaque prædicabilitas est formaliter quidam respectus rationis, causatus, & derelictus per actum intellectûs comparantis superius ad sua inferiora ; verbô est ipsa comparatio passiva, consurgens in superiori comparato ad inferiora.

QUÆSTIO II.

Per quem actum intellectûs causetur Universale Logicum.

IAm *priori quæst. conclus. 2.* ostensum est, & tenet comunis DD, signanter Doct. Subtilis *quæst. 4. Univers.* Universale Logicum causari per intellectum : sed quoniam intellectus potest habere duplicem actum circa tale Universale, abstractivum scilicet, & comparativum ; idcirco inter Doctores Angelicum, & Subtilem oritur quæstio, quônam horum fiat ; Angelicus arbitratur illud fieri per abstractivum ; Subtilis per comparativum.

1. Quid sit actus abstractivus, & comparativus.

Nota primò : *actus abstractivus* (qui & *absolutus*, & *præcisivus* dicitur) est, quô intellectus abstrahit, præscindit, & avellit naturam aliquam metaphysicè communem à suis singularibus, & eam sic ab eis abstractam, præcisam, & avulsam contemplatur. *Comparativus* est, quô intellectus eandem naturam metaphysicè communem comparat ad sua inferiora, deque illis prædicat. Hic autem potest esse vel simplex comparatio, seu collatio ; vel composita ; ut *tract. de Ente rationis dist. 2. quæst. 3.* dixi ; *primô modô* habetur comparatio, quando unum in ordine ad aliud sinè affirmatione concipitur : *secundô* verò ; quando unum ad aliud comparatur per affirmationem actualem.

2. Quid intellectus agens, & patiens.

Nota secundò : Philosophum *3. de anima*, & post eum Doctorem, duplicem in anima nostra considerare intellectum, unum agentem ; alterum patientem ; sive hi formaliter, sive ratione duntaxat distingvantur ; de quo in libris *de Anima* redibit sermo. *Intellectus patiens* (qui & possibilis, & passibilis dicitur) est, qui est receptivus specierum, quæ sunt similitudines intentionales objectorum, concurrentes ad actum intelligendi : unde dicit Philosophus, quod lapis non est in intellectu, sed species lapidis, gerens vicem objecti. *Intellectus agens* est, qui has species intelligibiles format, ac spiritualizat, easque intellectui patienti, seu passibili imprimit, ut eliciatur earum ope intellectio, & cognitio actualis.

Dico primò : Universale Logicum non causatur per actum abstractivum, seu præcisivũ intellectus. Ita Scotus *2. dist. 3. q. 1.* & sequuntur Lychetus, Bassol. Gadius, Tromb. Mastrius, Columb. Fuente &c. contra D. Thomam, ejusque Discipulos.

3. Universale Logic. nõ fit actu abstractivo.

Probatur *primò* : Universale Logicum *ex Philosopho 1. de interp. cap. 5. est aptum ut de multis dicatur* : sed natura aliqua communis per actum abstractivum, & præcisivum non fit proximè apta, ut de multis prædicetur : Ergo per hunc actum non causatur Universale Logicũ. Probat. Min. natura communis per actum abstractivum, & præcisivum sejungitur à suis inferioribus, & consideratur absque ullo ordine ad ea : Ergo per eum non fit proximè apta ut de multis, id est, suis inferioribus prædicetur. Consequentia renet ;

net; quia ut natura sit apta prædicari de multis, aliquis ordo ad talia multa concipi debet, quô universalizatur Logicè natura communis. *Secundò;* naturæ metaphysicè communi abstractæ nil advenit de novo, nisi abstractio, & præcisio à suis singularibus: sed per hanc non universalizatur; quia per eam natura denudatur à suis singularibus, & quâ talis præcisè tunc consideratur, sinè ulla respicientia ad ea; quæ tamen necessaria est; & sinè ulla conjunctione cum illis, quam petit prædicabilitas; & consequēter Universalitas Logica: Ergo abstractio intellectûs non causat Universale Logicum.

4. Thomistis abstrahentibus respondetur.

Objiciunt Thomistæ *primò*: natura communis per actum abstractivum denudata suis singularibus est quid unum aptum prædicari de multis; quæ est definitio Universalis Logici: Ergo Universale Logicum causatur per actum abstractivum. *Secundò;* natura metaphysicè communis à suis singularibus per actum abstractivum secreta non est singularis: Ergo est Universalis Logicè; & consequenter hoc actu fit Universalis.

Respondeo *ad Primum* Neg. Ant. quia natura communis ut denudata suis singularibus non connotat conjunctionem, & unionem cum singularibus; prædicabilitas autem connotat necessariò conjunctionem, & unionem illorum extremorum; ut perspicuè docet Scotus *quæst. 37. Univers. §. contra. Ad secundum* Neg. Conseq. & dico, quòd natura metaphysicè communis ut secreta à suis singularibus sit duntaxat Universalis metaphysicè: vel dici potest, quod sit Universalis in potentia proxima; non verò in actu.

5. Univers Log. fit per actum comparativum.

Dico secundò: Universale Logicum causatur per actum comparativum. Ita Scotus *1. dist 3. q. 7. & 5. Met q. 11.* quem sequuntur Fuente, Columb. Mastrius, Merinet. Meurif. & alij Scotistæ; contra Thomistas, & ex nostris contra P. Fabrum, & Orbellum.

Probatur: Tum quia per actum comparativum aliqua natura communis redditur proximè prædicabilis de multis, puta de suis inferioribus; quia concipitur cum ordine, & unione ad illa: Ergo per hunc actum causatur Universale Logicum, quod est proximè prædicabile de multis. Tum quia Universale Logicum est quædam secunda intentio, & consequenter relatio rationis, seu comparatio passiva superioris ad inferiora: Ergo causatur per actum comparativum, quô superius confertur cum suis inferioribus. Tum quia ita sentit Porphyrius, quia *in sua Isagoge* definit Universalia per inferiora, volens per hoc significare, Universale effici per comparationem ad inferiora: Ergo &c.

6. Non quidem compositum.

Dico tertiò: Universale Logicum non causatur per actum comparativū compositum, seu judicativum. Ita colligitur ex Scoto *1. dist. 23. quæst. 1. & 5. Met. q. 11. & 7. q. 13.* sequitur Mastrius, Herman &c.

Probatur: natura antè illum actum comparativum compositum est proximè prædicabilis de pluribus. Ergo per illum nō fit Universale Logicum. Ant. Prob. actus judicativus, seu actualiter prædicans Universale per affirmationē (quod idem est ac actus compositus comparativus) præsupponit actū apprehensivū, & in tantùm verè judicat, in quantum verè apprehendit naturam esse proximè prædicabilem: hinc bene dicunt Complut: quòd actus prædicans potiùs faciat prædicatum; quam prædicabilem naturam; quia prædicabilitas in natura jam præest ut passio.

7. Sed simplicem.

Dico quartò: Universale Logicum fit per actum collativum simplicem, quô naturà aliqua apprehenditur inexistere multis sinè judicio. Colligitur ex Scoto *locis citatis, pro 2. 3. Conclus.*

Probatur *primò* ex dictis: Natura non fit Universalis per actum collativum compositum: Ergo remanet, quòd fiat per simplicem collationem, seu comparationem, quâ apprehenditur natura in multis. *Secundò*; per actum apprehensivum, & simpliciter collativum natura redditur proximè prædicabilis de pluribus; sicut albedo apprehensa in hoc pariete redditur proximè prædicabilis de hoc pariete: Ergo fit Universalis Logicè per actum collativum simplicem intellectûs.

8. Scotistis satisfit.

Objicies cùm aliquibus Scotistis: actus apprehensivus non potest esse collativus, seu comparativus: Ergo per illum non potest fieri Universale. Consequentia tenet; quia Universale fieri debet per aliquam comparationem. Prob. Ant. ut fiat actus collativus, debet comparari natura ad individua, & cognosci eis in esse, ac convenire: sed hoc facere nequit actus apprehensivus: Ergo &c. Prob. Min. quia na-

natura nequit cognosci in individuis, nisi prædicetur de illis; Ergo cum actus apprehensivus non prædicet naturam de individuis, nequit etiam eam cognoscere ut convenientem illis. Confirm. per actum comparativum natura comparatur ad singularia ut superius ad inferiora: sed inferiora constituuntur talia per actualem inclusionem superioris, quæ fit actualiter prædicando hoc de illo: Ergo &c.

Respondeo; in Schola Scoti comparationem, seu collationem simplicem omninò esse admittendam tanquam de mente Scoti *2. dist. 6. q. 1.* Ratio est *primò*; quia simplex apprehensio non tantùm est terminorum; sed etiam propositionum; ut patet, cùm intellectus ad prolationem alicujus propositionis dubiæ concipiat utique prædicatum in ordine ad subjectum; sed non progreditur ulteriùs, quia dubius est an debeat affirmare, vel negare; & hæc vocatur comparatio simplex, id est cognitio unius in ordine ad aliud absque affirmatione, vel negatione. Ratio est *secundò*; quia æstimativa potentia nostra, seu sensus communis discernit aliquando inter objecta sensuum externorum; quod fieri nequit sinè virtuali saltèm comparatione: Ergo à fortiori simplex apprehensio, seu actus apprehensivus. Unde in forma ad ***argumentum*** Neg. Ant. & Min. Prob. ejus, uti & Ant. Probationis ejusdem; nam natura abstracta apprehendi potest ut inexistens, & conveniens pluribus conjunctim & actualiter, & aptitudinaliter; nam si apprehensio attingat convenientiam inter duo alba per simplicem intuitum, poterit similiter attingere convenientiam naturæ cum individuis per simplicem comparationem sinè prædicatione actuali. ***Ad Confirm.*** Nego Min. quia quamvis requireretur actualis inclusio superioris in inferiorib9; quod tamen non omninò certum est; quia sufficit aptitudinalis fortè; adhuc tamen per actualem prædicationem hæc non fieret; sed sufficeret solus actus inessendi.

9. Modus quò natura fit universalis Logicè.

Ex dictis collige quomodo fiat natura aliqua Universalis: *Primò* enim apprehendit intellectus singularia, ac realem eorum convenientiam. *Secundò*, deinde abstrahit naturam illam, quæ erat ratio convenientiæ à singularibus. *Tertiò* subsequenter comparat comparatione simplici naturam sic præcisam, & abstractam ad singularia, quatenus ab omnibus participabilis est conjunctim,& hic fit Universale Logicum. *Quartò* tandem exercet Universalitatem naturæ, ipsam prædicando prædicatione, seu actu collativo compositivo dicente, hoc est hoc.

10. Natura universalizatur per intellectũ patientem.

Dico quintò: Universale Logicum fabricatur tantùm per operationem intellectûs passibilis, seu patientis. Ita colligitur ex Scoto *2. dist. 3. q. 1. §. sed contra*, quem sequuntur Bargius, Columb. Lychetus, & alij Scotistæ; contra Thomist. & P. Fabrum, ac Orbellum.

Probatur: Tum quia natura aliqua communis denudata suis singularibus antè operationem intellectûs passibilis, seu patientis est duntaxat in potentia proxima, ut fiat Logicè Universalis: Ergo demum per operationem intellectûs patientis fit sic Universalis. Tum quia intellectus agens habet tantùm principaliter transportare objecta ex ordine materialium ad ordinem spiritualium; intellectus verò patiens habet ea intelligere, dum ab intellectu agente offeruntur, per species intelligibiles, naturámque secretam à suis singularibus ad eadem singularia ut inferiora comparare; adeoque ab eo solo efficitur Universale Logicum.

11. Scotus reconciliatur.

Objiciunt oppositi Scotistæ: Scotus adversatur Conclusioni: Ergo &c. Prob. Ant. nam *1. dist. 3. q. 6.* asserit, ad intellectum agentem pertinere efficientiã Universalis formalis. Idem habet *7. Met. q. 16.* Ergo &c. Respondeo Neg. Ant. ad Probationem ejus dico, Scotum *locis citatis* procedere problematicè, & disputativè; deinde verò in *2. dist. 3. q. 1.* magis propendere pro intellectu patiente, quòd is solus causet Universale Logicum.

QUÆSTIO III.

Quid; & quotuplex sit prædicatio; quæve sint prædicabilia?

IN Examine Universalis Logici hactenus facto apparuit prædicabilitatem constituere ejus essentiam; ut porrò hæc prædicabilitas exactiùs intelligatur, consultum esse judico, ut quæ-

quæstionem de prædicatione, & eorum quæ prædicari possunt legitimè, ex professo hic discutiam; etsi ab alijs *in lib. Periher.* ventiletur. Unde

1. *Quid sit prædicatio.*

Dico primò: Bene describitur prædicatio, quòd *sit unius de alio intellectualis enunciatio*. Est in re communis apud AA.

Probatur: Hæc descriptio bene explicat naturam prædicationis: Ergo &c. Ly *enunciatio* est genus; reliqua sunt pro differentia: intelligitur autem per ly *enunciatio intellectualis* aliquod judicium intellectûs, quò aliquid de aliquo judicatur, v. g. dum de Platone judico risibilitatem in hac enunciatione, *Plato est risibilis*. Circa secundum articulum quæstionis.

2. *Eius multiplicitas.*

Nota primò: prædicationem aliam esse affirmativam, aliam negativam. *Prima* est, in qua aliquid alteri attribuo; talis est hæc *Plantus est animal rationale*. *Secunda* est, in qua aliquid ab altero removeo; talis est hæc, *Plato non est leo*. Rursus alia est directa, alia indirecta, alia formalis, alia identica, alia essentialis, alia accidentalis, & denominativa; quarum explicationes vide *in Tract. de Ente rationis dist.* t. *q.* 5. *notab.* 7. omnes porro prædicationes fiunt in terminis concretis, & abstractis; circa quos proinde.

3. *Quid concretū, & abstractū, & varia eorum divisio.*

Nota secundò: Illud prædicatum dici *concretum*, in quo consideratur forma ut adjacens, concernens, afficiens, & denominans aliquam rem; tale est ly *homo*, in quo rationale ut ejus forma metaphysica concreta, & involuta consideratur. Illud verò dicitur prædicatum *abstractum*, in quo forma sola à subjecto avulsa attenditur; tale est ly *justitia*, quæ à re justa consideratur sejuncta.

Nota tertiò: prædicatum concretum vel esse *substantiale*, seu substantivum, quod habet formam adjacentem, quæ in quid est prædicabilis de re aliqua; tale est ly *homo* includens formam animalis, prædicabilem de homine. Vel est *accidentale*, & est quod includit formam de genere accidentis, quæ tantùm est prædicabilis in quale; tale est ly *album*. Similiter prædicatum *abstractum* aliud est *substantiale*, & est ipsa sola forma prædicabilis in quid, v. g. animalitas respectu animalis. Aliud *accidentale*, & est ipsa sejuncta forma prædicabilis in quale v. g. albedo respectu albi. Ex his aliqua sunt *ultimatè abstracta*, & sunt illa, in quibus non remanet ulterior abstractio, eò quòd res aliqua secundùm sola essentialia prædicata consideretur absque habitudine ad aliud, tale est *equinitas* ut est tantùm equinitas: & aliqua *non ultimatè abstracta*, in quibus adhuc remanet locus abstrahendi; tale est albedo, à qua adhuc abstrahi potest albedineitas; cùm remaneat albedinis habitudo ad aliqua concreta, quorum significata formalia in ipsa includuntur, puta coloris, qualitatis &c.

4. *Concreta possunt prædicari de se invicem formaliter, quando sunt primæ intentiones cum habitudine.*

Dico secundò: Concreta tam substantialia, quàm accidentalia, ut sunt quædam primæ intentiones objectivæ, possunt prædicari de se invicem prædicatione formali; dummodo habeant aliquam habitudinem identitatis inter se, seu formas easdem. Ita communis Philosophorum.

Probatur: hæc prædicatio est vera, *homo est animal*, in qua concretum substantiale *animal* ceu quædam prima intentio objectiva prædicatur de *homine*, ad quem habet aliquam habitudinem identitatis; puta tanquam genus ad suam speciem; & quia animalitas ut forma includitur in homine. Similiter hæc est bona, *nix est alba*, in qua concretum accidentale album, ut quædam prima intentio, prædicatur de nive, ad quam habet quamdam habitudinem identitatis; puta inhæsionis accidentalis in subjecto; & quia in nive albedo ut forma accidentalis subjectatur: Ergo &c. Per *habitudinē identitatis* hìc nō debet intelligi sola identitas realis, vel formalis; sed etiam peculiaris quævis connexio in ratione formæ, adjacentis vel essentialiter, vel accidentaliter.

5. *Similiter quædo sunt secundæ intentiones certo modo prædicantur.*

Dico tertiò: Concreta verò intentionalia, seu secundæ intentiones objectivæ, cujusmodi sunt Universalia, solùm prædicari possunt de naturis, quibus intellectus cum fundamento in re affigit prædicabilitates quasdam ipsis correspondentes. Est quoque communis sensus Authorum.

Probatur: Ideo hæc prædicatio concreti intentionalis, seu secundæ intentionis objectivæ de natura communi, *animal est genus*, est bona; quia intellectus videns in natura communi animalis convenientiam cum homine, & bruto, utitur hôc ut fundamentô, & affigit naturæ animalis prædicabilitatem de pluribus specie differentib⁹, quæ vocatur genus: Ergo &c.

6. *Etiam de se invicem in concreto.*

Nota quartò: similiter concreta intententionalia, seu secundæ intentiones de

de se invicem prædicari possunt; ita scilicet, ut superiora de inferioribus possint prædicari in concreto; unde bona est hæc prædicatio, *genus est Universale*: non verò in abstracto; unde est falsa hæc, *genus est Universalitas*: neque unum abstractū superius de alio inferiori; unde falsa est hæc, *genereitas est Universalitas*. Vide plura de prædicatione intentionum secundarum *tract. de Ente rationis dist. 1. q. 5. concl. 1. & 2.*

7. *Concreta de suis abstractis nequeunt prædicari.*

Dico quartò: nullum concretum potest prædicari formaliter de proprio abstracto; nisi unum eorum sit illimitatum. Est communis doctrina DD.

Probatur prima pars: non sunt bonæ hæ, & similes prædicationes concretorum de suis abstractis, *humanitas est homo; & albedo est alba; & justitia est justa*. Ratio est; quia abstractum, cùm significet formam in se, & absolutè, habet se ut *quo*, id est ut formalis ratio constituendi; concretum verò, quia significat formam in recto, se habet ut *Quod*, id est ut constitutum, seu ut habens formam; adeoque nequit concretum de abstracto dici; alioquin *quo* mutaretur in *quod*; quod fieri nequit.

8. *Qualis sit prædicatio hæc, quantitas est quanta.*

Objicies: bona est hæc prædicatio *quantitas est quanta*: sed hic prædicatur concretum de suo abstracto: Ergo &c. Respondeo Neg. Min. hic enim est prædicatio duntaxat concreti adjectivi de concreto substantivo, in quo includitur *quantitas* tanquam forma concreti quanti; quare sensus hujus propositionis, *quantitas est quanta*, est iste, hoc accidens absolutum, & concretum, quod spectat ad prædicamentum quantitatis, est quantum. Unde notandum bene, quòd quantitas possit dupliciter sumi: *primò* pro accidente absoluto prædicamentali; & sic constituit unū ex decem prædicamentis: & si in hoc sensu usurpetur quantitas, non est ista prædicatio concreti de abstracto *quantitas est quanta*. *Secundò* sumitur prout significat illam formam solam, quæ dicit extensionem ad locum; & in hoc sensu usurpata facit in hac propositione *quantitas est quanta*, prædicationem concreti de abstracto; quæ est falsa omnino; sicut hæc, *humanitas est homo*.

9. *Abstracta illimitata prædicantur de concretis.*

Probatur secunda pars conclusionis *de illimitatis*: bona est hæc prædicatio concreti illimitati, seu Divini, *Deitas est DEUS*. Rationem reddit Scotus *1. dist. 8. q. 4.* quia quodlibet abstractum in Divinis est infinitum; ac proinde ratione infinitatis exigit conjungi cum quocunque subjecto, cui realiter identificatur; licèt per intellectum abstrahatur; de ratione enim infinitatis est, identificare sibi omne compossibile: quare ex hoc intellectus habet fundamentum cum veritate instituendi prædicationes concretorum illimitatorum, seu infinitorum de suis abstractis.

10. *De nō ultimatè abstractis dicuntur concreta.*

Dico quintò: possunt tamen de nō ultimatè abstractis alijs prædicari quædam concreta, quorum scilicet significata formalia in illis abstractis subjectantur, includuntur, & connectuntur; dummodo ex vi significandi non concernant subjecta, à quibus abstracta illa præscindunt. Hæc pariter est communis apud AA.

Probatur prima pars: non ultimatè abstracta possunt à parte rei connecti aliquô modô cum concretis aliquibus; puta si fiant subjecta aliquorum accidentium, & illa includant, à quibus per abstractionem jam factam non præscindunt; unde hæ prædicationes concretorum de non ultimatè abstractis sunt veræ, *albedo est color; & quantitas est æqualis*: Ergo &c.

11. *Limitatio prioris.*

Probatur secunda pars: ista prædicatio est falsa, *albedo est quanta*; quia hæc denominatio provenit à quantitate, quatenus est subjectum albedinis, & radix ipsius est connexio inter quantitatem, & albedinem; sed albedo præscindit ab ista connexione; cùm sit abstractum à subjecto: Ergo quando concreta ex vi significandi concernunt subjecta, à quibus non ultimatè abstracta præscindunt, tunc non possunt de non ultimatè abstractis prædicari.

12. *De ultimatè abstractis prædicantur sola essentialia.*

Dico sextò: De ultimatè abstractis possunt solum prædicari formaliter illa concreta, quæ in primo modo dicendi ei conveniunt, id est sola essentialia. Colligitur ex Scoto *1. dist. 5. q. 1.*

Probatur: Ultimatè abstractum præscindit ab eo, quod est extra quidditatem, & essentiam suam; & ipsa quidditas tunc in tali abstractione ultimatè concipitur absque habitudine ad quodcunq;, quod est posterius, & extra propriam rationem ejus, v g. ut Aristotelis exemplô utar, in tali abstractione ultimata concipitur equinitas tantùm ut est equinitas: Ergo de taliter abstractis nullum aliud concretum potest prædicari cum veritate; nisi

nisì illud, quod in primo dicendi modo ipsis convenit. Unde non est bona hæc prædicatio, *equinitas est currens; est hinnibilis &c.* quia hæc concreta non conveniunt ei in primo dicendi modo. Sunt autem bonæ istæ prædicationes, *humanitas est ens; est substantia &c.* quia ratio entis, & substantiæ convenit humanitati in primo dicendi modo; cùm sint prædicata quidditativa ejus. Hæc de prædicatione concretorum de abstractis. Nunc expendendo econtrà prædicationem Abstractorum de concretis, & alijs abstractis.

13. Abstracta de concreto dici nequeunt.

Dico septimò: nullum abstractum potest prædicari veridicè de concreto. Ita communis Doctorum.

Probatur: Abstractum quà tale præscindit à subjecto, & supposito; concretum verò concernit subjectum, & suppositum: Ergo abstractum quà tale non potest prædicari veridicè de concreto. Consequentia tenet; quia ratione abstractionis tollitur radix omnis veritatis à prædicationibus. Unde falsæ sunt istæ prædicationes, *homo est humanitas; & lignum est albedo; & album est color.*

14. Secus est in non ultimatè abstractis.

Dico octavò: unum non ultimatè abstractum accidentale potest prædicari de alio non ultimatè abstracto accidentali; quando se habent ut superius, & inferius. Est communis.

Probatur: non ultimatè abstracta accidentalia, quando se habent ut superius in ordine ad inferiora, habent se ut concreta; cùm inferiora concernat: Unde bona est ista prædicatio non ultimatè abstracti de alio non ultimatè abstracto: *albedo est color*; & ista *albedo est qualitas.*

15. Nisi sit generi cũ unum & alterũ differentiale.

Dico nonò: Abstractum tamen genericum non potest prædicari de abstracto differentiali; vel è contrà. Est communis.

Probatur: quia in tantùm unum de altero prædicatur, in quantum uniuntur in specie, quam unionem concernunt per nomina concreta; abstracta autem ut abstracta præscindunt à tali unione: Ergo ut abstracta non possunt ad invicem prædicari; & consequenter abstractum genericum cùm præscindat ab unione cum abstracto differentiali, & è contrà, non poterit prædicari de eo. Unde falsa est hæc prædicatio, *animalitas est rationalitas*; & è contrà. Idem videtur dicendum de abstractis, quæ in ordine ad alia accidentaliter nata sunt prædicari; ut *humanitas est albedo*, vel *albedinitas*: præterquam quando prædicatum abstractum denotat officium aliquod, & actus subjecti abstracti; utì contingit in his prædicationibus, *rationalitas est differentia; & risibilitas est proprietas.*

16. Ultimatè abstracta nõ dicuntur de ultimatè abstractis.

Dico decimò: nullum ultimatè abstractum in creatis potest identicè, aut formaliter prædicari de alio ultimatè abstracto. Ita Scotus *1. dist. 1. q. 1.*

Probatur: quia ut ait Scotus *loc. cit.* Ultimatè abstractum in creatis significat tantùm quidditatem absolutissimè sumptam, ita ut nullam omnino dicat convenientiam cum alia re, quæ est extra suam rationem formalem; adeoque ut tale nullam dicit habitudinem ad aliud extrinsecum: Ergo tale abstractum in creatis nec identicè, nec formaliter potest prædicari de alio ultimatè abstracto; cùm hoc sit extra rationem formalem ejus; & radix veritatis propositionis, quæ est unio inter ea, non reperiatur, ob præcisionem, & abstractionem omnimodam. Unde falsa est ista prædicatio, *equinitas est animalitas.*

Y DI-

DISTINCTIO III.

De Genere.

PRÆNOTATIO.

Posteaquam Porphyrius 1. cap. *suæ Isagoges plura de Universalibus in communi dixisset, quasi proæmialia, & prældialia;* 2. cap. *prosequitur eorum tractatum in particulari, declarando uniuscujusque naturam in particulari; & primò Generis; quia hoc participat perfectiori modô naturam Universalis: cum quo & ego. Unde sit.*

QUÆSTIO I.

De acceptione; divisione; & definitione Generis.

Nota primò: Porphyrius *in Isag. cap. de genere* tres affert magis usitatas acceptiones Generis; quatuor verò Aristoteles 5. *Met. cap. 28. tex. 33.* verùm hæ quatuor Aristotelicæ in illis tribus Porphyrianis comprehenduntur, propter affinitatem unius cum altero.

1. Varia acceptiones Generis. Nota secundò: prima itaq; acceptio Generis apud Porphyrium estpro *collectione aliquorum*, quodammodo habentium se ad invicem per quandam cognationem ob unum principium commune: hoc sensu collectio Judæorum dicitur Genus Abrahæ juxta illud *Act. 13. filij genus Abrahe*. *Secundò* accipitur pro principio cujuscunque generationis, sive illud sit productivum, sive conservativum: hoc sensu quivis Pater habens plures filios dicitur esse Genus eorum; & Aristoteles dicitur esse ex Genere Nicomachi; & Orestes ex Tantalo habere Genus. Et de hoc procedit illud Num. 13. *vidimus monstra quedam Filiorum Enoch de genere gigantis*. *Tertiò* accipitur Genus pro eo, cui subduntur species; hoc sensu animal dicitur Genus; quia sub ipso collocantur species hominis, leonis &c. Primæ duæ acceptiones pertinent ad Poëtas, Historicos, & Oratores: Tertia verò ad Philosophos. Circa quod

2. Quid Genus Metaph. Phil. & Logicum. Nota tertiò: Genus philosophicè consideratum, aliud est Physicum; aliud Metaphysicum, aliud Logicum; ut colligitur ex Scoto *quæst. 7. prædicam.* & tenet comuunis AA. *Genus physicum* est materia transmutabilis; unde quæ ad invicem sunt transmutabilia, dicuntur esse ejusdem Generis physici; quæ verò materiâ carent, dicuntur Genere distingui, secundùm illud Aristotelis *10. Met. cap. 13. text. 26.* corruptibile, & incorruptibile different plus quàm Genere, subaudi physicô. *Genus Metaphysicum* est unum aptum inesse multis specie differentibus; ut habet Scotus *7. Met. q. 18.* *Genus Logicum* est quod prædicatur de multis specie differentibus in quid; ambas has definitiones infrà ampliùs examinabo.

3. QuidGenus supremũ, subalternũ, & infimũ. Nota quartò: Genus hoc utrumq; ex Scoto *quæst. 24. primi Poster.* partitur in supremum, subalternum, & infimũ. *Genus supremum* est, quod super se non habet aliud Genus; sed est ita genus, ut nequeat esse species; talia sunt decem prædicamenta, scil. *substantia, quantitas &c.* de quibus *sequenti Tract.* *Subalternum* est, quod respectu Generis generalissimi est species; respectu verò inferiorum est Genus; tale est *corpus*, quod quatenus respi-

cit substantiam est species; quatenus autem respicit animatum, & inanimatum est Genus subalternum. *Genus infimum* est, cui subesse nequit aliud Genus; tale est *animal.*

4. Quid proximũ & remotum.

Nota quintò: rursus Genus ex eodem Doctore *cit.* aliud est proximum, aliud remotum. *Proximum*, quod & immediatum dicitur, est, quod immediatè de aliquibus prædicatur; tale est substantia respectu corporis. *Remotum*, quod & mediatum appellatur, est, quod distat ab eo, de quo enunciatur; tale est ly *substantia* respectu hominis, inter quem, & substantiam multa interponuntur, ut ratio corporis, animati, & animalis. Circa definitionem Generis.

5. Quid definitio quidditativa, & descriptiva

Nota sextò: Ammonium Boet. Alber. & Villalp. sensisse Genus non posse definiri. Potest autem hoc intelligi, vel de definitione rigorosa, & pressa; vel de descriptiva. *Prima* habetur quando adhibetur oratio explicans quidditatem rei per Genus, & differentiam, vel saltèm per aliqua, quæ Genus, & differentiam circumscribunt. *Secunda* habetur, quando adhibetur oratio explicans conceptum quidditativum, & essentialem rei; licèt Genus, & differentiam non habeat.

6. Genus potest definire pressè.

Dico primò: Genus potest definiri definitione rigorosa. Ita Scotus *q. 15. Univers.* & communis Scotistarum.

Probatur *primò* authoritate Philosophi, qui *1. Top. cap. 4.* definit rigorosè Genus: idem facit Porphyrius *cap. 2. Isag.* Ergo &c. Probatur *secundò* ratione; potest assignari pro Genere definiendo oratio explicans quidditatem Generis per verum conceptum genericum, & differentialem: Ergo Genus potest definiri definitione rigorosa. Prob. Ant. potest assignari pro conceptu veluti generico quidditatis, quam habet Genus, ratio communis Universalis, scilicet *esse in multis, & dici de multis;* pro conceptu verò veluti differentiali *esse in pluribus specie diversis: & prædicari de pluribus specie differentibus*: Ergo ex hujusmodi conceptibus componi potest oratio explicans quidditatem Generis per Genus, & differentiam; & talis mox afferetur.

7. Objectiones afferuntur.

Objicies *primò*; Generis non datur genus; alioquin fieret processus in infinitum: Ergo Genus non definitur rigorosè per conceptum Generis. *Secundò*; Philosophus *7. Met.* ait, concretum non posse definiri; cùm involvat diversas naturas: sed Genus est concretum quoddam; quia dicit naturam, & secundam intentionem simul: Ergo &c. *Tertiò*; idem Philosophus *6. Top.* & Scotus *q. 12. Universal.* dicunt, quòd sola species definiatur; quia illa sola constat Genere, & differentiâ: sed Genus non est species: Ergo non definitur.

8. Et resolvuntur.

Respondeo *ad primum* Dist. Ant. Generis ut Genus est, non datur Genus Conc. Ant. ut species quædam subijcibilis est, Nego Ant. Itaque Genus dupliciter considerari potest; semel ut est Genus propriè, & primum prædicabile præcisè; & semel ut quædam species subijcibilis est; id est unum ex quinque prædicabilibus, & contentum sub Universali ut sic. In proposito conclusio procedit de Genere, ut quædam species subijcibilis est, & unum ex quinque prædicabilibus, quod quà tale habet Genus, per quod potest definiri. *Ad secundum* dico cum Scoto *quæst. 5. Prædicam.* Philosophum *loc. cit.* loqui de concreto per aggregationem tali, quod videlicet ex pluribus naturis diversis conflatur, & aggregatur; quale est *homo albus;* tale concretum haud dubiè nequit definiri: non verò loquitur de concreto, quod unicâ naturâ constat, uti se habet Genus. *Ad tertium* Dist. Min. Genus non est species respectu Universalis ut sic Neg. Min respectu aliorum Universalium in particulari Conc. Min. & Neg. Consеq.

9. Definitio Generis Metaph.

Dico secundò: Aptè definitur Genus metaphysicè inspectum, quòd *sit illud Universale, quod potest inesse pluribus specie differentibus per modum partis essentialis incompletè.* Ita Scotus *7. Met. q. 18.* Orbellus &c.

Probatur: Hæc definitio habet omnia requisita essentialia ad exactam definitionem: Ergo eâ aptè definitur Genus metaphysicè inspectum. Ly *Universale* est Genus; reliqua statuuntur pro differentia: per ly *inesse pluribus* differt Genus metaphysicum à logico: per ly *specie differentibus* discriminatur à specie secundo Universali: per ly *per modum partis essentialis incompletè* datur intelligi Genus non importare totam essentiam illius, cui inest; sed tantùm partem; per quod rursus differt à specie, quæ totam

Y a essen-

essentiam rei completè importat, v. g. *homo* qui est species animalis, importans Genus, & differentiam; id est animal, & rationale.

10. *Et Generis Logici.*

Dico tertiò: Exacta, & quidditativa est definitio Generis Logici, quâ definitur *esse illud Universale, quod est prædicabile de pluribus specie differentibus in quid præcisè, & incompletè.* concordat cum illa, quam habet Aristoteles *1. Top. cap. 4.* & recepit Porphyrus *cap. de genere*, ac Doctor *q. 15. Universal.* sub istis terminis.; *Genus est, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, in eo quod quid.*

Probatur: Hæc definitio pariter constat omnibus requisitis conditionibus exactæ, & quidditativæ definitionis: Ergo &c. Ly enim *Universale* est Genus; reliqua formant differentiam. Dicitur *prædicabile de pluribus specie differentibus*, in quo Genus Logicum differt à Genere metaphysico, & à Specie: adjungitur *in quid præcisè*, id est per modum per se stantis, seu substantiæ, in quo distingvitur à differentia, quæ in quale quid prædicatur, id est per modum qualificantis, seu per modum qualitatis, ut dicit Doctor *quæst. 12. Univers.* quia nimirum non dat primum quidditatis fundamentum, sicut Genus; sed ei advenit, & illud determinat, & qualificat. Per eandem particulam differt à Proprio, & Accidente, quæ non prædicantur in quid, id est essentialiter. Additur & *incompletè*, ut detur intelligi Genus Logicum esse prædicabile tantum per terminum explicantem partem essentiæ subjecti, quæ tamen est simul quoddam totum potentiale, in quo rursus differt à specie.

11. *P. Poncius confutatur.*

Objicies cum P. Poncio: si Genus Logicum bene definiretur, & differret à Specie, & propterea faceret aliud Universale Logicum, ex eo quòd incompletè prædicetur; sequeretur quod similiter Genus generalissimum faceret novum Universale; quia prædicatur magìs incompletè, quàm Genus subalternum, vel infimũ; quia est magìs potentiale; cùm sit in potentia ad quodcunque Genus inferius; v. g. substantia ad animatum, & inanimatum; ad corporeum, & incorporeum &c. sed sequela non est admittenda: Ergo Genus Logicum non bene definitur in conclusione. Respondeo Neg. sequelam Maj. nam major, vel minor incompletio, ac potentialitas non inferunt distinctionem specificam, & diversitatem Universalium; quia Philosophus ait, majus, & minus in eadem linea non variant speciem; uti constat de magis, & minus albo.

12. *Definitio Univers. Logici est per additamentum.*

Nota septimò: assignatam definitionem Universalis Logici esse quidem quidditativam; sed per additamentum. Ratio est; quia in ea ultra Genus, & differentiã ponitur aliquid aliud, scilicet illæ species differentes, quæ non sunt de essentia Generis; quia salvaretur ratio Generis, si una tantùm species daretur actu, & altera esset possibilis, ut infrà docebo. Cur autem data sit per additamentum, ratio est; quia aliás non posset significari Genus, & differentia ejus: neque enim quis explicare potest prædicabilitatem de pluribus speciebus, nisi ponendo in definitione prædicabilitatis plures species. Simili etiam definitione definiuntur accidentia aliqua; imò & substantiæ nonnullæ, quæ cum ordine ad aliud intelligi debent, quì ordo facit definitionem per additamentum.

Nota octavò pro sequentibus conclusionibus: ly *Genus* (uti & reliqua quatuor Universalia) esse nomen concretum, cujus abstractum est Genereitas; omne autem concretum duo importat materiale, & formale; seu subjectum, & formam. In proposito materiale Generis est natura communis, v. g. animal: formale est secunda intentio, quæ tali naturæ applicatur. Quæri itaq; potest quid per definitionem Universalis Logici suprà dati definiatur.

13. *In definitione Generis Logici definitum non est natura communis.*

Dico quartò: In definitione data Universalis Logici directè definitum non est natura communis; nec aggregatum ex natura, & secunda intentione; sed sola secunda intentio Genereitatis in concreto, prout scilicet connotat naturam in actu exercito prædicabilem de pluribus. Ita colligitur ex Scoto *4. Quodlib. 6. & quæst. 14. Universal.* quem sequuntur communiter Scotistæ. Prima pars est contra Morisan. Amicum, Paulum Venetum, & alios docentes, in definitione data Aristotelis, cum qua concordat quoque illa, quæ datur *concl. 3.* definiri ipsam naturã, ut connotat Genereitatem. Secunda est contra Hurtad. Ruvium, & alios RR. asserentes eâ definiri directè aggregatum ex utroque.

Probatur prima pars: Tum quia defini-

finitio data non est circa realia; sed circa intentionalia; quia agit de prædicabilitate, quæ est quædam secunda intentio; & circa Genus logicè consideratum: Ergo hæc non intendit directè definire, & explicare naturā cōmunem, quæ est quid reale. Tum quia natura communis ut talis non est proximè prædicabilis signatè de pluribus specie differentibus; sed hoc accipit à secunda intentione, quæ ei datuniversalitatem, & prædicabilitatem proximam: Ergo directè definitum in definitione Universalis Logici non est natura communis.

Obijcies: Porphyrius *cap. de genere* afferens definitionem Generis Logici eam exemplificat de rebus, puta *de animali, & homine*: Ergo vult in dicta definitione rem, seu naturam esse definitum. Respondeo Neg. Conseq. Nam ut bene observat Scotus *q. 14. Univers.* Porphyrius ideo duntaxat exemplificat definitionem de rebus; quia res sunt nobis notiores, quàm secundæ intentiones: & quia quod per definitionem signatur insecundis intentionibus, exercetur in primis, seu in rebus.

14. *Nec aggregatū ex natura & secunda intentione.*

Probatur secunda pars: Tum quia aggregatum ex natura, & secunda intentione est ens per accidens, coalescens ex rebus diversorum prædicamentorum: Ergo hac definitione nequit definiri directè: definitum enim directum debet esse ens unum per se; ut colligitur ex Aristotele *6. Met. 4. & 5. text.* Tum quia illud in definitione Generis Logici est definitum, quod prædicatur de pluribus specie differentibus, & ad inferiora descendit: sed aggregatum ex natura, & secunda intentione non descendit ad inferiora; neque exercitè prædicatur de ipsis; quia exercita prædicatio est propria primarum intentionum; signata secundarum, ex Scoto *4. dist. q. 2.* hoc autem aggregatum nec est prima, nec secunda tantùm intentio; sed mixtum ex utroque: Ergo non est directum definitum in definitione Generis Logici.

15. *Sed Genereitas.*

Probatur tertia pars: Tum quia definitio Universalis Logici est alicujus entis intentionalis; *Logica* enim ut habet Scotus *in Report. 2. dist. 7. agit de secundis intentionibus applicatis primis*: Ergo ejus definitum directum est secunda intentio Generis, ut connotans primam, & est naturam communem. Tum quia illud per se & directè in definitione Universalis Logici definitur, quod est proximè prædicabile in actu signato de pluribus specie differentibus: sed sola Genereitas in concreto, id est ut connotans naturam communem, est sic prædicabilis: Ergo &c.

Quod autem Genereitas definita debeat connotare naturam communem, inde patet; quia ipsa est signum respiciens suum signatum; signatum autem est natura communis; adeoque ipsam respicit; & consequenter connotat.

16. *Limitatio prioris.*

Nota autem ultimò: in definitione agi de Genere, in actu signato prædicabili de pluribus: si enim Genus consideretur, ut prædicatur in actu exercito; tunc directum definitum in ejus definitione statui debet natura communis; & ipsa secunda intentio tanquam conditio, vel forma accidentalis denominans connotatur; ut eruditè de mente Scoti *2. dist. 3. q. 1.* docet Reverendissimus P. Lychetus, dignissimus olim Generalis Ordinis mei.

QUÆSTIO II.

Qualis sit prædicatio Generis de suis inferioribus?

1. *Genus prædicatur de speciebus, & individuis.*

Nota primò: Genus habere inferiora in duplici sorte; quædam enim sunt Species, & quædam Individua. Quòd Genus prædicetur de primis, id est de Speciebus, docet tum Scotus *1. Post er. q. 10.* Tum Porphyrius *cap. de genere.* Tum Aristoteles *in prædicamentis*, ubi probat bene substantias secundas prædicari de primis, quia animal prædicatur de homine. Et est ratio ulterior; quia Species sūt partes subjectivæ Generis: Ergo de ipsis prædicatur. Quòd etiam prædicetur de Individuis habet Scotus *q. 17. Universal.* & claret inde; quia bona est hæc prædicatio, *Plato est animal*, ubi Genus prædicatur de Individuo. Et est ratio ulterior; quia Genus in Individuis includitur essentialiter; adeóque de ipsis prædicatur. Sed quæritur sub qua ratione de utrisque prædicetur.

Di-

2. *De speciebus per modũ totius potentialis.*

Dico primò: Genus non prædicatur de specie per modum partis; sed per modum totiùs potentialis. Ita Scotus *1. Poster. q. 23. & q. 25. Universal.* & tenet communis Scotistarum, cum D. Thoma, Cajet. Hurtad. contra Paulum Venetum, Canter. & Plures RR. qui putant Genus prædicari ut partem vel actualem, vel potentialem, seu metaphysicam.

Nota autem secundò: totum aliud esse actuale; aliud potentiale. *Totum actuale* est, quod actu, & intrinsecè includit omnes suas partes, tale est *homo*. Et hoc aliud est *Integrale*, cujus partes singulæ non sunt necessariæ ad essentiam rei: & aliud *Essentiale*, cujus partes singulæ sunt de essentia rei. *Potentiale* verò (quod & potestativum appellatur) est aliquod superius, quod actu non includit inferiora tanquam partes; potest tamen de eis prædicari; quia ad illa contrahitur per identitatem realem; hoc etiam dicitur totum in ratione habentis; tale est animal respectu hominis, & bruti. Nunc

Probatur conclusio primò authoritate Boëtij *lib. division.* quam affert, & amplectitur Scotus *1. Poster. q. 23.* his verbis, *Genus in prædicatione est totum; in definitione verò est pars*: Ergo &c.

Probatur secundò ratione: Tum quia pars physica non prædicatur de toto physico; nam falsa est ista prædicatio, *homo est anima rationalis*: Ergo neq; pars Logica, sive rationis prædicatur de toto Logico, quale totum est Species. Tum quia Genus ut Genus respicit plura, puta partes subjectivas, de quibus potest prædicari: sed Genus ut est pars solùm connotat Speciem, quam constituit: Ergo prædicatur de Specie non ut pars; sed per modum totius potentialis.

3. *Itē & de individuis.*

Dico secundò: similiter de suis Individuis Genus prædicatur ut totum potentiale. Est conformis Scoto *q. 17. Universal.*

Probat. Tum à paritate prædicationis de Speciebus. Tum quia etiam Genus comparatum ad Individua sua prædicatur per modum Generis: Ergo consequenter per modum cujusdam totius potentialis. Tum etsi Genus de Individuis prædicetur mediante Specie; adhuc tamen suum modum nativum prædicandi de inferioribus non amittit, qui est prædicari per modum totius potentialis: Ergo &c. Pro intellectu sequentium conclusionum.

4. *Quid prædicatio immediata, & mediata.*

Nota tertiò: Prædicationem aliam posse attendi immediatam, aliam mediatam. *Immediata* habetur, quando unum de alio enunciatur absque ullo intermedio, taliter prædicatur animal de homine dicendo, *homo est animal*. *Mediata* habetur, quando unum de aliquo tertio; enunciatur talis est prædicatio animalis de Platone, ut si dicas, *Plato est animal*.

Dico tertiò: Genus prædicatur immediatè de suis Speciebus. Ita Scotus *q. 14. Universal.* & communis Scotist.

5. *Genus prædicatur immediatè de speciebus.*

Probatur *primò* authoritate Porphyrij *cap. de genere*, conclusionem asserentis. *Secundò* ratione: ibi est immediata prædicatio, ubi nihil interponitur inter id quod prædicatur, & id de quo prædicatur: sed inter Genus, & suas Species in recta linea prædicamentali nil interponitur: Ergo ibi est prædicatio immediata.

6. *De individuis verò specificis mediatè.*

Dico quartò: De Individuis verò suis specificis Genus prædicatur mediatè duntaxat. Ita Scotus *17. Universf.* Fuente, Colum. Mastrius, & alij Scotistæ, quos sequitur Suar. Masi. Jauel. &c. contra Hurtad. Arriag. Ovied. & Nominales, immediatam prædicationem statuentes.

Probatur: ibi est mediata duntaxat prædicatio, ubi aliquid mediat: sed inter Genus, & Individua sua specifica mediat Species; omne enim specificum Individuum est alicujus speciei: v. g. Plato est Individuum specificum speciei humanæ, Bucephalus Individuum speciei brutalis: & utrique ratio animalis, quod est Genus, convenit mediante specie humana, & brutali: Ergo de Individuis specificis Genus, prædicatur mediatè duntaxat.

7. *De genericis autem immediatè.*

Dico quartò: quod si verò admittantur Individua generica, de eis Genus prædicabitur immediatè. Ita colligitur ex Scoto *1. dist. 3. q. 6. & 4. dist. 8. q. 2.* & habet Bargius, Mastrius, P. Vausichen, & alij nonnulli Scotistæ; quibus adstipulantur D. Thomas, Ovied.

Nota autem quartò pro intellectu conclusionis: Individua posse attendi in duplici differentia: ita ut alia sint specifica, & completa; alia generica, & incompleta. *Individua specifica*, & completa sunt illa, quæ à parte rei dantur, & immediatè sub Specie collocantur ut ejus inferiora; talia sunt Plato, Plautus, Socrates sub Specie humana collocabilia. *Individua generica* sunt, quæ ab intellectu concipiuntur sub gradu naturæ genericæ nō considerato

ratô gradu specificô, quem reverâ participant; tale Individuum solemus concipere, dum hominem aliquem à longè venientem conspicimus, ex cujus motu, & alijs circumstantijs, ac proprietatibus, quas in eo animadvertimus, judicamus esse Individuum aliquod animalis; non tamen cujus determinatæ speciei, an humanæ, vel leoninæ. Hujusmodi Individuum dicitur *genericum*; quia immediatè, & formaliter participat naturam genericam animalis; dicitur *incompletum*, quia non attingitur secundùm totam suam essentiam, & speciem. Et talia Individua non à parte rei, sed per intellectum inadæquatè concipientem posse, imò debere admitti, sentit Doctor *4. dist.* ex Varrone suo Magistro, & Avicenna, qui putatur primus inventor Individuorum genericorum. Nunc.

8. Quid sint individua specifica, & generica.

Probatur conclusio hôc ipsô exemplô allatô hominis, à longè visi, de quo veluti Individuo generico prædicatur immediatè animal, dicendo; *hoc individuū entis sibi se moventis est animal.* Deinde vera est hæc prædicatio, *hoc vivens est vivens*; sed in ea prædicatum significat immediatè naturam genericam sensitivam, & subjectum significat eandem naturam individuatam: Ergo Genus de Individuis genericis prædicatur immediatè.

QUÆSTIO III.

Num Genus requirat plures actu species; ubi etiam alia quæsita expediuntur?

1. Quid sit esse in actu, potentia, & aptitudine.

Nota primò: Secundùm Scotum *q. 18. Universal* hæc tria differre, *actu*; *potentiâ*; & *aptitudine*. Illa dicuntur esse *in actu*, quæ habent esse extra suas causas; quale habet Plato jam generatus, & existens extra suos genitores. Illa dicuntur esse *in potentia*, quæ actualiter non sunt, possunt tamen esse; taliter lapis habens ubi deorsum est in potentia ad ubi sursum. Illa dicuntur esse *in aptitudine*, quæ sunt apta nata esse, sive possint esse naturaliter, sive supernaturaliter; sic cæcus dicitur habere aptitudinem ad videndum; cùm sit animal aptum natum videre.

2. Genus Metap. nō petit plures species actu.

Dico primò: Genus ut Universale metaphysicum non postulat plures species actu; sed potentiâ & aptitudine duntaxat; ita ut in una actuali, & alijs possibilibus tantùm salvari possit. Ita Scotus *q. 18. Universal.* cum suis Expositoribus ibidem Maur. Anglic. &c. & consentiunt Ruvi. Ovied. Blanc. & alij RR. contra Thomistas.

Probatur primò: in illa definitione Generis metaphysici, *est ens unum aptū inesse pluribus*, passim recepta, dicitur, quòd ipsum Universale metaphysicum non debeat necessariò esse unum actu in pluribus, sed aptitudine tantùm: Ergo neque ejus inferiora omnia, id est species, quæ sunt terminus talis aptitudinis, debent esse necessariò plures actu, sed sufficit unam esse actu, reliquas aptitudine; atque ita in una specie actuali, & alijs tantùm possibilibus potest salvari Genus. *Secundò*; species metaphysica salvari potest, & de factò salvatur in unico individuo, uti patet de Phœnice, & Sole actu existente, & reliquis in potentia, ac aptitudine: Ergo idem dicendum de Genere metaphysico. *Tertiò*: si DEUS annihilaret omnia bruta; uti fiet antè diem Judicij Universalis; adhuc animal in specie sola hominum existens esset vivens, & sentiens; & consequenter Genus: Ergo Genus metaphysicum in unica actuali specie potest salvari.

3. Varia Philosophi testimonia opponuntur.

Objicies *Primò*: Philosophus adversatur conclusioni: Ergo &c. Probat. Ant. Philosophus *4. Top. cap. 1. & 6.* ait, *omnis generis plures sunt species. Secundò*; idem Philosophus *cap. ad aliquid* docet, correlativa esse simul naturâ: Ergo si Genus metaphysicum actu existit, omnes ejus species correlativæ debent actu existere. *Tertiò*; idem Philosophus ait *2. celi text. 49.* si datur unum oppositum, debet dari & aliud: Ergo si sub genere metaphysico datur una species actu, quæ includit differentiam constitutivam oppositam, debet dari actu & alia species, habens priori oppositam differentiam; atque ita saltèm duas species actu postulabit Genus metaphysicum.

4. Sed glossantur pro conclus.

Respondeo *ad Primum* Neg. Ant. ad ejus Probat. glosso Philosophum, dicoque eum intelligendum esse de pluralitate potentiali, & aptitudinali; non verò de

de actuali specierum. *Ad secundum* Neg. Conseq. nam etsi Genus, & species sint correlativa; cùm tamen relativum non petat omnia sua correlativa existere actu; uti patet de Patre, qui dicitur verum relativum, etsi unus duntaxat filius correlativus ejus actu existat; idcircò ut Genus sit verum relativum sufficit, si unicum ejus correlativum, id est species actu existat. *Ad tertium* glosso pariter cum Scoto *q. 40. Prædicam.* illud axioma Philosophi, & dico illud esse intelligendum de potentia, & aptitudine; non de actu; aliàs esset falsissimum; nam multæ instantiæ statim possent opponi; v. g. si existat nigredo, non est necesse ut existat albedo opposita; item si est actu sanitas, non est necesse quòd sit actu morbus; tanquam ejus oppositum; sed bene ut sit albedo, & morbus potentiâ, vel aptitudine.

5. *Similiter Genus Log. nō postulat plures species à parte rei existentes.*

Dico secundò: Genus Logicum nō postulat plures species actu à parte rei existentes; bene tamen actu ab intellectu apprehensas. Ita Scotus *q. 18. Univers.* & sequuntur Maur. Barg. Mastr. Columb. Herman, &c. contra Thomistas.

Probatur prima pars: si omnia bruta annihilarentur posset Philosophus concipere naturam animalis ut communem hominibus actu existentibus, & ut prædicabilem de ipsis, ac de brutis tantùm possibilibus: sed illa esset GenusLogicum: Ergo Genus Logicum non postulat plures species actu à parte rei existentes. Prob. Min. ratio veri Generis Logici est, ut sit unum aptum prædicari de pluribus specie differentibus; non autem ut actu prædicetur; imò in prædicatione actuali determinatur, & quasi suam amittit Universalitatem: Sed natura sic concepta est apta prædicari: Ergo &c.

6. *Bene tamē per intellectum.*

Probatur secunda pars: Universalitas Logica, quæ constituit Genus Logicum est quædam relatio rationis causata per intellectum, & conveniens naturæ communi genericæ per opus intellectûs, cujus terminus sunt species: Sed relatio necessariò petit existentiam saltèm apprehensam termini: Ergo species debent esse actu apprehensæ per intellectum, ut exurgat Universalitas Logica Generis Logici.

7. *Unde colligatur ratio Generis, & differentiæ.*

Quæres primò: Unde colligi possit ratio Generis, & Differentiæ? Respondeo cum P. Frassen, rationem Generis aptè posse colligi ab operatione, & statu magis communi; rationem verò Differentiæ à minùs communi. Ratio est; quia ex eo quòd advertam hominem, & brutum habere operationes sensitivas, rectè infero in eis esse commune principium talium operationum, puta animal; & consequenter Genus. Similiter ex eo quòd audiam hominem discurrere, & brutum non discurrere, infero in homine adesse principium discursûs, id est rationalitatem, quæ est Differentia ejus à bruto.

8. *Et unde utrū que desumatur.*

Quæres secundò: Unde autem desumatur ratio Generis, & Differentiæ? Respondeo cum Doctore in substantijs materialibus desumuntur, à materia & forma simul. Ratio est; quia materia & forma simul causant substantias materiales, ut habent prædicata essentialia qualia sunt Genus, & Differentia. Unde quando Porphyrius *cap. de Differentia*, & Scotus *q. 6. Univers.* ajunt, Genus desumi à materia; Differentiam verò à forma: interpretandi sunt, quòd loquantur per quamdam analogiam duntaxat; quam ratio Generica habet cum materia; & Differentialis cum forma: sicut enim materia prima est physicè perfectibilis à forma physica; ita Genus est perfectibile metaphysicè per Differentiam: & sicut materia est indifferens ad plures formas, ita & Genus ad suas Differentias.

9. *Genus est perfectius differētiâ in modo prædicandi.*

Quæres tertiò: Utrùm Genus sit perfectius Differentiâ? Respondeo quòd in modo essendi in individuis perfectior sit Differentia, quia actuat; in modo tamen prædicandi est perfectius Genus; quia in quid purum prædicatur; Differentia in quale quid; ut habet Scotus *q. 19. Univ.*

10. *Genus cōtinet species & differentias tantùm potestate.*

Quæres quartò: quomodo Genus contineat Species, & Differentias? Respondeo cum *Scoto q. 25. Universal.* quòd tam Species, quàm Differentias contineat non actu; sed potestate; Species quidem ut partes subjectivas; Differentias autem ut formas perfectivas, & determinativas sui. Ratio primi est; quia si (ut arguit Aristoteles *7. Met. 24.*) Genus contineret actu Differentias; cùm hæ sint omnino diversæ, & oppositæ, tunc actu eidem opposita inessent: Ergo &c. Ratio secundi; quia natura est susceptiva Differentiarum divisim, & per eas contrahibilis ad hanc vel illam speciem constituendam, quod propriè est potestate, seu potestativè continere: Ergo &c. Unde dixit Porphyrius *cap. de Differentia*, Genus habet quidem potestate omnes, quæ subsunt, Differentias; actu verò nullam.

Quæ-

11\.
Genus à differentia dist. per modum prædicandi.

Quæres quintò: Utrùm Genus ritè à Differentia distingvatur per hoc, quòd in quid prædicetur. Respondeo cum Scoto *q. 19. Univers.* affirmativè. Ratio est; quia prædicari in quid, id est per modum per se stantis seu subsistentis, cõvenit Generi; non autem Differentiæ: Differentiæ verò convenit prædicari per modum qualificantis essentiam, sive alteri adjacentis: quare per illam prædicabilitatem in quid optimè distingvitur Genus à Differentia.

Quæres sextò: An Genus unica relatione referatur ad Species & Individua? Respondeo cum P. Frasseu dici posse, quod unâ. Ratio est; quia eadem prædicatione de utrisque prædicatur, id est, in quid; nam sicut dicitur homo animal; ita & Plato dicitur animal.

DISTINCTIO IV.

De Specie.

PRÆFATIO.

Porphyrius post examen Generis subjicit cap: de Specie; *tum quòd hæc sit correlativum ejus, quæ simul sunt naturâ, & cognitione, id est quæ se mutuò explicant, & indigitant, ut ait Aristoteles: tum quia Species cum Genere magnam habet affinitatem in modo prædicandi; utrumque enim prædicatur* in quid *purum: quare & ego exemplô mei Doctoris* q. 21. Univers: *de eadem Specie hìc post Genus tractabo.*

QUÆSTIO I.

De acceptione; divisione; & definitione Speciei.

1\.
Variæ acceptiones Speciei.

Nota primò: Varias posse adduci Speciei acceptiones: nam usurpari potest pro rebus determinatæ naturæ; quo sensu crocus dicitur Species aromatis. Item pro similitudine expressa, vel impressa rei cognitæ; sic intellectio Petri dicitur Species Petri: sed cum Porphyrio hìc libet tres potiores prosequi. *Primò* enim accipitur pro eleganti corporis venustate; hoc sensu procedit illud elogium Divinissimi Salvatoris in Psalmo 44. *Speciosus formâ præ filiis hominum*: & illud Aristot. 1. *Ethic. non omnino felix, qui specie turpissimus est, & sinè prole. Secundò* pro secundo Universali, quatenus dicit habitudinem ad Genus, cui subjicitur; qua ratione dicitur *Species subjicibilis*: talis est *homo* ut subjicitur animali. *Tertiò* capitur pro eodem secundo Universali, sed quatenus dicit habitudinem ad sua inferiora, de quibus prædicatur; sub hac consideratione vocatur *Species prædicabilis*. Et de Specie in his ultimis duabus acceptionibus hic agitur. Circa quam

2\.
Quid Species suprema, media, & athoma.

Nota secundò: Rursus ex eodem Porphyrio triplex solet distingvi Species; suprema, media, & infima seu athoma. *Species suprema* dicitur illa, quæ habet supra se Genus, nulli alteri generi prædicamentali sub-

li subjectum; talis est *corpus*, quod in linea prædicamentali dicitur *Species suprema*; quia subjicitur *Substantia*, quæ nulli alteri Generi prædicamentali est subjecta. *Media* vocatur, quæ super se habet plura Genera, ratione quorum dicitur Species; sed respectu suorum inferiorum est Genus; talis Species est *vivens*, quod habet supra se *corpus*, & *substantiam* ut Genera; & infra se habet *animal*, & *plantam* ut species. *Species infima* seu atoma est illa, quæ ita est Species tam respectu superioris, quàm inferioris, ut Genus esse non possit; quia de solis numerò differentibus prædicatur: talis est *homo*. Hæc Species atoma quæ & specialissima dicitur, constituit secundum Universale, ut contradistinctum ab alijs quatuor.

3. Species sunt sicut numeri.

Nota tertiò: Species atomas esse ad instar numerorum, ut dicit Aristoteles *8. Met. cap. 3.* propter quatuor rationes, quas ibidem expendit Scotus: *primò*, sicut in divisione numeri non proceditur in infinitum, sed in quolibet numero sunt certæ, & definitæ unitates; sic in Speciei principijs constitutivis non est procedendum in infinitum; sed sunt aliqui gradus speciem immediatè constituentes. *Secundò* sicut numero nil potest addi, vel demi, quin varietur; si enim unitatem à ternario demas, non ampliùs erit ternarius; sed binarius; ita à pari nil Speciei addi, nil demi potest, quin varietur. *Tertiò* sicut numerus formaliter consideratus est per se unus, & non per aggregationem; sic Species est una per se. *Quartò sicut numerus* (textus est Philosophi cit.) *non suscipit magis, vel minùs; ita neque substantia, quæ secundum speciem est; sed si est, quidem ea est, quæ secundùm materiam*, hoc est, ut commentatur Doctor, natura specifica ut sic, & secundùm se non suscipit magis aut minus; sed quatenus contracta est ad esse materiale, & individuale potest suscipere magis, & minùs.

4. Definitiones Porphyriana de specie subjicibili sunt bona.

Dico primò: Bonæ sunt ambæ definitiones Speciei quatenus subjicibilis, quas affert Porphyrius, his terminis; *Species est quæ ponitur sub assignato Genere: & Species est, de qua Genus in eo quod quid prædicatur.* Ita Scotus *q. 21. Univers.* & communior DD. contra Arriag. &c.

Probatur: ambæ definitiones ritè, & adæquatè explicant naturam Speciei subjicibilis: Ergo ambæ sunt bonæ. Sed majoris claritatis gratiâ.

Dico secundò: Species subjicibilis optimè definitur, quòd *sit Universale, quod immediatè sub aliquo genere collocatur, cum habitudine ad illud ut superius.*

5. Assertur tamē alia clarior.

Probatur: Hæc definitio datur secundùm omnes leges probæ definitionis: Ergo eâ optimè definitur Species subjicibilis. Ly *Universale* est genus; reliqua ponuntur pro differentia, & clariori explicatione hujus Universalis. Dicitur *quod immediatè sub aliquo genere collocatur*, ut differat Species subjicibilis à Genere, & ut distinguatur à Specie prædicabili, quæ quà talis non consideratur ut collocata sub aliquo superiori: & tandem ut discriminetur ab Individuo specifico, quod etsi collocetur sub Genere; nō tamen immediatè, sed mediante Speciei. Individua autem generica licèt concipiantur ut immediatè collocata sub Genere; tamen illi non subjiciuntur sub ratione Generis; sed Speciei; quia de eis Genus prædicatur per modum Speciei. Ly *cum habitudine ad illud ut superius*; exprimit rationem collocationis Speciei sub Genere; Species enim sub Genere collocatur cum respectu ad illud ut suum superius, cujus naturā cōmunem participat.

6. Variæ oppositiones.

Objicies *primò*: Tam Porphyrianæ definitiones, quàm ista mox data definiunt Speciem per ordinē ad Genus, & Genus per Speciem; quod est committere circulum vitiosum: Ergo &c. *Secundò*, unum relativum nequit per aliud definiri: sed in his definitionibus definitur unum relativum per aliud; nam Species est correlativum Generis: Ergo &c. Maj. patet, quia partes definitionis debent includi in definito; unum autem relativum non includitur in alio, v. g. Filius in Patre. *Tertiò*; Materia prima est Species subjicibilis; & tamen non est sub Genere substantiæ. Idem dic de punctis quantitatis.

7. Quæ enodantur.

Respondeo *ad Primum* Neg. Maj. cùm enim Genus, & Species sint correlativa; & talia à se invicem essentialiter pendeant; ideo quà talia petunt sic circulariter definiri. *Ad secundum* Dist. Maj. unum relativum nequit per aliud definiri, ita ut correlativum sit intrinseca pars definitionis Concedo Major. nequit definiri per aliud connotativè, & extrinsecè Neg. Maj. *Ad tertium* Neg. Min. quia tam

tam materia prima, quàm punctum quantitatis sunt sub Genere; licèt sint incompletæ naturæ; quia etsi in se, & physicè sint naturæ incompletæ, quod Speciei subjicibili videtur repugnare; attamen metaphysicè sunt completæ; quia sua inferiora respiciunt ut naturæ completæ; ac proinde vera Universalitas ipsis competit.

8. *Species prædicabilis definitur.*

Dico tertiò: Proba est illa definitio Speciei quatenus prædicabilis; *est Universale, quod prædicatur immediatè de multis numerô differentibus in quid completè*: Est conformis illi, quam tradit Porphyrius *cap. 3.* & Scotus *q. 21. Univers.*

Probatur: Hæc definitio est adæquatè expressiva Speciei prædicabilis: Ergò &c. Ly *Universale* est Genus: reliqua ponuntur pro differentia: dicitur *quod prædicatur immediatè de multis numerô differentibus*, per quod Species prædicabilis differt à Genere; additur *in quid completè*, in quo rursus discriminatur à Genere, & reliquis tribus ultimis Universalibus.

9. *Ratio in oppositû solvitur.*

Objicies *primò*: Hæc definitio convenit alteri à definito, nam convenit DEO, qui tamen non est Species prædicabilis: Ergo non est proba. Prob. Ant. DEUS est prædicabilis de omnibus tribus Personis Divinis numerô differentibus; bona enim est hæc prædicatio, Pater est DEUS, Filius est DEUS, & Spiritus S. est DEUS: Ergo &c. Respondeo Neg. Ant. ad ejus probat. dico, etsi DEUS sit prædicabilis, de tribus Personis Divinis; quia tamen illæ tres Personæ includunt unam numerô Naturam Divinam; ideo in rigore sermonis logici non censentur absolutè tres res numerô differentes (sed cùm addito Personarum) in definitione autem Speciei prædicabilis ly *numerô differentes* petit & supposita, & naturam multiplicari.

10. *Species ut prædicabilis est Universale Logicum.*

Dico quartò: Species formaliter, & intrinsecè constituitur in esse Universalis Logici secundi non per ordinem ad superiora, seu quà *subjicibilis* est; sed per ordinem ad inferiora, de quibus prædicatur, seu quà Prædicabilis est. Ita Scotus *q. 21. Universal.* & communis; contra Cajetan. Thomam de Vio, & Tolet.

Probatur: Universale Logicum ut sic formaliter, & intrinsecè constituitur in esse Universalis per ordinem ad inferiora, de quibus prædicatur: Ergo & Universale tale, id est Species in esse Univarsalis secundi constituetur per ordinem ad inferiora, de quibus prædicatur. Confeq. patet; quia tota ratio formalis constitutiva Universalis ut sic includitur in quovis Universali quà tali, & in particulari considerato.

11. *Objectio diluitur.*

Objicies: Species ut subjicibilis est prædicabilis de pluribus numerô differentibus: Ergo quà talis est secundum Universale. Respondeo *primò*. Dist. Ant. Species ut subjicibilis sub respectu subjicibilitatis est prædicabilis Neg. Ant. ut includit naturam Speciei prædicabilis Conc. Ant. Respondeo *secundò* Dist. Conseq. est secundum Universale materialiter, & specificativè Conc. Conseq. formaliter, & reduplicativè Neg. Conseq. Itaq; dum Species subjicibilis consideratur præcisè sub ratione subjicibilitatis, est Universale quoddam materialiter tantùm.

Quæres: An istæ duæ habitudines subjicibilitatis, & prædicabilitatis concurrentes in specie concurrant per accidens, & veluti disparatæ; an ut per se connexæ, ita ut una sit de ratione alterius; sive una causa alterius.

12. *Subjicibilitas & prædicabilitas in Specie cõnectuntur.*

Dico quintò: Subjicibilitas, & prædicabilitas utique in Specie necessariò connectuntur; non tamen veluti causa, & effectus; sed potiùs velut duo effectus ab eadem causa provenientes, sub diversis tamen causandi rationibus. Est consona doctrinæ Scoti *q. 21. Univers.* contra Tolet. Albert. Ruvium &c.

Probatur prima pars *quod connectantur*; in serie prædicamentali, & juxta ordinem à natura institutum nulla est Species prædicabilis, quæ non sit subjicibilis; quia Species essentialiter constituitur ex Genere, & Differentia; item non est dabilis Species subjicibilis, quæ non sit prædicabilis: Ergo connectuntur in Specie simul subjicibilitas, & prædicabilitas.

13. *Non ut causa & effectus.*

Probatur secunda pars, quòd *non connectantur ut causa, & effectus*, istæ habitudines sunt oppositæ; quia tota ratio subjicibilitatis est sita in relatione inferioris ad superius; ratio verò prædicabilitatis è contra; Ergo una nequit originari ab alia ut effectus à causa.

14. *Sed ut duo effectus.*

Probatur tertia pars: Differentia essentialis duo habet, unum est, quòd sit determinativa Generis, & contractiva essentiæ Generis ad constituendam Speciem; alterum est, quòd in se importet gradum formalem essentiæ adhuc communicabilem; quia

quia licèt rem à se constitutam constituat in esse subjicibili ad Genus; non tamen in esse subjicibili ultimo; sicut facit differentia individualis: Ergo ex ipsa differentia specifica, seu essentiali sub diversis rationibus oritur subjicibilitas, & prædicabilitas, tanquã duo effectus; subjicibilitas quidem ab ea, ut est contractiva Generis derivatur; prædicabilitas verò ab eadem ut ulteriùs comunicabili oritur: Ergo &c.

15. *Dictorum elucidatio.*

Notandum tamen; me hactenus per subjicibilitatem, & prædicabilitatem intellexisse ipsam subjicibilitatem, & prædicabilitatem formaliter, ut sunt secundæ intentiones; si enim remotè, & fundamentaliter consideretur ipsa subjicibilitas, & prædicabilitas, tunc sunt veræ proprietates naturæ illius, quæ dicitur Species; quia sunt quædam aptitudines naturæ identificatæ, super quas fundari potest tanquam supra fundamentum subjicibilitas,& prædicabilitas formalis, & ratio Universalis in Specie.

QUÆSTIO II.

Utrùm Species postulet plura individua; ubi etiam de specierum inæqualitate?

Thomistæ passim sentiunt naturas specificas Angelorum v. g. Michaelis, Gabrielis &c. esse verè Universales; licèt sub illa natura Michaelis nec quidem per Omnipotentiam Divinam possint dari plures Angeli ejusdem speciei; & consequenter tenent Speciem non postulare plura individua; sed in unico posse salvari naturam ejusdem; quia inquiunt sufficit ad rationem Universalis, quòd per mentem possit denudari à differentia individuante, & ut sic denudata possit concipi tanquam ex se apta inesse pluribus.

1. *Species Metap. petit plura individua.*

Dico primò: Species metaphysicè considerata postulat plura individua, unum actu, & alia saltem possibilia à parte rei, unde in uno solo actuali salvari non potest. Ita Scotus *2. dist. 3. q. 2.* cum sua Schola, & Oviedo, Avetsa, Pasqual. &c.

Probatur *primò*: In definitione Universalis metaphysici passim recepta habetur, quòd debeat esse unum aptum in esse multis: sed Species metaphysicè considerata est verum Universale metaphysicum: Ergo est unum aptum in esse multis, & consequenter postulat multa individua, unum scilicet actu, & reliqua saltèm possibilia. *Secundò*; Natura Divina quantumcunque à tribus Personis Divinis per mentem abstrahatur, & denudetur, non efficitur Universalis: Ergo neq; natura Michaëlis, uti arbitrantur Thomistæ; & consequenter ad rationem Speciei metaphysicæ Universalis non sufficit abstractio, & denudatio intellectûs; sed ulteriùs requiritur, ut à parte rei dentur plura individua, saltèm possibilia, quibus illa natura inesse apta sit. *Tertiò*: Genus metaphysicum postulat plures Species saltèm aptitudine existentes: Ergo pariter Species plura individua saltèm aptitudine existentia.

2. *Thomistarum fundamenta.*

Objiciunt Thomistæ primò: Angeli collocantur in prædicamento substantiæ,& quidẽ immediatè sub Genere subalterno substantiæ incorporeæ: Ergo sunt Species: sed unaquæque talis Species Angelica unicum duntaxat habet individuum pro suo inferiori propter carentiam materiæ: Ergo &c. *Secundò*; natura Angelica Gabrieleitatis potest per intellectum præscindi & denudari à singularitate, & ut indifferens concipi: sed natura sic præcisa, & denudata non est singularis: Ergo Universalis; atque adeò Universalitas potest convenire Speciei, quæ plura non habet individua.

3. *Refelluntur.*

Respondeo *ad primum* concedendo totum enthymema; & Nego subsumptum ejus, quod fundatur in falso illo principio Thomistico, quòd Species Angelicæ unicum duntaxat habeant individuum, propter materiæ carentiam; quasi res nullum dicentes ordinem ad materiam non possent multiplicari individualiter: *Contra* enim est; quòd cognitiones Angelicæ possint multiplicari sub eadem Specie sinè ordine ad materiam. *Ad secundum* dico; quòd si natura Gabrieleitatis sic abstracta, & denudata ut differens concipiatur, falsò concipitur; quia sic ei indifferentia, & indeterminatio repugnat; cùm sit à parte rei singularis; cui repugnat Universalitas; adeóque talis conceptio non facit eam Universalem metaphysicè.

4. *Etiam Species Log. plura individua per intellectũ petit.*

Dico secundò: Similiter Species Logicè considerata postulat ut per intel-

le-

lectum plura individua concipiantur actu existentia objectivè. Deducitur ex Scoto *q. 18. Universal.* & tenetur communiter à Scotistis.

Probat. Tum quia Genus logicè inspectum postulat, ut per intellectum concipiantur plures Species actu existentes objectivè: Ergo à pari idem dicendum de Specie logica. Tum quia Universalitas Speciei logicæ consistit in quadam relatione rationis fabricata ab intellectu: Ergo ejus extrema, cujusmodi sunt individua plura, debent existere actu per intellectum.

5. Species diverso respectu sunt æqualis & inæqualis perfectionis.

Quæres. An omnes omninò Species metaphysicæ sint æqualis perfectionis? Respondeo cum P. Frassen respectu Generis, cujus naturam participant, esse omnes æqualis perfectionis; inæqualis verò respectu Differentiarum, quarum una est alterâ nobilior: Ratio est; quia brutum dicitur æquè perfectum, ac homo in ratione animalis, quod est Genus; perfectior tamen homo in ratione rationalitatis, quæ est Differentia.

QUÆSTIO III.

De quidditate; & multiplicitate Individui; ejusque abstractione.

1. Quid nominis individuum?

Nota primò: Quoniam Individuū est correlativum Speciei, ejusque inferius, ideircò Porphyrius eodem *cap. de Specie*, de Individuo quoque disserit. Est autem *Individuum* juxta nominis ethymon aliquid *indivisum*, seu indivisibile: prout verò Philosophus de eo agit, denotat aliquam naturam singularem alteri incommunicabilem, & de uno solo prædicabilem: estque triplex, physicum, metaphysicum, & logicum.

2. Individuū physicum describitur.

Nota secundò: Individuum physicè sumptum definitur esse *natura aliqua singularis, constans proprietatibus, quarum collectio in uno tali non reperitur in altero*; uti loquitur Porphyrius. Istæ autem proprietates concluduntur sequentibus versibus:

Forma, Figura, locus, tempus, cum nomine, sanguis,
Patria, sunt septem, quæ non habet unus, & alter.

Harum proprietatum est sensus iste: per *Formam* intelligitur dispositio in qualitate illa, quæ dicitur complexio, seu color exterior membrorum, puta faciei, manus &c. per *Figuram* intelligitur dispositio membrorum in quantitate, id est secundùm longitudinem, & latitudinem. Per *Locum* significatur locus nativitatis, ut quod iste sit natus in Silesia, alter in Bohemia. Per *Tempus* indicatur instans nativitatis, vel ætas senilis, aut juvenilis. Per *Nomen* significatur propria cujusvis appellatio, ut Platonis, Pauli &c. Per ly *sanguis* importatur progenies, & stemma cujuslibet. Per *Patriam* significatur Provincia, Urbs, vel Villa, à qua quis trahit originem, ut esse Romanum, Nissensem &c. singula ista postulat Porphyrius ad Individuum, ita ut si unum desit, jam hoc Individuum ab alio secernitur. Hæc descriptio Porphyriana non est adæquata, & essentialis; quia res non definiuntur per accidentia separabilia; sed per proprias, & intrinsecas differentias individuales identificatas, ex Scoto *2. dist. 3. q. 4.* Est itaque ista definitio tantùm descriptiva.

3. Et Metaphysicum.

Nota tertiò: Individuum metaphysicum bene definiri, quòd *sit illud, quod est aptum uni soli convenire*: hoc aliàs communiter appellatur Individuum primò intentionaliter sumptum; tale est Petrus, Paulus, Plato &c. Quando verò dicit Aristoteles, Individua non posse definiri, neque de ipsis haberi scientia *7. Met. text. cap. 15.* intelligendus est, vel quod Individuum quodvis in particulari nō possit definiri; bene tamen in communi: vel non possit definiri definitione quidditativâ; id est constante genere, & differentiâ; quæ solius est Speciei; bene tamen definitione descriptivâ.

4. Et Logicum.

Nota quartò: Individuum Logicum (quod & secundò intentionaliter sumptum dicitur) bene definitur, quòd *sit illud, quod de uno solo prædicatur*, ut habet Porphyrius *cit.* tale est Plato prædicabilis de se solo. Quando autem Philosophus dicit *in antepræd. cap. 2.* quod Individuum de nulloj prædicatur; glossandus est de prædicatione essentiali, & quidditativa; non verò de identica, & accidentali.

Nota

5. *Quid Individuũ subijcibile*

Nota quintò: Illud idem Individuum Logicum) quod est prædicabile, secundùm aliam habitudinem etiam dicitur *subijcibile*; quando videlicet consideratur ut est quid contentum sub Specie; unde definitur à Porphyrio hìc, *esse illud, quod continetur sub specie*.

6. *Quid Individuum Vagũ & Determinatũ.*

Nota sextò: ex Individuis rursus aliud est Individuum, quod dicitur Individuum vagum, & describitur *esse illud, quod non significat quid unum; sed immediatè plura sub divisione*; tale est ly *aliquis homo*, quod idem sonat, quod hic, vel ille homo, ut ait Scotus *q. 12. prædicam.* Et aliud est *Determinatum*, quod & signatum appellatur; hoc describitur esse id, quod aliquod unum determinatè significat, v. g. Petrus.

7. *Substantiale, & accidẽtale.*

Nota septimò: rursus Individuum ut sic rectè partitur in Individuum substantiæ, & Individuum accidentis. *Primum* ut habet Philosophus *in Antepraedicam. cap. 2. nec est in subjecto, nec dicitur de Subjecto*: & hoc etiam appellatur, *suppositum, hypostasis, & persona*, si fuerit naturæ intellectualis. *Secundum* ex eodem Philosopho, *est in subjecto, de nullo verò subjecto dicitur*; ut hic color, hæc albedo.

Nota octavò: aliud etiã est specificũ, aliud genericum; *Primum* ut suprà *dist. 3. q. 2. concl. 5.* dixi, est illud, quod immediatè sub Specie collocatur, ut Plato. *Secundum* est, quod ab intellectu concipitur sub gradu naturæ genericæ, non consideratò specificò gradu, quem reverà participat; tale est homo à longè visus, quem judicamus esse aliquod animalis Individuum; ignoramus tamen cujus determinatæ Speciei sit. Circa abstractionem Individui.

8. *A parte rei nõ datur Individuum ut sic.*

Nota nonò: extra controversiam esse, quod à parte rei non possit dari aliqua ratio communis unica, in qua ut aliquo communi Individuo convenire possent omnia Individua; ut rectè docet S. Thomas; est ergo controversia duntaxat inter DD. num sicut per abstractionem intellectûs abstrahitur ab hoc, & illo homine ratio specifica, puta humanitas, quæ est ipsis communis; ita pariter possit abstrahi ratio aliqua Individualis, quæ sit eisdem communis. Negat Cajetan. Louan. Tolet, Soto, Pasqual. & ex nostris P. Poncius, & P. Van Sichen. Sed

Dico primò: Intellectus potest abstrahere ab omnibus Individuis rationem aliquam univocè communem ipsis, quod *Individuum ut sic* appellari potest, & prædicari in quid de singulis. Ita Scotus *1. dist. 23. q. unic.* quem sequuntur Fuentes, Columb, Mastrius, Lychet. Barg. & alij Scotistæ; & ex RR. Schola, Ovied. Hurt. Arriag. &c. item Complut.

9. *Bene tamẽ per intellectum.*

Probatur *primò*: Intellectus definit rationem aliquam communem omnibus Individuis in particulari applicabilem, dicendo, *Individuum est, quod de uno solo prædicatur*: Ergo priùs abstrahit ab omnibus rationem aliquam univocè communem, quam habet pro objecto hujus suæ definitionis; quod proinde erit Individuum ut sic. *Secundò*, experientiâ constat, nos posse concipere omnia Individua similia in hoc, quòd non sint ulteriùs divisibilia in plura inferiora: sed tunc omnia Individua univocè conveniunt in ista ratione communi: Ergo &c. *Tertiò*; quod formaliter, & secundum idem nomen, atque eandem rationem prædicatur de multis, est ratio communis univoca multis: sed Individuum sic prædicatur de multis formaliter; unde valet dicere, *Plato est Individuum, Socrates est Individuum, Plautus est Individuum* &c. Ergo ratio Individui est ratio univoca communis multis; & consequenter datur Individuum ut sic univocè conveniens omnibus Individuis.

10. *Rationes P. Vansichen apponũtur.*

Objicies *primò* cum P. Van Sichen: Scotus *2. dist. 3. q. 1. n. 14.* ait; *Differentiæ ultimæ sunt primò diversæ; & ideo ab eis nihil unum per se commune abstrahi potest*: Ergo ab Individuis, quæ constant ultimis differentijs, id est singularitatibus, non potest abstrahi ratio aliqua communis univoca ipsis. *Secundò*; si posset ab omnibus Individuis abstrahi aliqua ratio communis univoca ipsis, sequeretur, quòd eorum differentiæ individuales non essent primò diversæ; convenirent enim in illa ratione communi. *Tertiò*; sequeretur, quòd non haberent conceptum simpliciter simplicem, & ultimatè determinantem; nam ipsa adhuc ulteriùs resolvi possent in conceptum communem, & proprium. *Quartò*; sequeretur pariter, quod Individua cùm conveniant in Differentijs individualibus in aliqua ratione communi deberent distingui per alias differentias individuales; de quibus rursum movebitur eadẽ quæstio, an rursus conveniant inter se in aliqua ratione cõmuni, nec ne; si dicatur quòd non: *Contrà* instari potest; prio-

quòd non sit potior ratio de his, quàm de prioribus: si respondeatur quod sic; Ergo rursus hæ debent distingvi per alias differentias; & sic ulteriùs dabitur processus in infinitum: Ergo &c.

11. Sed dissolvuntur.

Respondeo has rationes esse Scoti *in 1. dist. 3. q. 3.* quibus ostendit ultimas differentias non includere conceptum entis quidditativè; sed probant solùm, quòd ab ultimis differentijs inclusis in Individuis non possit abstrahi conceptus communis adæquatus, id est importans realitatem objectivam; quia in tali realitate convenirent ultimæ differentiæ, & sic non essent primò diversæ, ut bene urget secundum argumentum: similiter nec haberent conceptum simplicitèr simplicem; ut bene premit tertium argumentum; quia esset ulteriùs resolubilis in ulteriores conceptus, quibus propriæ realitates correspōnderent: pariter daretur processus in infinitum; ut rectè probat quartum argumentum; quia realitas Differentiæ individualis non esset præcisa ratio differendi; & sic procederetur in infinitum in realitatibus. Sed quia assertio Individui ut sic non intendit concedere conceptum communem adæquatum abstractum; sed solum inadæquatum; unde nil contra Doctorem ponit, neque subjacet illis sequelis, in objectionibus allatis; quia cum tali stat, quòd ultimæ differentiæ sint primò diversæ quoad realitatem suam objectivam omnimodè distinctam; stat similiter, quòd habeant conceptus simplices, ob eandem realitatem indivisibilem; stat pariter, quòd non sit opus in infinitum procedere; quia ratio objectiva conveniendi, quæ manet in illis alijs Differentijs, est eadem objectivè, quæ fuit in prioribus.

QUÆSTIO IV.

Qualem perfectionem sortiantur Individua?

1. Dantur Individua ejusdem Speciei inæqualis perfectionis accid.

DIco primò: defactò plura Individua ejusdem Speciei sunt inæqualis perfectionis accidentalis. Ita Van Sichen, Ponc. & communis DD.

Probatur: Experientiâ constat de factò, Platonem v.g. sortiri meliora talenta ingenij, memoriæ, & complexionem meliorem, quàm habeat Plautus: sed hæc sunt perfectiones quædam accidentales inæquales: Ergo &c.

2. Uti & integralis.

Dico secundò: aliqua Individua ejusdem Speciei, composita ex partibus heterogeneis, vel homogeneis, sunt inæqualis perfectionis integralis. Ita citati DD. & communis.

Probatur: Ratio dictat, unimanum, & monoculum esse integraliter imperfectiorem, quàm bimanum, & bioculum: Ergo aliqua Individua ejusdem Speciei sunt inæqualis perfectionis integralis.

3. Omnia tamen sūt æqualis perfectionis substantialis.

Dico tertiò: Omnia verò Individua ejusdem Speciei atomæ sunt æqualis perfectionis substantialis. Ita Ponc. VanSichen, Herman, & alij Scotistæ; cum Durand. Tolet. Sanch. &c. contra Magistrum, Ægidi. Gajetan. &c.

Probatur. Tum quia quodvis Individuum ejusdem Speciei includit naturam Specificā essentialiter, cum omnibus prædicatis essentialibus; nō enim est potior ratio, cur unū illam sic includeret, & nō quod cunq; aliud: Ergo omnia Individua ejusdē Speciei sunt æqualis perfectionis Substantialis. Consequentia tenet; quia perfectio substantialis eadē desumitur ab eadem natura, ut dicit omnia sua prædicata essentialia. Tum quia nihil potest assignari, quod unum Individuum ab alio ejusdem Speciei in perfectione substantiæ discriminaret: Ergo &c. Prob. Ant. non diversa hæcceitas, seu Differentia individualis; ut aliqui arbitrantur; quia duæ partes aquæ mox separatæ in duo Individua habent duas hæcceitates, seu Differentias individuales diversas; & tamen hæ non discriminant has duas partes aquæ in perfectione substantiali: & eadem est ratio de alijs omnibus Individuis alicujus Speciei: Ergo &c. Ex dictis,

4. Anima Christi & Judæ sunt æqualis perfectionis substātialis.

Infertur: Omnes animas rationales esse æqualis perfectionis substantialis; & consequenter etiam animam Christi, & Judæ. Sed contra hoc:

Objicies primò: Sorbona Parisiensis enim acri censura damnationis edidit Decretum, & definijt, animam Christi esse perfectiorem, quàm sit anima Judæ: Ergo &c. Respondeo *primò*; hanc definitionem esse parvi momenti; quia nō est œcumenica, utpote nec facta in aliquo Uni-

UniversaliConcilio; nec à Sum̃o Pontifice ex Cathedra definiente ex infallibili assistentia Spiritûs S. edita. Respondeo *secundò*; Sorbonam tantùm voluisse, quòd anima Christi sit perfectior animâ Judæ perfectione accidentali unionis hypostaticæ, gratiæ infinitæ, & aliorum donorum supernaturalium; etsi in substantialibus ambæ sint pares. Et profectò sicut nihil præjudicatur eminentiæ animæ Christi, etsi superetur à perfectione substantiali formæ Angelicæ Luciferi; ita neque eidem præjudicium ullum causabitur, etsi dicatur, animam Judæ esse ipsi parem in substantiali perfectione.

5. Scotus glossatur & Scriptura & Aristoteles pro correlario.

Objicies secundò: Scotus *3. dist. 15. q. 17.* videtur adversari Conclusioni. Similiter Aristoteles *2. de generat. animal. cap. 3.* ubi ait: *sicut anima est perfecta magis, vel minus, ita corpus comparat.* Et tandem ipsamet S. Scriptura, in qua dicit de se Salomon *Sap. 8. se sortitum fuisse animam bonam*, volens per hoc indigitare se in comparatione ad alios homines nactum esse animam substantialiter perfectiorem: Ergo &c.

Respondeo *ad Primum* interpretando Doctorem, & dico eum duntaxat statuere perfectionem accidentalem inæqualem inter Individua ejusdem Speciei; non verò substantialem *Ad secundum*, glosso pariter Aristotelem, & dico, ipsum loqui de animabus diversæ speciei; non de animabus ejusdem Speciei. *Ad tertium* dico; Salomonem illis verbis solùm velle innuere, se sortitum esse accidentaliter animam perfectiorem alijs hominibus, quatenus scilicet accepit subtilius ingenium alijs, quæ subtilitas ortum duxit à meliori temperamento suæ naturæ, & dispositione cerebri; anima enim dum invenit organa sua operativa meliùs physicè disposita, meliores, & perfectiores producit operationes, quæ arguunt acumen ingenij perfectioris.

6. Objectio alia resolvitur.

Objicies tertiò: à duabus Differentijs specificis contrahentibus aliquod Genus oritur inæqualis perfectio substantialis, ut in Speciebus duabus, in rationalitate, & irrationalitate respectu hominis, & bruti apparet: Ergo etiam à duabus Differentijs individualibus contrahentibus aliquam Speciem, orietur inæqualis perfectio substantialis in Individuis. Respondeo Neg. Conseq. Disparitas est; quia duæ Differentiæ specificæ sunt omnino diversæ in prædicatis essentialibus; quia duas Species adæquatas diversas constituunt: non sic duæ Differentiæ individuales.

7. Individua diversarum specierum sunt inæqualis perfectionis frequenter.

Dico quartò: Individua diversarum Specierum, etsi frequenter sint inæqualis perfectionis substantialis, possunt tamen etiam esse æqualis. Ita Van Sichen, & alij DD.

8. Possunt tamen esse æqualia.

Prob. prima pars: Tum authoritate Aristotelis supra *cit. 2. de generat. animal.* ubi ponit animas diversæ Speciei esse magis, vel minus perfectas. Tum quia Bucephalus, censetur ab omnibus substantialiter imperfectior Platone ratione animarum diversarum, inæquales perfectiones substantiales habentium, quæ in eis inclosæ sunt: Ergo &c.

Prob. secunda pars: nonnullæ Species brutorum, metallorum, plantarum, lapidum, & quorundam accidentium sunt æqualis perfectionis substantialis: Ergo & eorum Individua.

QUÆSTIO V.

De principio Individuationis.

1. Status quæstionis apperitur.

Ut distinctè in hac quæstione intricata procedatur; Nota primò hîc non inquiri de principio Individuationis Individui Logici; ejus enim Individuatio consistit in relatione subjicibilitatis ad Speciẽ, quæ est quædam secunda intentio facta per intellectum: sed investigator principium Individuationis Invidui metaphysici considerati: & quidem principium intrinsecum intrinsecè singularizans naturam aliquam; non verò extrinsecum, quod est causa efficiens.

2. Quid sit principium individuationis.

Nota secundò: Per *Principium Individuationis* intelligi illam rationem, quæ reddit naturam indivisibilem numericè in plures partes subjectivas; estque infimus gradus entis, ultimò naturæ communis determinativus, ad quem tanquam ad radicem, & fundamentum emergit unitas individualis.

No-

3. *Extat principium Individuationis.*

Nota tertiò: Dari defactò in omni natura metaphysicè comuni tale aliquod principium Individuationis, à quo natura dicitur singularis, & individua: patet ex Aristotele *1. Met. cap. 6.* contra Platonem, ubi ostendit nil existere nisi singulare. Et est ratio ulterior; quia omnis natura communis producitur per actionem singularem: adeóque & ipsa erit singularis per aliquod principium Individuationis; quia ut ait idem Philosophus *1. Met. cap. 1.* actio singularis tendit ad rem singularem.

4. *Hoc non est de ratione naturæ.*

Nota quartò: hoc principium Individuationis esse quid naturæ physicè communi superadditum; quare non est de ratione intrinseca ejus; ita habet Scotus *2. dist. 3. q. 1.* Et est ratio; quia si principium Individuationis esset de intrinseca ratione naturæ, natura non posset intelligi sub ratione Universalis; quandoquidem singulare, & Universale opponuntur; singulare enim est incommunicabile; Universale verò est communicabile: sed naturæ communis potest intelligi sub ratione Universalis; quia ex se est indifferens ad esse Universale, vel singulare: Ergo &c.

5. *Nec consistit in negatione; sed in positivo.*

Nota quintò: hoc principium Individuationis naturæ superadditum non dicit puram negationem; sed formalitatem positivam incommunicabilem, ad quam tanquam ad fundamentum proximum sequitur negatio divisionis, & divisibilitatis in plura similia; Ità habet Scotus *Quodl. 5. q. 8.* Ratio est; quia ut ait Doctor *cit.* nihil repugnat alicui enti per solam negationem in eo positam; sed per aliquid positivum, ad quod consequitur illa negatio; sic negatio v. g. corporietatis convenit Angelo propter aliquam formalitatem positivam, cui repugnat esse corpoream, puta propter spiritualitatem: sed naturæ alicui singularizatæ v. g. lapidis repugnat divisio in plura v. g. in plures lapides individuales, qui sint tales, qualis est lapis divisus: Ergo debet naturæ tali concedi aliquid positivum, ratione cujus radicaliter conveniat hæc repugnantia.

6. *Quod est ens realiter.*

Nota sextò: licèt hoc positivum principium Individuationis non sit ens quidditativè; cùm sit ultima differentia contractiva, quæ non includit ens formaliter; sed est extra rationem contracti, & contrahibilis, quale est ens, quod est primum contrahibile: ut habet Scotus *1. dist. 3. q. 3.* est tamen ens realiter, & identicè: quod sufficit, ut sit conceptus positivus, & non mera negatio. Quid porrò pro formali importet ista formalitas positiva individuans, variant plurimùm AA. quorum opiniones breviter refutabo sequentibus: Unde

7. *Existentia nō est principium individuationis.*

Dico primò: Neque existentia radicalis, neque actualis rei est illa formalitas, quæ est principium Individuationis rei. Ita Scotus *2. dist. 3. q. 3.* & Scotistæ comuniter; contra Baccon. Bonet. Ægid. Rom. &c.

Probatur ratione Doctoris *citati*: quod non est ex se distinctum, & determinatum, non potest esse principium distingvens, ac determinans aliud: sed existentia tam radicalis, quàm actualis eô modò, quô distingvitur ab essentia, non est quid distinctum, & determinatum; quia non habet proprias differentias distinctas à differentijs essentiæ; aliàs oporteret ponere propriam coordinationem existentiarum, distinctam à coordinatione essentiarum: Ergo existentia tam radicalis, quàm actualis non potest esse principium distingvens, ac determinans aliud; cujusmodi tamen debet esse formalitas illa positiva; quæ determinat Individuum ad esse Individui: ac consequenter nec existentia radicalis, neque actualis rei est principium Individuationis rei.

Probat. secundò aliâ ratione: munus principij Individuationis est determinare naturam ad infimum gradum entis, ut incommunicabiliter se habeat, & sic hæc numerô designabilis; munus verò existentiæ tam radicalis, quàm actualis est ponere rem extra causas: Ergo principium Individuationis non rectè statuitur in existentia radicali, vel actuali.

8. *Neq; collectio accidentium.*

Dico secundò: Neque collectio accidentium, neque ordo ad circumstantias extrinsecas est illa formalitas positiva, quæ statuitur pro principio Individuationis rei. Ita Scotus *2. dist. 3. q. 4.* & communiter Scotistæ Meurif. Mastr. Lychet. &c. contra Vesq. Suar. & alios RR.

Probatur prima pars: Tum quia tota collectio accidentium potest de potentia DEI absoluta tolli ab hoc individuo, & poni in alio: Ergo talis collectio non est illa formalitas positiva principij Individuationis. Consequentia tenet; quia principium Individuationis nullatenus potest tolli ab ea re, quam individuat; aliàs res individuata esset

hæc, & non esset hæc; quod implicat. Prob. Ant. â materia prima potest tolli per DEI potentiam omnis forma substantialis; quia tales formæ realiter distinctæ sunt, & naturâ posteriores: Ergo & â re individuata possit tolli tota collectio accidentium; quia hæc sunt formæ accidentales, & posteriora re individuatâ. Item in Evcharistia post Consecrationem sublata est tota collectio accidentium â substantia panis priùs individuata, quia annihilatur substantia; & collectio accidentium manet: Ergo &c.

9. Neq; ordo ad circustantias.

Probat. secunda pars: si formalitas positiva principij Individuationis consisteret in ordine ad circumstantias extrinsecas v. g. agentis, subjecti, loci, temporis &c. ut volunt RR. habere vim determinandi rem ad hunc numerô effectum, & consequenter individuandi: sed ordo ad circumstantias extrinsecas non habet talem vim; quia agens ut agens est indifferens ad hoc, vel illud Individuum producendum; item subjectum est indifferens ad hunc, vel illum colorem recipiendum; item iste calor est indifferens ut in hoc loco hujus cellæ, vel illius producatur. Ergo ad has circumstantias agentis, subjecti, & loci, non habet vim determinandi ad hunc numerô effectum; & consequenter nec individuandi.

10. Neq; quantitas est tale principium.

Dico tertiò: Neque quantitas est illa formalitas individuans rem. Ita Scotus *2. dist. 3. q. 4.* & sequuntur Colomb. Mastrius, ac communis Scotist. contra Godfred. Aureol. &c.

Probatur: Tum quia ex opinione Godfredi sequeretur, Individuum substantiæ non fore unum per se; sed per accidens; quia conflaretur ex substantia, & aliquo accidente, puta ex quantitate individuante, quod est unum per accidens: Ergo substantia non individuatur per quantitatem; & consequenter quantitas non est illa formalitas individuans. Tum quia quantitas in Evcharistia post Consecrationem manet sinè substantia; principium autem Individuationis non manet; cùm sit formalitas realiter identificata substantiæ: Ergo substantia non individuatur per quantitatem. Tum quia (ut arguit efficaciter Scotus *citat.*) si substantia individuaretur per quātitatem, sequeretur quòd nullus panis singularis in Evcharistia esset transubstantiatus in corpus Christi: sed sequela est hæretica: Ergo &c. Prob. sequela Maj. nullum singulare transubstantiatur in aliud, nisi etiam singularitas unius transubstantietur in singularitatem alterius: sed quantitas, quæ ponitur ab adversarijs singularitas, seu principium individuans, non transubstantiatur in corpus Christi; quia ad sensum quantitas remanet factâ Consecratione: Ergo &c.

11. Materia nullâ statuitur pro ratione individuante.

Dico quartò: Neque materia prima nuda; neque materia cum sigillatione quantitatis, est illa formalitas individuans rem. Ita Scotus *2. dist. 3. q. 5.* & communis Scotist. Contra plures Thomistas, Capreol, Ferrar. Soncio. Mercen. Cajet. Ban. &c. qui in explicanda sigillatione materiæ multùm discordant; quibusdam dicentibus, illam sigillationem consistere in inclusione quantitatis in materia prima: alijs dicentibus, consistere in capacitate ad posse recipere quantitatem: alijs docentibus, quòd sita sit in radicali continentia, quam habet materia prima respectu quantitatis: alijs tandem, quòd in ordinatione aptitudinali ad quantitatem dividentem, & separantem habendam.

Probatur prima pars conclusionis: Tum quia, ut patebit ex *lib. 1. Physic.* materia prima est una specie in omnibus rebus materialibus, inter se distinctis v. g. in individuo genito, & corrupto: Ergo materia prima nequit esse principium Individuationis, & numericè distingvens unum singulare ab alio, v. g. genitum, & corruptum. Tum quia quod est de essentia alicujus compositi, nequit esse principium Individuationis; quia essentia pertinet ad esse specificum: sed materia prima est de essentia compositi physici substantialis: quia ex materia prima, & forma veluti partibus essentialibus conflatur compositum physicum: Ergo materia prima nequit esse principium Individuationis, seu illa formalitas individuans. Tum quia ipsamèt materia prima est individua: Ergo per se, vel per aliam materiam: non per se; quia principium Individuationis debet esse aliquo modo distinctum â re individuata: nec per aliam materiam; quia daretur processus in infinitum: Ergo &c.

12. Etiamsi sit sigillata quantitate.

Probatur secunda pars contra explicantes sigillationem materiæ per inclusionem quantitatis in materia prima, vel per capacitatem: ex hac sententia sequeretur, nullam substantiam materialem esse ens unum per se; sed per accidens; quia est

quia est constitutum per aliquid alterius prædicamenti, quale est quantitas, vel illa capacitas: sed sequela est falsa. Ergo &c.

Probat. eadem pars contra explicantes sigillationem materiæ per radicalem continentiam, quam habet materia prima respectu quantitatis: ista radicalis continentia vel est aliquod superadditũ essentiæ materiæ primæ, vel non: si est aliquod superadditũ; illud sinè dubio erit accidens; quod rursus faceret substantiã esse ens per accidens: si nil superaddat; sequitur quòd materia prima nuda esset principiũ individuans; quod paulò ante in *probatione primæ partis conclusionis* est reprobatũ: Ergo &c.

13. *Nec forma est talis ratio.*

Dico quintò: Neque forma, aut ejus ultima actualitas; neque materia, & forma simul sumpta, est illa formalitas individuans. Ita Scotus *2. dist. 3 q. 6.* & sequitur Tromb. Rada, Bass. & alij Scotistæ; contra Zabarel. Durand Aversa & Galen. quoad primam partem; & ex nostris contra Fabr. Brund. & Catar. quoad secundam.

Probatur prima pars: Tum quia forma est de essentia compositi individuati; & est quid communicabile multis: formalitas autem individuans nequit esse de essentia compositi individuati; neque quid communicabile multis. Tum quia forma est realiter distincta à substantia materiali composita; uti patet de forma ligni: formalitas verò individuans est quid realiter idem cum substantia materiali, quam individuat: Ergo &c.

14. *Nec ultima actualitas formæ.*

Probatur secunda pars: duæ res nõ possunt individuari per idem principium individuationis; quia aliàs tale principium esset pluribus communicabile; quod ei repugnat: sed si ultima actualitas formæ esset illa formalitas individuans, duæ res individuarentur per idem principium; quia tam forma individuaretur per ultimam sui actualitatem, quàm totum compositum, & individuum completum: Ergo formalitas individuans non est ultima actualitas formæ.

15. *Neque forma & materia simul.*

Probatur Tertia pars: materia, & forma simul sumpta sunt partes quidditatis, & essentiæ specificæ; insuper sunt talia principia essentialia, in quibus omnia individua composita conveniunt, ut habet Scotus *3. dist. 22. q. unic.* Ergo non rectè assignantur pro illa formalitate individuante.

16. *Hæcceitas statui debet pro principio individuante.*

Dico sextò: Ultima differentia individualis, quæ rectè *Hecceitas*, & *Singularitas* appellatur, est illa formalitas positiva individuans. Ita Scotus *1. Post 6.* quem sequitur sua Schola; & hæc teste Suessano putatur fuisse etiam vetus sententia Avicennæ, Plotini, & Procli Philosophorum, apud quos, etsi hoc vocabulum *Hecceitas* non reperiatur; reperitur tamen aliud *Singularitas*: excogitavit autem Scotus hujusmodi vocabulum rectè, non attendens ad Grammaticorum voces hactenus usitatas; quia per formalitatem individuantem redditur res aliqua *hæc*, *seu hæcceizata*; nam rebus de novo inventis nova vocabula sunt invenienda, & imponenda; hinc SS. PP. signanter Augustinus *7. Trin. cap. 4.* ad debitè significandam unitatem Divinæ Substantiæ, & Essentiæ trium Personarum controversam ab Arrianis invenerunt nomen novum *homousion*.

Probatur conclusio primò authoritate D. Damasceni; qui *in sua Logica* asserit quosdam gradus ultimos sub natura specifica, tanquam ultimò determinativos, & contractivos illius, quod convenit ultimis differentijs individualibus, quæ singularitates, seu Hæcceitates appellantur: Ergo &c.

Probatur secundò ratione: Tum quia si neque existentia actualis, neque collectio accidentium, neque materia nuda, vel sigillata, & alia hactenus reprobata sint illa formalitas, quæ dicitur principium Individuationis; remanet, quod aliqua differentia individualis, rectè dicta *Singularitas*, seu *Hecceitas* sit illud ultimum principium, quod naturam specificam ultimatè determinat, distingvit, & ponit in gradu ultimo indeterminabili, ac incommunicabili: Ergo illa est formalitas positiva individuans. Tum quia eodem fermè modo philosophandum est de Specie, ac de Individuo: sed Species constituitur in esse specifico per differentiam specificam, v. g. homo per rationalitatem: Ergo & Individuum v. g. Plato per differentiam ultimam individualem Platoneitatis, quæ Hæcceitas Platonis dicitur, constituitur in esse Individuali; ac consequenter differentia ultima individualis, seu Hæcceitas est illa formalitas individuans rem.

Nota autem septimò pro ampliori intel-

17. Quo gradus metaphysici coalescant in rebus.

intelligentia hujus conclusionis, & doctrinæ Scotisticæ: in omni re creata tam simplici, quàm composita physicè dari compositionem metaphysicam, quæ coalescit ex gradibus prædicamentalibus, seu realitatibus genericis, & specificis, & ex differentialibus, magis, & minùs communibus; v. g. in Socrate hi omnes gradus prædicamentales coalescunt, primus est gradus substantiæ, secundus corporis, tertius animalis, quartus hominis, qui sunt omnes quidditativi, tandem sequitur Socrateitas, quæ est ultimus in prædicamento gradus, & per se primò incommunicabilis, & cum cæteris omnibus constituit Socratem in ratione hujus individui signati; & ideo dicitur meritò principium Individuationis.

18. Hæcceitas est prima diversè ab alia.

Nota octavò: hanc differentiā Hæcceitatis dici primò diversā ab alia differētia individuali; quia nullam realitatem communem habent, aut conceptum quidditativum, in tali realitate fundatum, in quo conveniant; & ideo dicuntur *differentiæ ultimæ*, ad distinctionem differentiarum specificarum.

19. Differentia inter hæcceitatē, & differentiā specificam.

Nota nonò: discrimen inter hanc differentiam individualem, & specificam esse; quia specifica pertinet ad esse quidditativum rei, non sic individualis; licèt ad entitatem ejus intrinsecè pertineat; entitas enim, & quidditas hic non sunt, idem, ut innuit Philosophus 7. *Met.* ubi ait, quod natura specifica licèt dicat totam quidditatem individui; non tamen dicit totam entitatem. Ratio etiam est; quia omnis quidditas creata est communicabilis, & plurificabilis secundùm se numeraliter; non sic illud, ad quod intrinsecè pertinet differentia hæc individualis: Ergo differentia ista distingvitur à specifica.

20. Hæcceitas est quidd actus.

Nota decimò: quòd hæc differentia Hæcceitatis comparata ad specificam se habeat ut actus ad potentiam; cujus contrarium tenent Thomistæ. Ratio nostra est; quia Hæcceitas se habet ut gradus contrahens, & natura ut gradus contrahibilis, & determinabilis: Ergo habet rationem actûs. Ex hoc tamen non sequitur, quòd sit nobilior, & perfectior ipsā naturā specificā absolutè; sed tantùm secundùm quid; ut bene notat Bassolius; non enim semper actus est nobilior potentiā; ut patet de accidente, quod actuat substantiam aliquomodo; & tamen non est nobilius substantiā actuatā: actuat ergo naturam specificam non in ordine eodem essentiali, sicut facit differentia specifica cum gradu generico; sed extra ordinem quidditativum; quia est differentia tantùm materialis; non formalis quidditativa.

QUÆSTIO VI.

Enodantur Objecta contra conclusa prioris quæstionis.

Objicies primò contra primam conclusionem: illud est principium Individuationis, seu formalitas individuans, ad quam terminatur primò generatio; nam ad singulare terminatur generatio, juxta Aristotelem: sed hoc est existentia actualis rei: Ergo existentia est illa formalitas individuans. Respondeo Neg. Min. quia licèt existentia actualis rei generatæ semper comitetur rem generatam; ipsa tamen non est illa formalitas individuans, ad quam primò terminatur generatio; cùm non sit ex se quid distinctum, & determinatum, neque habens differentiam distinctam à differentia essentiæ rei generatæ: est ergo existentia tantùm modus quidam, qui essentiam modificat, sed novum gradum essendi non tribuit.

1. Existentia terminatur quidē rem sed non individuat.

Objicies secundò contra secundam conclusionem: Porphyrius *cap. 3.* definivit Individua per accidentium collectionem. Item D. Damascenus *in sua Dialectica*, ubi ait, *accidentia esse characteristicas proprietates, quibus tanquam certis notis hypostasis* (id est suppositum seu Individuum) *exprimitur.* Item Boëtius *lib. 1. de Trinit. cap. 1.* ait, *in numero differentiam varietas accidentium facit*: Ergo &c. Respondeo interpretando has, & similes authoritates, & dico eas solùm velle, quòd per accidentium collectionem definiatur, exprimatur, & differentietur Individuum secundariò; non verò primariò, & formaliter; nam cùm ultimæ differentiæ rerum nos lateant pro hoc statu viæ, regulariter In-di-

2. Accidentia ultimū secundariò differentiant rem.

dividuum definimus per collectionem accidentium; similiter Individuum exprimimus per characteristicas proprietates accidentium; & tandem unum ab alio pariter discernimus per varietatem accidentium. Possunt etiam in allatis authoritatibus per *accidentia* intelligi non accidentia communia; sed ipsæ differentiæ individuales ultimæ, quæ aliquomodo accidens nuncupantur; eò quòd sint extraneum quid naturæ specificæ; id est extra ejus conceptum; & quia accidunt naturæ specificæ, sicut differentia specifica accidit naturæ genericæ; ut hic exponit Scotus.

3. Quædam objectiones resolvuntur.

Objicies tertiò contra tertiam conclusionem: Aristoteles *3. Met. 11.* dicit, *omne indivisibile est aut secundùm quantum, aut secundùm speciem;* quibus verbis innuit indivisibilitatem, & consequenter rationem Individui petendam esse à quantitate. Deinde quantitas facit numerum: Ergo est principium Individuationis. Tandem quantitas est principium distinctionis numericæ: Ergo est formalitas individuans. Respondeo *ad Primum* glossando Aristotelem, & dico, eum solum velle, quòd indivisibilitas declaretur per quantitatem, cùm quantitas nobis sit notior; sic una gutta aquæ ab alia discriminata per quantitatem citiùs innotescit, quòd sit individualiter distincta: cum quo tamen stat, quòd formaliter & intrinsecè individuetur per aliam formalitatem, quæ Hæcceitas dicitur. *Ad secundum* Dist. Ant. quantitas facit numerum, qui est extrinsecus substantiæ numeratæ Conc. Ant. qui est intrinsecus substantiæ numeratæ Neg. Ant. Itaque numerus à quantitate proveniens est tantùm extrinsecus rei numeratæ; proveniens verò ab Hæcceitate est ei intrinsecus. *Ad Tertium* Dist. pariter Ant. quantitas est principium distinctionis numericæ secundariò, & declarativè, quatenus nimirum à posteriori colligimus distinctionem numericam per ordinem ad quantitatem Conc. Ant. quantitas est principium distinctionis numericæ primariò, & formaliter Neg. Ant.

4. Varia testimonia Aristotelis opponuntur.

Objicies quartò contra quartam conclusionem: Aristoteles varijs textibus refundit individuationem rerum in materiam; unde *7. Met. text. 28.* dicit, Calliam, & Socratem differre ab invicem penes materiam. Et *5. Met. 12.* dicit, illa esse unum numerò, quorum materia est eadem. Et *1. Cæli 92.* dicit, *dum cælum dico, formam dico; dum hoc cælum dico, formam in materia dico.* Et tandem ibidem *94.* negat esse plures mundos; quia nequeunt multiplicari per materiam; cùm tota sit in hoc præsenti mundo: Ergo &c.

5. Quæ glossantur.

Respondeo cum Scoto *Quodlib. 2. art. 2.* glossando Philosophum, & dico eum in his, & alijs locis materiam non accipere pro materia prima, quæ est pars physica compositi alicujus substantialis, quæ aliàs vocatur à DD. *materia partis;* sed eam accipit pro *materia totius*, id est pro differentia individuali contractiva Speciei: similiter formam accipit non pro forma physica; sed pro quidditate contracta, eò quòd quidditas importet ipsum esse formale rei: usurpat autem Philosophus hanc materiæ acceptionem pro differentia individuali propter quandam analogiam; nam quemadmodum materia prima subjicitur omnibus secundùm eundem Philosophum *1. Phys. tex. 82.* estque subjectum primum cujuslibet formæ; ita natura affecta differentiâ individuali subjicitur cunctis, quæ in recta linea prædicamentali collocantur; & propterea rectè ejus differentia individualis dicitur quædam materia.

6. Cuidam replicæ obviatur.

Dices: Saltèm materiam primam ut signatam quantitate adstruit Philosophus, & veritas, pro principio Individuationis: Ergo &c. Probatur Ant. illud secundùm Philosophum, & veritatem est principium Individuationis, cui per se primò repugnat communicari pluribus: sed materia prima ut signata apparatu quantitatis est hujusmodi: Ergo &c. Respondeo Neg. Ant. & Dist. Min. Probationis ejusdem, materiæ ut signatæ quantitate repugnat per se primò communicari, ita ut hæc incommunicabilitas proveniat radicaliter à signatione quantitatis Neg. Min. ita ut hæc incommunicabilitas proveniat radicaliter, & primariò aliunde, puta à differentia individuali intrinseca, quæ Hæcceitas dicitur, Conc. Min.

7. Forma est tantùm physicum principium individuans.

Objicies quintò contra quintam conclusionem: Aristoteles pluribus in locis ponit pro principio Individuationis formam; Unde *1. Phys. 69.* formam appellat *hoc aliquid*, hoc est rationē individuantē, *& 7. Met. 49.* dicit formam esse actum, qui ab invicem Individua separat, & di-

stin-

stinguit. Et *secundo Physic. 91.* distinctionem materiæ ponit penes distinctionem formæ: Ergo &c. Respondeo eum P. Bassolio interpretando Aristotelem, & dico ipsum in allegatis, & similibus Authoritatibus loqui de principio physico distinctivo, & Individuante; non autem de principio metaphysico Individuante; de quo solo procedit quinta conclusio. Verùm enim est, quòd principium physicè individuans compositum aliquod sit anima, & omnis alia forma; quæ cùm constituat physicè compositum, illud idem physicè individuat: metaphysicè autem individuatur quodvis compositum per formalitatem aliam, id est per Hæcceitatem.

8. Scotistis replicantibus satisfit.

Dices cum Scotistis quibusdam signantet P. Fabro; saltèm ultimam realitatem formæ oportet ponere principium, & causam individuationis rerum; quia Scotus *2. dist. 3. q. 6.* docet, quòd ultima differentia sumatur præcisè ab ultima realitate formæ. Respondeo Neg. Illatum; quia id, quod est principium individuationis, debet actuare; & respicere totam naturam specificam; quod non facit ultima realitas formæ, quæ actuat solam partem, id est formam. *Ad authoritatem allatam*, & aliàs adducibiles Scoti dico, eas tantùm probare de principio individuationis in esse physico, non verò in esse metaphysico. Vel dici potest, quòd Scotus *loco cit.* per differentias ultimas intelligat non differentias individuales; sed differentias specificas, quæ aliquando sumuntur ab ultima realitate formæ, quando scilicet natura specifica est natura aliqua simplex physicè, continens tamen plures realitates formæ; cujusmodi natura sunt Angeli v. g. in quibus proinde ratio differentiæ specificæ sumitur præcisè ab ultima realitate formæ Angelicæ; sicut & ab alia realitate ejusdē sumitur ratio generis.

9. Varia objecta contra hæcceitatem individuantem.

Objicies sextò contra sextam conclusionem: nequit ostendi, quidnam sit illa Hæcceitas individuans; non enim est substantia; quia aliàs esset materia prima, vel forma substantialis; quod negant Scotistæ; neque est accidens; quia aliàs non posset individuare substantiam: Ergo &c. *Secundò*: natura nequit individuari per aliquid commune: sed Hæcceitas est aliquid commune; quia omnes Hæcceitates conveniunt quidditativè in ratione communi Hæcceitatis: Ergo &c. *Tertiò*: si vera esset opinio Scoti, sequeretur, quòd in omni individuo materiali essent tres Hæcceitates, una scilicet materiæ, altera formæ, tertia compositi: hoc autem repugnat; quia aliàs unum Individuum esset triplex Individuum: Ergo &c.

10. Eadem resolvuntur.

Respondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad rationem ejus dico; quòd Hæcceitas formaliter nec sit substantia, nec accidens; sicut enim nón includit ens formaliter; cùm habeat conceptum simpliciter simplicem, ut docet Scotus *1. dist. 3. q. 3.* ita neque includit formaliter partes subjectivas entis, quæ sunt substantia, & accidens. Itaque licèt quidditativè ista Hæcceitas non sit hoc, vel illud; est tamen realiter, ac identicè unum, vel alterum; unde illa Hæcceitas quæ substantiam determinat ad esse individuale, est realiter, & identicè substantia; & illa quæ determinat accidens, est accidens identicè, & realiter; & in absolutis est absoluta; in relativis relativa. *Ad secundum* Dist. Min. Hæceitas est aliquid cōmune cōmunitate fundatâ in realitate, & conceptu quidditativô Neg. Min. est aliquid cōmune cōmunitate fabricatâ ab intellectu per conceptum inadæquatum Conc. Min. *Ad tertium* dico, in opinione Scoti esse duas Hæcceitates partiales, & unam totalem, sicut sunt duæ entitates partiales, & una totalis ex eis conflata; non tamen sequitur, esse triplex Individuum completum totale.

DI-

DISTINCTIO V.

De Differentia.

PRÆNOTATIO.

Differentia, uti reliqua quatuor Universalia, dupliciter considerari potest, metaphysicè scilicet, & logicè; seu materialiter, & formaliter; seu primò, & secundò intentionaliter: si consideretur metaphysicè, importat formalitatem quandam realem, quæ cum genere constituit Speciem, tanquam pars determinativa ejusdem; si verò consideretur logicè, seu formaliter, est Universale quoddam prædicabile in quale essentiale. In hac dist. priùs agam de Differentia metaphysicè, seu primò intentionaliter considerata, naturam multiplicitatem, munia, & passiones ejus examinando. Unde esto

QUÆSTIO I.

De quidditate; divisionibus; & proprietatibus Differentiæ metaphysicæ.

1. *Ly differens, diversum, & distinctum non sonant idem.*

Nota primò: Etsi ista vocabula apud Grammaticos confundantur, & synonimè accipiantur, *differens*, *divisum*, & *distinctum*; aliquid tamen discriminis in eis delitescere conijciunt Philosophi cum Aristotele *5. Met. cap. 9.* *Distinctum* enim negat indentitatem unius rei cum alia, sive illæ res differant, sive non; undè latiùs patet ly *distinctum*, seu distinctio, quàm *differens*, seu Differentia. *Diversum* verò negat omnimodam convenientiam unius rei cum alia; unde illa ex Scoto *1. dist.3. q.3.* dicuntur diversa, quæ se totis discernuntur; ut ens, & negatio. Ly *Differens* indigitat rem unam in aliquo convenire cum altera; & in aliquo disconvenire; ideóq; illud, in quo distingvuntur, vocatur Differentia. Unde

2. *Definitio differentiæ.*

Dico primò: bene definitur Differentia ut sic: *quòd sit forma aliqua, quâ aliquid disconvenit ab aliquo, sive à se, sive ab alio.* Ita P. VanSichen, & alij DD.

Probatur: hac definitione ritè explicatur natura Differentiæ ut sic: Ergo &c. Ly *forma* est genus; & extendit se tam ad formam realem, qualis est Differentia metaphysicè inspecta; quàm rationis, qualis est Differentia logicè considerata. Reliqua ponuntur pro Differentia hujus tertij Universalis ab alijs quatuor: & per ly *quâ aliquid disconvenit ab aliquo* datur intelligi, Differentiæ munus principale esse, afferre disconvenientiam rebus, quæ priùs in aliquo communi conveniebant; sic v.g. homini, & bruto convenientibus in animali, rationalitas, & irrationalitas tanquam duæ Differentiæ afferunt disconvenientiam. Additur *sive à se, sive ab alio*; quia eadem res potest differre à seipsa, quatenus substat diversis formis; sic homo sanus differt à seipso existente ægro.

3. *Quid differentia communis, propria, & propriissima.*

Nota secundò: Porphyrius *cap. de Differentia* dividit primò Differentiam ut sic in communem, propriam, & propriissimam; ut post modum eligat ex eis, quam definire velit in ratione quarti Universalis formaliter, seu logicè considerati. Per *Differentiam communem* intellexit Porphy-

phyrius illam, quâ una res differt ab alia accidente communi separabili, quale est accidens albi faciens Platonem album differre à Scipione nigro; vel Socratem senem à seipso puero: hæc Differentia vocatur *communis*; quia oritur ab accidente, quod est pluribus commune. Per *Differentiam propriam* intelligit idem Author illam, quâ una res differt ab alio accidente inseparabili; tale est omnis proprietas metaphysica, v. g. in homine risibilitas, quâ differt à bruto; & nigredo corvi, quâ differt à cygno. Sub hac contineri potest Differentia individualis; quia facit differre rem per aliquid extra essentiam. *Per Differentiam proprijssimam* intelligit illam, quâ una res differt ab alia specificâ Differentiâ; talis est rationalitas in homine, quâ differt ab asino; & de hac Differentia est potissimus sermo in hac distinctione.

4. *Divisio in 3. præfatas differentias est bona.*

Nota tertiò: hanc divisionem Porphyrianam Differentiæ ut sic esse exactam, & adæquatam; ut communiter consentiunt Scotistæ, Fuente, Mastrius, Frasseu, &c. Ratio est; quia hæc divisio complectitur, & exhaurit omnia membra dividentia; nam nullum est assignabile membrum Differentiæ, quod sub his tribus *in notab. 2.* allatis non contineretur; ea enim quæ differunt, vel differunt essentialiter, & sic differunt Differentiâ proprijssimâ; vel differunt accidentaliter, & hoc vel inseparabiliter, & sic Differentiâ propriâ; vel separabiliter, & sic Differentiâ communi: Ergo &c. Hæc divisio porro data est trimembris brevitatis gratiâ; reduci tamen facillimò negotiò potest ad bimembrem, ut sic dicas, alia est Differentia proprijssima; alia non proprijssima: & rursus non proprijssima alia est communis; alia propria.

5. *Non tamen univoci in univocata.*

Nota quartò: hanc divisionem non esse puri univoci in sua univocata; sed analogi in analogata; uti sentit Montursius, Frass. Ponc. & alij Scotistæ ex Scoto *q. 23. Univers.* contra P. Fuente, Cajet. & alios AA. Ratio primi est; quia Differentia ut sic non dicitur secundùm eandem rationem, & univocè de Differentia communi, propria, & proprijssima; proprijssima enim facit aliqua differre essentialiter, & quidditativè; aliæ duæ verò accidentaliter inseparabiliter, vel separabiliter: quod adversatur univocationi eorum: Ergo &c. Ratio secundi; quia tunc habetur divisio analogi in sua analogata, quando dividitur aliquod unum, cujus nomen commune est membris dividentibus; res verò per nomen significata alicui membro tantùm perfectè, & propriè convenit; alijs autem impropriè, & per similitudinem, appropriationem, & communem usum dicendi; sicut docet Scotus *cit. 3.* ex Aristotele *1. Elench. cap. 2.* sed talis est divisio Differentiæ ut sic in memorata tria membra; quia ratio differendi soli Differentiæ proprijssimæ perfectè, & propriè convenit; nam res non dicuntur propriè differre per accidentia; aliàs homo albus secundùm dentes, & niger secundùm cutem, à seipso propriè discreparet; quod non est dicendum: Ergo hæc divisio est analogi in sua analogata.

6. *Quid differentia infima, subalterna.*

Nota quintò: Differentiam proprijssimam rursus subdividi in infimam, & subalternam. *Infima*, seu inferior est, quæ cum Genere constituit Speciem prædicabilem de pluribus numerò differentibus; talis est rationalitas, quæ constituit Speciem hominis. *Subalterna*, quæ & superior Differentia dicitur, est, quæ cum gradu generico constituit Speciē subalternam; talis est sensitivitas, quæ cum vivente constituit animal. Unde etiam suo modo *constitutiva* appellatur. Circa proprietates Differentiæ.

7. *Proprietates differentiæ.*

Nota sextò: inter proprietates Differentiæ metaphysicæ recenseri à Doctore *1. dist. 17. q. 6.* hanc primam, quòd nō suscipiat magis, & minùs secundùm se. Ratio est; quia essentiæ rerum sunt sicut numeri, quibus nil addi, vel demi potest quidditatis, quin varientur; unde rationalitas non dicitur modò magis, modo minùs rationalitas. Altera proprietas Differentiæ metaphysicæ est; quod duæ Differentiæ idem genus dividentes in eadem specie metaphysica nusquam possint reperiri; sic rationalitas, & irrationalitas nequeunt in eadem Specie communi inveniri. Dixi *in eadem Specie metaphysica*; quia in eadem Specie physica, v. g. toto substantiali hominis physici reperitur Differentia spiritualitatis, & differentia corporeitatis; perseitatis, & aleitatis, quæ sūt diversæ Differentiæ metaphysicæ. Similiter inter proprietates Differentiæ metaphysicæ recensentur, quòd ipsa sit simul constitutiva Speciei, & distinctiva; item quòd sit divisiva generis, quæ se-

quen-

quentibus explicabuntur, ubi de muneribus Differentiæ agetur. Interea.

8. Cur differentiæ negatione exprimantur.

Nota septimò: quòd tametsi nonnullæ Differentiæ exprimantur nominibus negativis, v. g. irrationalitas; in se tamen sunt veræ, & reales formalitates positivæ. Ratio est; quia alioquin Speciem nõ possent verè, & positivè constituere, v.g. irrationalitas Speciem bruti: efferuntur autem ideo nominibus negativis, quia cùm ignoremus quænam sint earum entitates, ideo solemus eas per negationem oppositæ differentiæ nobis notæ efferre.

QUÆSTIO II.

De præcipuis muneribus Differentiæ metaphysicæ.

1. Primũ munus Differentiæ est dividere genus.

Nota primò: primum munus, quod Differentia metaphysica exercere solet, est dividere Genus. Quod ut ritè percipiatur, adverte; Genus habere duplicem statum, statum videlicet realis existentiæ, eò modò, quò nunc in Speciebus dispersum reperitur; & statum existentiæ objectivæ, quò à nobis concipi solet, ut totum quoddam Universale, multa sub se continens inferiora. Si natura generica consideretur in statu realis existentiæ, Differentia circa ipsam exercet munus dividendi modò reali, non quasi illam scindendo; sed potius determinando, & limitando; si verò natura generica consideretur in statu existentiæ objectivæ, tunc propriè concipitur dividi ad modum totius potentialis in suas partes subjectivas; licèt talis divisio fiat tantùm per opus intellectûs. Ratio primæ partis est; quia contractio naturæ per Differentiam in statu realis existentiæ non est aliud, quàm divisio, & multiplicatio ipsius naturæ, præcedens abstractionem intellectûs, ratione cujus divisionis alia est animalitas in homine, alia in equo; sed hæc divisio verè datur à parte rei: Ergo hoc primum munus Differentiæ circa naturam genericam in statu realis existentiæ modò reali exercetur; Ita Doctor *1. dist. 5. q. 2.* Ratio secundæ partis est; quia Genus in statu existentiæ objectivæ est ex Scoto *1. dist. 1. q. 2.* totum Universale, & concipitur ut totum potentiale dividi per Differentias in plures partes potestativas, v. g. in animal hominem, & in animal equum: Ergo in tali statu propriè dividitur per Differentias. Fit autem talis divisio, & contractio per intellectum; quia supponit naturam per intellectum abstractam, & unam per inexistentiam in pluribus, quam unitatem à solo potest habere intellectu. Et hoc de primo munere Differentiæ.

2. Alterum, constituere Speciem.

Nota secundò: Secundum munus Differentiæ est, constituere Speciem per modum partis actualis; sic rationalitas v. g. constituit hominem. Hoc munus Differentiæ concedunt omnes DD. cum Aristotele *7. Met.* sed acriter inter se controvertunt, quâ ratione, & modò ejusmodi munus exerceat Differentia in Speciei constitutione; num videlicet hoc faciat modò reali, per veram realem compositionem metaphysicam; an potiùs per opus intellectûs, & nostrum modum concipiendi; vel penes majorem explicationem.

Nota tertiò: P. Occam cum sua Nominalium, & RR. plurium, ut Hurtadi, Oviedonis &c. cohorte, quia negat omnem compositionem metaphysicam, consequenter docet, constitutionem Speciei ex Genere, & Differentia non esse penes modum alicujus compositionis realis; sed penes modum explicationis. Thomistica Schola cum Suar. Pasqual. &c. RR. sicut negat omnem distinctionem à parte rei inter formalitates, & gradus metaphysicos, cujusmodi sunt etiã Genus, & Differentia, & dogmatizant eos sola distinctione rationis cum fundamento in re distingvi; ita pariter docet constitutionem, & compositionem metaphysicam Speciei ex Genere, & Differentia fabricari solo opere intellectûs, & penes modum rationis. Sed

3. Datur compositio metaphysica realis.

Dico primò: Differentia in constitutione metaphysica Speciei exercet munus suum modò quòdam reali, videlicet per veram realem metaphysicam compositionem, independenter ab omni rationis negotio. Ita Scotus *2. dist. 3. q. 6.* cum tota sua Schola Subtilium, quam imitantur ex RR. Amicus, Molina, Fonseca &c.

Probat. primò: Differentia, sicut & Genus, est vera realitas, & formalitas metaphysica, formaliter distincta à Genere,

re, & quocunque alio gradu metaphysico; quia ipsi, & generi conveniunt prædicata contradictoria à parte rei, puta Differentiæ esse contractivum, & determinativum; Generi verò esse contrahibile, & determinabile: Ergo in constitutione Speciei metaphysicæ exercet munus suum modô quodam reali, per veram videlicet metaphysicam compositionem. Consequentia tenet; quia ubi partes constituentes, & componentes sunt reale quid, etiam modus constitutionis, & compositionis est realis; uti patet à pari in constitutione physica reali hominis per compositionem physicam realem.

Probat. secundò: si Differentia in constitutione Speciei metaphysicæ non exerceret munus suum modô reali, videlicet per veram realem compositionem metaphysicam, sed per negotiationem rationis, posset etiam in DEO concedi exercitium alicujus compositionis metaphysicæ ex Genere, & Differentia; sed Adversarij compositionem metaphysicam ex Genere, & Differentia negant in DEO; utpote quæ summè officit ejus summæ Simplicitati: Ergo &c. Prob. Maj. posset DEUS concipi per rationem secundùm unum conceptum communem, quô in prædicatis transcendentalibus convenit cum creaturis; & rursus secundùm alterum proprium, quô disconvenit: Ergo posset in DEO concedi exercitium compositionis metaphysicæ ex Genere, & Differentia.

4. *Tertiù munus Differ. est distingvere Speciem.*

Nota quartò: tertium munus Differentiæ metaphysicæ est distingvere essentialiter unam Speciem ab alia: ut autem ejusmodi munus Differentiæ exactiùs innotescat, oportet resolvere hîc aliam quæstionem; an scilicet Differentia in suo conceptu Genus, quod dividit, & Differentiam Superiorem, cui subordinatur, includat; v. g. an rationale includat in suo conceptu animal, vel sensibile; si enim includat non magìs poterit dici ratio distingvendi; quàm conveniendi; si non includat, erit ratio distingvendi unam Speciem ab alia.

5. *Differentia nõ includit formaliter genus.*

Dico secundò: Differentia non includit in suo conceptu Genus, nec Differentiam Superiorem, cui subordinatur. Ita Scotus 7. *Met. q.* 19. Et 1. *dist.* 8. *q.* 3. & 4. *dist.* 11. *q.* 3. quem sequuntur Scotistæ communiter; contra Nominales, quoad secundam partem.

Prob. prima pars *primò*; quia ita constat ex Aristotele 4. *Top. cap.* 2. ubi docet, Genus non esse de essentia Differentiarum: esset autem, si Differentia includeret Genus in suo conceptu: Ergo &c. *Secundò*: si Differentiæ istæ rationalitas, & irrationalitas includerent formaliter suum Genus animal, tunc in eo convenirent formaliter, non secùs ac homo, & brutum in eo conveniunt: Ergo seipsis non essent formaliter diversæ; & consequenter deberent per alias Differentias sibi superadditas differre: hæ porro superadditæ Differentiæ rursus in aliquo superiori convenirent; ac proinde rursus per alias deberent differre; & sic dabitur processus in infinitum. *Tertiò*: si Genus v. g. animal includeretur in conceptu rationalis ut Differentiæ, sequeretur quòd animal esset bis in homine; scilicet ratione sui; cùm sit pars constitutiva hominis; & ratione Differentiæ; cùm in ea includatur: sed sequela est falsa: Ergo &c.

6. *Nec Differentias Superiorẽ.*

Probatur secunda pars *primò*: Si Differentia inferior includeret in suo conceptu Differentiam superiorem, v. g. rationalitas sensitivitatem, in qualibet definitione committeretur nugatio; quæ est fugienda à bono Philosopho: Ergo &c. Prob. Ant. bis poneretur Differentia, ut superior semel, scilicet ratione Generis, quod constituit; & iterum ratione Differentiæ inferioris, in qua formaliter includeretur; quod est nugari: Ergo &c. *Secundò*: si Differentia inferior includeret superiorẽ, sequeretur, quòd non dicerent duos conceptus distinctos; & consequenter Species non esset metaphysicè composita, etiam per nostrum modum intelligendi; quia compositio est duarum partium unió, quarum una non includit aliam; sed sequela est falsa: Ergo &c.

7. *Quædam objectio diluitur.*

Objicies: nihil prædicatur in abstracto de aliquo, in cujus formali conceptu non includitur: sed Differentia superior prædicatur in abstracto de inferiori ex Philosopho 7. *Met. cap.* 12. dicente *quod fissio pedis est quædam peditas*; *peditas* enim est quædam Differentia superior, in qua omnia animantia pedes habentia conveniunt; & à non habentibus pedes differunt; *fissio verò* est differentia inferior, quâ animantia fissos pedes habentia à non habentibus fissos pedes differunt: Ergo &c. Respondeo exponendo Philosophum, & dico cum Scoto ipsum tantùm

tùm velle, quòd Differentia superior dividi debeat per inferiores; non autem per alias: unde dicit ibidem, quòd ad dividendum animal pedatum non est dicendum, aliud est alatum, aliud non alatum; quia alatum non est Differentia pedis; sed est dicendum animalis pedati aliud babet pedes fissos; hæ namque sunt differentiæ pedum: non antem vult Aristoteles, quòd *peditas* prædicetur per se de *fissione*.

QUÆSTIO III.

De Differentia Logica.

1. *Describitur Differentia Logica.*

NOta primò: Porphyrius *cap. de Differentia* definir Differentiam prædicabilem, seu Logicam sic, est *quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid*: circa quam definitionem advertit Doctor *q. 27. Univers.* per eam definiri solùm Differentiam subalternam. Quare

Dico primò: Bene definitur Differentia Logicè considerata, ut est tertium Universale, quòd *sit Universale, quod prædicatur de pluribus in quale quid.* Ita Scotus *q. 17. Univers.* Fuente, Columb. Mastrius, &c. Scotistæ.

Probatur: hæc definitio convenit omni, & soli Differentiæ; habetque cæteras conditiones bonæ definitionis: Ergo &c. Ly *Universale, quod prædicatur* est Genus; reliqua habent rationem Differentiæ. Dicitur *quod prædicatur de pluribus*, scilicet, Specie, vel numerò differentibus; ut comprehendatur tam Differentia subalterna, quàm infima: additur *in quale quid* ut hoc Universale tertium differat á reliquis Universalibus; & simul detur intelligi, quòd Differentia prædicetur quidem per modum partis essentialis, quòd insinuat ly *quid*; sed non per modum partis per se subsistentis, & instar substantivi; sed per modum partis essentialis informantis, & qualificantis, ac alteri adjacentis; quod insinuat ly *quale*.

2. *Nonnulla objecta.*

Objicies primò: hæc definitio datur per modos oppositos: Ergo non est bona. Prob. Ant. prædicari in quid est modus oppositus prædicari in quale; *quid* namque denotat quid subsistens; & *quale* quid inhærens: Ergo &c. *Secundò*: in hac definitione non potest assignari Differentia: Ergo non est bona. Prob. Ant. si posset assignari Differentia, daretur Differentia Differentiæ; & fieret processus in infinitum in Differentijs: Ergo &c.

3. *Resolvuntur.*

Respondeo *ad Primum* Neg. Ant. ad ejus probationem Dist. Ant. prædicari in quid secundùm rem, est modus oppositus prædicari in quale secundùm rem Conc. Ant. prædicari in quid secundùm rem, est modus oppositus prædicari in quale secundùm modum duntaxat Neg. Ant. Itaque Differentia quoad rem, seu entitatem suam prædicatur in quid; quia est de essentia rei, de qua prædicatur: quo ad modum verò prædicatur in quale; quia significat per modum alteri adjacentis; quare in his duabus prædicationibus non intervenit oppositio ulla; cùm sint respectu diversorum. *Ad secundum* Negat. Ant. sicut & Probat. ejus Ant. nam Differẽtia hìc definita habet se ut Species quædam, quæ est tertium Universale, contenta sub Genere; ac proinde definibilis: neque arguitur ullus processus infinitum; cùm detur status in illa Differentia, quæ constituit Differentiam ut est tertium Universale, & Species Universalis ut sic.

4. *Differentia habet tres respicientias.*

Nota secundò pro sequenti conclusione: Differentiam respicere tria, Genus, Speciem, & sua inferiora: penes Genus Differentia vocatur dividens, continens, & perficiens; unde dixit Philosophus *5. Met. text. 16.* Differentiam esse quandam diversitatem Generis; & ob hujusmodi respicientiam Porphyrius hìc eam definivit dicendo, quòd *sit id, quod aptum est dividere ea, quæ sub eodem Genere sunt.* Per respicientiam ad Speciem idem Porphyrius hìc rursus definivit Differentiam dicendo, *est id, quô Species abundat à Genere*, id est quo Species superat Genus. Per respectum tandem ad inferiora definitur ut suprà *in prima conclusione.* Quæritur ergo sub qua respicientia Differentia Logica statuatur tertium Universale Logicum.

5. *Differentia in ratione universalis constituitur per respicientiam ad inferiora.*

Dico secundò: Differentia Logica in ratione Universalis tertij Logici constituitur formaliter per respicientiam, seu relationem ad inferiora Speciei, de quibus prædicatur. Ita Scotus *q. 19. Univers.* & sequuntur Fuente, Mastr. Columb. Villaverde, & alij Scotistæ; pluresq; Neutristæ, Sanch. Ruv. Arriag. &c.

Probatur: Omne Universale Logicum quâ tale est unum de multis prædicabile; ut suprà ex Philosopho lectum est: Ergo per respicientiam, relationem, & ordinem ad multa constituitur in esse Universalis: Ergo etiam hoc Universale, quod Differentia dicitur, per respicientiam, relationem, & ordinem ad multa, id est ad inferiora Speciei, de quibus prædicatur, constituitur; & non per Speciem, quam respicit. Præterea Differentia per respectum ad Speciem, quam constituit, non est superius quoddam; sed quid æquale: Ergo sub tali respectu non est Universale. Tandem Differentia Logica fit Universalis per actum comparativum intellectûs: sed talis actus respicit inferiora Speciei, de quibus Differentia prædicabilis efficitur ex negotiatione talis actûs: Ergo &c.

6. *Oppositio quædam rejicitur.*

Objicies: inferiora Speciei continentur virtualiter in Specie: Ergo sufficit respicientia, & relatio Differentiæ ad Speciem, ut efficiatur Universalis. Respondeo Conc. Ant. & Neg. Conseq. quia ad esse formaliter Universale requiritur actualis respectus ad plura objecta intellectui oblata; unde non sufficit virtualis illa continentia inferiorum, id est individuorum in Specie, sed hæc debent actualiter considerari ut plura inferiora.

DISTINCTIO VI.

De Proprio.

PRÆFATIO.

Porphyrius in 5: cap: *suæ Isag. tractat de Proprio, & paucis se expedit. Hoc Universale uti alia dupliciter sumitur, metaphysicè videlicet, & logicè. Utriusq; discussionem sequentibus 2. quæstionibus prosequar: quare de Proprio in primo sensu sit.*

QUÆSTIO I.

De Proprio Metaphysicè considerato.

Nota primò: Ly *proprium* derivari à *prope*, quod vicinitatem, seu intimitatem importat; unde *Propriũ* juxta nominis ethymologiam, idem est ac *intimum*; quia videlicet ita vicinum est essentiæ, seu quidditati subjecti, ut non sit extra illam, sed identificetur cum illa. Pro quo ulteriùs cognoscendo.

1. *Variæ usurpationes Proprij.*

Nota secundò: Ly Proprium varias pati acceptiones. *Primò* enim accipitur pro eo, quod dominium sapit, ut advertit Major; hoc sensu dicimus hoc castellum est meum proprium. *Secundò* capitur pro actione aliqua, quam plerumque quis præstare solet; hoc sensu dicimus est Scoto proprium subtiliter ratiocinari; & est proprium Cæsari hostes victoriosè pro-

profligare. Verùm has, & similes acceptiones Proprij non attendunt Philosophi; sed solas Proprij metaphysici, & logici. Unde.

2. Quadruplex usurpatio Proprij Met.

Nota tertiò: Porphyrius quatuor usitatiores apud Philosophos Proprij metaphysici usurpationes proponit *cap. de Proprio. Primò* enim usurpatur pro eo, quod soli Speciei, sed non omnibus ejus individuis accidit, seu convenit; tale est esse Medicum, & esse Geometram; quod accidit soli Speciei humanæ; non tamen omnibus ejus individuis. *Secundò* usurpatur pro eo, quod accidit, & convenit cuilibet individuo alicujus Speciei; sed non soli tali Speciei; tale est esse bipedem, quod convenit omni individuo humanæ Speciei; sed non tantùm illis; quia etiam convenit individuis avium. *Tertiò* sumitur pro eo, quod convenit omni individuo alicujus Speciei, & soli tali Speciei; sed non semper; tale est ridere, quod convenit omni homini, & soli Speciei humanæ; sed non semper. Quartò usurpatur pro eo, quod convenit omni individuo alicujus Speciei, & soli tali Speciei, & semper; tale est risibilitas, flebilitas, & similes omnes passiones, ac aptitudines, quæ emanant, pullulant, & fluunt ab essentijs rerum metaphysicis: ut habet Scotus *q. 17. Univers.* Et de Proprio in hac acceptione imposterum erit sermo; & vocabitur Proprium quartò modò sumptum.

3. Propriū Met. importat realitatem.

Nota quartò: Proprium metaphysicum quartò modò sumptum importat quamdam realitatem realem, natam fundare secundam intentionem Proprij logici; nam passio debet proportionari subjecto; quare cum subjectum, in quo reperitur Proprium tanquam passio, & à quo originatur per emanationem metaphysicam, sit reale quid, debet & ipsa passio Proprij esse reale quid, seu realitatem continens.

4. Aristotelis definitio proProprio Met.

Nota quintò: Aristotelem *1. Top. 4.* definire Proprium metaphysicè consideratum, quòd *sit id, quod indicat quid rei soli autem inest, & conversim prædicatur.* Per ly *est id, quod indicat quid rei* vult, quòd omne Proprium indicet essentiam rei, non quidem à priori; sed à posteriori: per ly *soli autem inest* indicat, quòd Proprium rigorosum solis duntaxat individuis unius Speciei conveniat, in quo differt ab Accidente communi: per ly *& conversim prædicatur*, indigitat connexionem necessariam quæ inter subjectum, & suum Proprium ceu passionem intercedit, ratione cujus se invicem inferunt in subsistendi consequentia; v.g. si homo est risibilis: Ergo risibile etiam est homo. Sed clariùs cum Porphyrio *cap. de Proprio.*

Dico primò: aptè definitur Proprium metaphysicè sumptum; *est forma quadam metaphysica ab essentia subjecti fluens, quæ accidit alicui Speciei, & soli, & semper.*

5. Præfertur Porphyriana.

Probatur: hæc definitio explicat clarè naturam Proprij metaphysici: Ergo &c. Ly *forma* est genus; reliqua ponuntur pro differentia. Dicitur *forma metaphysicè ab essentia subjecti fluens*, ad distinctionem formæ physicæ; & ut indicetur ortus, origo, & modus originis, quem habet Proprium, scilicet per emanationem ab essentia subjecti. Dicitur *quæ accidit alicui Speciei*, ut ostendatur Proprium esse extra rationem formalem subjecti, seu Speciei, cujus est Proprium. Dicitur *& soli, & semper* ad distinctionem aliorum accidentium communium, quæ etiam accidunt uni Speciei; sed non soli, neque semper. Occasione hujus particulæ quæri potest, cùm Proprium semper accidat Speciei, ex quo connexio quædam Proprij cum suo subjecto arguitur, quanta sit ista connexio. Respondeo, &

6. Propriū connectitur cum subjecto indispensabiliter.

Dico secundò: Proprium metaphysicum ita indispensabiliter connectitur cum suo objecto, ut nulla ratione possit subjectum regulariter sine eo reperiri; imò etiam respiciendo Potentiam DEI absolutam. Ita Scotus *q. 33. Universal.* Et *1. dist. 3. q. 5.* Et *2. dist. 12. q. 2.* quem sequitur sua schola, P. Lychet. Canon. Mastr. Saxi: Ponc: &c. contra Sanch. Cajet. Capreol. & alios Thomistas.

Probatur: Tum qui Proprium, seu Proprietas ex dictis est forma metaphysicè fluens ab essentia subjecti, quæ realiter identificatur subjecto, v. g. risibilitas in homine, id est aptitudo ad ridendum: sed talis ita indispensabiliter connectitur cum suo subjecto, ut regulariter loquendo, imò, & de potentia DEI absoluta subjectum sine ipsa esse nequeat: Ergo &c. Probat. Min. quæ semel identificantur, nulla ratione, etiam de potentia DEI absoluta possunt ampliùs separari; aliàs essent identificata, & non essent identificata. Tum quia conclusio demonstrationis, in qua passio, seu Proprietas demonstratur inhærere subjecto, est adeò vera,

vera, ut nulla ratione possit reddi falsa: ac proinde dicitur propositio æternæ veritatis: Ergo prædicatum est ita necessariò connexum cum subjecto, ut de nulla DEI potentia possit separari ab eo: & consequenter Passio, seu Proprietas nequit realiter, imò nec de potentia DEI absoluta, reperiri sinè subjecto, & è contra; alioquin conclusio demonstrationis posset falsificari; tanta enim est veritas alicujus propositionis, quanta est connexio prædicati cum subjecto.

7. Oppositiones variæ.

Objicies *primò*: Omne prius est saltem per DEI potentiam absolutam separabile à suo posteriori: sed subjectum est prius sua Proprietate, & passione, ex Aristotele *in Postprædicament. cap. de simil.* Ergo &c. *Secundò* ex eodem Aristotele *5. Met. 16.* priora naturæ dicuntur illa, quæ possunt esse sinè aliis; non tamen alia sinè illis: Ergo subjectum ut prius potest esse sine Proprietate sua. *Tertiò* si subjectum non posset esse sinè passione, jam dependeret ab illa; quod nequit dici. *Quartò*: quidquid est in aliquo instanti, in quo non est aliud, potest à DEO conservari pro quocunque alio instanti naturæ; sed subjectum est in aliquo instanti priori: Ergo &c.

8. Eliduntur.

Respondeo *ad Primum*: Majorem esse veram, si prius sit realiter distinctum à posteriori, ut docet Scotus *2. dist. 12. q. 2.* vel potest esse vera sumendo ly prius reduplicativè *ut prius*; quia ut prius non pendet à posteriori, sed tamen ex alio capite potest esse impendimentum, scilicet ex identitate reali; ut notat Tartar. & ita est in proposito, quod subjectum ut priùs sub ratione prioris possit esse sinè passione; sed quia adhuc adest alia ratio, scilicet identitas realis, ideo nequit esse absolutè sinè alio ex hoc capite. *Ad secundum* respondetur similiter, uti ad Primum. *Ad Tertium* Dist. Ant. penderet ab eo dependentiâ, quæ dicitur à posteriori Neg. Ant. dependentiâ, quæ dicitur (& meliùs) coëxigentia, quo sensu solemus dicere causam formalem pendere à suo effectu formali, quatenus nequit esse sinè illo, Conc. Ant. *Ad quartum* Negat. Maj. quia, ut bene notat Canonicus, *esse prius naturâ* non est esse prius in aliquo signo, in quo non sit posterius; quia nullius rei existentia mensuratur per instans naturæ, ita nimirum, ut id, quod dicitur naturâ priùs, existat in aliquo instanti, in quo non existat id, quod dicitur posteriùs naturâ; sed tantùm verum est, quod in aliquo instanti intelligatur illud; in quo non intelligitur istud; unde sola prioritas durationis per verbum *Est*, *& in Quo* explicatur; sed prioritas naturæ explicatur per solum verbum *Potest esse*, *& in Quo*, si est prioritas Essendi; si autè est prioritas Intelligendi, per ly *Intelligitur*, *& in Quo*.

Probatur ultimò Conclusio: Proprietates sunt ordinariè aptitudines rerum: sed hæ de nulla potentia possunt separari à subjectis suis: Ergo Proprium nec de potentia physica, metaphysica, aut logica potest separari à suo subjecto. Prob. Min. si aptitudo v. g. substantiæ intellectualis ad intelligendum hoc, vel illud posset separari à substantia intellectuali, ità ut ab intrinsecó non exigeret intelligi substantia intellectualis, posset etiam exigentia ignis ad calorem separari: sed hæc secundùm adversarios separari nequit: Ergo nec illa aptitudo ad intelligendum. Confirm: quia nullum videtur signum hujus separabilitatis in essentiis rerum à suis Proprietatibus: Ergo hoc non est asserendum: Unde

9. Inseparabilitas Proprij est intrinseca.

Nota sextò ex Scoto *2. dist. 1. q. 5. §. Ad quæst.* hanc impossibilitatem separationis esse intrinsecam; quia omnis impossibilitas separabilitatis ex triplici cap. oritur; vel quia sunt simul naturâ aliqua duo, ut est de duobus relativis patris & filij; vel quia unum est prius, à quo essentialiter dependet posterius, ut est de toto, & partibus; quia sunt idem realiter, & hoc specialiter habet omne Proprium cum suo subjecto.

10. Quid Propriũ Genericum & specificum.

Nota septimò: Proprium aliud esse genericum, aliud specificum. *Genericum* est, quod identificatur naturæ, & essentiæ genericæ; tale est v. g. divisibilitas respectu quantitatum. *Specificum* est, quod identificatur immediatè naturæ, & essentiæ specificæ, & ea mediante omnibus individuis ejus; tale est risibile respectu hominis, & Platonis, Socratis &c.

11. Affectiones Proprij Met.

Nota octavò: Affectiones Proprij metaphysici esse sequentes: *Prima* est, quòd nō sit susceptivum intensionis, aut remissionis. Ratio est; quia Proprietates pullulant ab essentiis: essentiæ autem sunt æqualis perfectionis in suis inferioribus; quare & Proprietates tales erunt. Nec adversatur huic doctrinæ, quòd quidam homines habeant majorem proclivitatem

ad

ad riſum v. g.; talis enim non à majori, & intenſiori, ſeu perfectiori Proprietate riſibilitatis oritur; ſed ex meliori organorum ad riſum inſervientium diſpoſitione, ſcilicet ex ampliori cordis latitudine, & ſplenis promptiori operatione, à quibus ſpiritus versùs fauces emittuntur, qui dilatant muſculos frontis, & oris, ex quibus deinde ſequitur labiorum deductio, ſeu riſus. *Secunda* affectio eſt inſeparabilitas omnimoda ejus à ſubjecto, quæ ſuprà *concluſ. 2.* oſtenſa eſt. *Tertia* eſt, quòd Proprietates latentes rerum eſſentias indigitent; ſic v. g. ex hinnitu actuali colligitur equum habere Proprium ſibi identificatum, quod vocatur hinnibilitas; & ex ejuſmodi hinnibilitate tandem indigitatur natura equi, ut diſtincta à natura bovis, quæ non gaudet Proprietate hinnibilitatis. *Quarta* eſt, quòd Proprium reciprocetur cum Genere, vel Specie, quibꝰ ineſt; nam bonæ ſunt iſtæ prædicationes; *Omne animal eſt mortale*; Ergo *omne mortale eſt animal*; ubi reciprocatur Proprium genericum: ſimiliter iſtæ valent: *Omnis homo eſt riſibilis*: Ergo *omne riſibile eſt homo*; ubi reciprocatur Proprium ſpecificum.

12. Differentia Proprij ab Accidente.

Nota nonò: Varia eſſe diſcrimina inter hæc duo Univerſalia metaphyſica Proprium, & Accidens, quarum decem affert Card. Sarnànus; ego pono ſolùm ſequentia. *primò* differunt penes *principia*, à quibus fluunt; nam Proprium à principiis eſſentialibꝰ prodit; Accidens verò à principijs individualibus proficiſcitur: unde dicit Porphyrius *cap. de communit.* propria Speciebus innaſci; Accidentia verò primò ineſſe individuis. *Secundò*: ſubjectum non poteſt cum oppoſito ſui Proprij intelligi; bene tamen abſque ſuo accidente. *Tertiò*: Proprium eſt convertibile cum ſubjecto, accidens non. *Quartò*: Proprium pro demonſtratione inſervit; accidens non.

QUÆSTIO II.

De Proprio logicè conſiderato.

1. Definitio Proprij logici.

Dico primò: aptè definitur Proprium logicum, *eſt Univerſale prædicabile de pluribus in quale accidentale; ſed neceſſariò*: Colligitur ex Scoto *q. 30. Univerſal.* & ſuſtinetur à Fraſſ. Maſtr. Lamazar. &c. Scotiſtis.

Probatur: hæc definitio efformata eſt ſecundùm omnes leges Dialecticas aptæ definitionis: Ergo &c. Ly *Univerſale* eſt Genus; reliqua ponuntur pro Differentia. Dicitur *Univerſale prædicabile*, per quod differt à Proprio metaphyſico: dicitur *prædicabile de pluribus*, ut complectatur tam Proprium ſubalternum, quàm infimum; nam accidit eis, quòd iſta plura ſint Species, vel individua. Additur *in quale*, ut Proprium diſtingvatur à Genere, & Specie; quæ *in quid* prædicabilia ſunt: apponitur *accidentale*, ut differat à Differentia, quæ *in quale quid* prædicatur. Per ly tandem *ſed neceſſariò* (quod idē eſt ac inſeparabiliter, & convertibiliter, ut alij loquuntur) Proprium diſcriminatur ab Accidente quinto prædicabili, quod contingenter, & ſeparabiliter eſt prædicabile.

2. Quod penes inferiora conſtituitur in eſſe Univerſalis.

Dico ſecundò: Proprium Specificum logicum non penes Speciem, à qua emanat; ſed penes inferiora, de quibus prædicatur, conſtituitur in eſſe Univerſalis logici, quod quartum prædicabile dicitur. Ita colligitur ex Scoto *q. 30. Univerſ. §. ad quæſt. in ſolut. primi.* Et ſeqitur communis Scotiſt.

Probatur: Tum à paritate aliorum Univerſalium logicorum, quæ uti ſuprà oſtenſum eſt, per ordinem ad ſua inferiora conſtituuntur in eſſe Univerſalis logici. Tum quia Univerſale quà tale ex ſua definitione eſſentiali reſpicit plura, & conſequenter inferiora: Ergo & hoc Univerſale, quod Proprium logicum dicitur; & conſequenter per ordinem ad inferiora ſua univerſalizatur. Ex his,

3. Quod per prædicari convertibiliter non diſt. ab Accidente.

Infertur primò: non bene diſtingvi Proprium in ratione Univerſalis quarti ab Accidente *per prædicari convertibiliter*, ut putant aliqui. Ratio eſt; quia Univerſale ut Univerſale eſt ſuperius; ſuperius autem ut tale non convertitur cum inferiori; igitur *per prædicari convertibiliter* diſtingvitur ab accidente ſolùm in ratione Proprij metaphyſici; non autem in ratione Univerſalis: aliud autem eſt loqui de riſibili in ratione Proprij; & aliud in ratione Univerſalis, ut notat noſter Tart. quia ut Proprium reſpicit ſolam naturam, cui adæquatur; ut verò Univerſale inferiora illius naturæ; ut habet Doctor *q. 30. Univerſ.* Et ita intelligi debet Doctor ipſe, ſi alibi aliquando Proprium diſtin-

stingvat ab accidente per convertibiliter prædicari.

4. *Quædam objectio evacuatur.*

Objicies primò: non datur Universale Proprium; quia Proprium, & commune opponuntur: Ergo &c. Respondeo Proprium, & commune diversò modò sumptum non esse opposita; unde proprium comparativè ad Speciem, cum qua convertitur, non est commune, & Universale; bene tamen respectu individuorum illius Speciei; quare juxta Scotum *cit.* Proprium, & Universale sunt idem materialiter, non formaliter; quia per alium respectū dicitur Proprium; & per alium Universale.

5. *Alia rursus eluditur.*

Objicies secundò cum Arriaga: prædicari in quale essentiale nonm tantùm constituit Prædicabile: Ergo & prædicari in quale accidentale: Ergo hoc prædicabile debet reduci ad quintum; vel illud huc; quod enim res, quæ prædicatur, sit necessariò connexa cum subjecto, vel non, habet se merè per accidens in ordine ad prædicationem, & Universale. Respondeo Neg. Conseq. nam ratione necessariæ connexionis, vel contingentiæ connexionis prædicati cum subjecto variantur essentialiter prædicabilia quoad modum prædicandi; sicut variantur quando unum prædicatur ut pars essentialis, & aliud ut tota Essentia, uti contingit in Genere, & Specie: nec est necesse, quòd illa connexio exprimatur in actuali prædicatione tanquam modus prædicandi; nam & in prædicatione actuali Generis, & Speciei non exprimitur omnis modus eorum; sed solùm ille, qui est utrique communis, prædicari scilicet in Quid, & per modum termini substantivi.

6. *Propriū Logi. dist. ab Accidēte Log.*

Dico tertiò: Proprium logicum est distinctum Universale ab Accidente logicè considerato. Ita Scotus *32. q. Univers.* cum communi: & colligitur ex Aristotele *1. Top. c. 3.* & Porphyrio *hoc cap.*

Probatur: distinctus modus prædicandi arguit distinctum Universale: sed Proprium habet distinctum modum prædicandi ab Accidente logicè considerato; ut patet ex ejus definitione supra *conclus. 1.* data: Ergo &c.

DISTINCTIO VII.

De Accidente.

PRÆNOTATIO.

Accidens est quintum, & ultimum Universale; de quo ait Porphyrius cap. ult. de Accidente; *quod pariter sumitur metaphysicè, & logicè; quare sub utroque sensu sequentibus quæstionibus ipsum examinabo; atque ita toti Tractatui de quinque Universalibus, & Prædicabilibus colophonem imponam. Sit itaque.*

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De Accidente metaphysico.

1. *Acceptiones Accid. Met.*

Nota primò: Ly *Accidens* derivari ab *accido*, quod est idem ac advenio; & solet varias habere acceptiones. *Primò* enim accipitur pro re fortuitò adveniente; in hac acceptione inventio thesauri est accidens fossori. *Secundò* accipitur pro re alteri contingenter adveniente post suum esse completum: & hoc dupliciter; vel enim alteri solùm adjacet; sic arma & vestes sunt adjacentia Platoni: vel adhærent alteri; uti se habet albedo adhærens Platoni: hoc sensu accidens opponitur substantiæ, quæ per se subsistit, & de Accidente in isto sensu agitur in hac quæstione.

2. *Definitiones Porphyriana pro Accid. in cap.*

Nota secundò: Porphyrius *cap. de Accidente* tres ponit definitiones Accidentis,quæ metaphysico accomodari possunt. *Prima* est, Accidens est, quod adest vel abest sine subjecti corruptione. *Secunda* est, Accidens est, quod contingit eidem inesse, & non inesse; hæ duæ fermè in idem coincidunt. *Tertia* est, Accidens est, quod neque est genus, neque species, neque differentia, neq; proprium; inest autem subjecto. Prima definitio plerumque eligitur ab AA. pro explicatione Accidentis quinti Universalis metaphysici; sed paulò clariùs,

3. *Authoris definitio.*

Dico primò: Accidens metaphysicum bene definitur quòd *sit natura aliqua participabilis à pluribus subjectis, quibus contingenter advenit.*

Probatur: hæc definitio clarissimè exprimit naturam Accidentis metaphysici: Ergo &c. Ly *natura aliqua* est Genus; reliqua habent rationem differentiæ. Dicitur *natura aliqua participabilis à pluribus subjectis*, per quod differt Accidens hic definitum ab Accidente logico: additur *quibus contingenter advenit*, per quæ verba differt ab omnibus aliis quatuor Universalibus metaphysicis, quæ non insunt contingenter; sed necessariò, & inseparabiliter.

4. *Quid Accidens corporeũ, spirituale, absolutũ, relativũ; genericum & specificum &c.*

Nota tertiò: Accidens aliud esse *corporeum*, & est id quod contingenter advenit rebus corpore constantibus; tale est albedo. Aliud est *Spirituale*, quod contingenter advenit rebus spiritualibus; tale est intellectio, & species intelligibilis animæ convenientes. Aliud rursus est *absolutum*, ut qualitas & quantitas. Aliud *relativum*, ut relationes variæ. Aliud *genericum*, quod pluribus specie differentibus adesse, vel abesse potest, ut albedo respectu nivis, & hominis. Aliud *specificum*, quod à pluribus solo numero differentibus participari potest; ut Philosophia à Platone, & Scoto. Aliud est, quod uni tantùm parti subjecti inesse solet, ut simitas naso, & crispitudo capillis. Aliud quod omnibus partibus subjecti inesse potest, ut albedo, quæ denti, manui, faciei, & toti corpori inhærere potest. Aliud rursus est, quod in parte exteriori subjecti residet, ut visio in oculo. Aliud quod in parte interiori ejus subjectatur, ut recordatio. Iterum aliqua Accidentia uniformiter sive æqualiter in subjecto intenduntur, ut lumen æqualis intensionis in domo: alia verò difformiter, ut si lumen sit majus in una, quàm in alia parte domûs.

5. *Proprietates Accidentis.*

Nota quartò: Accidentis proprietates esse sequentes: *Prima* est, quòd possint suscipere magis, & minùs; id est intendi & re[illegible]tti. *Secunda* est, quòd sint substantiæ indicativum, conservativum, & etiam primò destructivum. *Tertia* est, quod unum alteri sit contrarium, ut albedo nigredini.

6. *Nulla inhærentia est de quidditate Accid.*

Nota quintò: neque actualis, neq; aptitudinalis inhærentia, seu aptitudo, quam habet Accidens ad inesse seu inhærere, est de quidditate Accidentis, ut habet Scotus *4. dist. 12. q. 1.* contra Thomistas, & RR. Ratio primi est; Accidentia Eucharistica sunt vera Accidentia; & tamen actu non insunt seu inhærent: Ergo &c. Ratio secundi; aptitudo illa est quidam respectus transcendentalis connotans subjectum: Ergo nequit esse de quidditate Accidentis. Quare est tantùm passio identificata Accidenti.

7. *Quid sentiend. de morte, & calore.*

Nota sextò: tametsi *mors* homini accidat, & casualiter adveniat; non est tamen de genere Accidentis metaphysici; sed est aliquid privativè oppositum ejus vitæ; sicut tenebræ opponuntur luci; & tamen accidentia non sunt. E contra *calor* est Accidens animali; licèt illud corrum-

rumpat, ut moriatur propter sui intensionem exorbitantem: ratio est; quia in tali corruptione calor non corrumpit subjectum quoad essentiam; sed quoad existentiam tantùm, dum scilicet temperiem primarum qualitatum dissolvit: quare calor adhuc censetur esse accidens, quod adest sinè subjecti corruptione essentiali; quod intelligitur in definitione Porphyriana per ly *adest*. Plura de Accidente metaphysicè considerato vide in prædicamentis.

QUÆSTIO II.

De Accidente Logico.

1. Definitur Accidens logicum.

Dico primò: bene definitur Accidens logicè consideratum, quòd *sit quoddam Universale prædicabile de pluribus subjectis in quale accidentale contingenter.*

Probatur: hæc definitio datur secundùm leges Dialecticas bonæ definitionis: Ergo &c. Ly *Universale* est genus: reliqua statuuntur pro differentia. Dicitur *Universale prædicabile de pluribus* per quod discriminatur Accidens hic definitum ab Accidente metaphysico. Additur *in quale Accidentale*; ut distingvatur à Genere & à Specie: apponitur ly contingenter, ad distinctionem Differentiæ, & Proprij.

2. Constituitur in esse Universalis per ordinē ad subjecta.

Dico secundò: Accidens logicum constituitur in ratione quinti Universalis logici per ordinem ad subjecta, de quibus prædicatur; non verò per ordinem ad inferiora. Ita Scotus *q. 34. Universal.* Meriner. Fuente, Villaverde, & cōmunis Scotist. ac Thomist.

Probatur prima pars: Accidens per ordinem ad subjecta tantùm est prædicabile contingenter: Ergo per talem ordinē præcisè constituitur in esse quinti prædicabilis, seu Universalis logici quinti.

3. Non per ordinē ad inferiora.

Probatur secunda pars: Accidens logicum consideratum sub ordine ad sua inferiora, habet se per modum Generis, vel Speciei: Ergo per talem ordinem non sortitur rationem quinti prædicabilis seu Universalis, ut contrà distincti à Genere, & Specie.

4. Objectio tollitur.

Objicies: Universale est unicum prædicatum: sed Accidens consideratum cum ordine ad subjecta non est prædicatum unicum: quia Aristoteles *cap. de substantia* dicit, *accidens non prædicatur unum de substantia*: Ergo &c. Respondeo Neg. Min. & interpretor Aristotelem, dicoq; ipsum *loc. cit.* solùm negare, quòd Accidens prædicetur in quid de substantia tanquam univoca ratio inclusa formaliter in subjecto; & ideo licèt in hoc sensu non sit prædicatum univocum; univocè tamen prædicatur; quia eodem modo, de quolibet subjecto dicitur, id est in quale Accidentale contingenter.

Dico tertiò: Accidens logicum in ratione quinti Prædicabilis constituitur non solùm per ordinem ad plura subjecta numerô diversa; sed etiam plura genere, & specie diversa. Ita communis DD.

5. Subjecta Accidentis sunt etiam genere, & specie distincta.

Probatur: reperiuntur nonnulla Accidentia; quæ non solùm sunt communia pluribus subjectis numerô distinctis, puta pluribus individuis; sed quæ etiam sunt communia pluribus subjectis Genere, & Specie diversis; & de his prædicatur Accidens commune in quale accidentale contingenter: tale est Accidens albi, quod prædicatur de Cygno, & nive, quæ sunt species diversæ: Ergo Accidens logicum in ratione quinti Prædicabilis constituitur non solùm per ordinem ad plura subjecta numerô diversa; sed etiam Genere & Specie diversa.

6. Quidquid contingenter advenit fundat Accidens. log.

Dico quartò: Universalitas Accidentis ut quinti prædicabilis fundari potest super quodcunque contingenter conveniens rei; sive illud sit prædicatum substantiale, sive accidens prædicamentale, Ita Scotus *3. dist. 7. q. 1.* quem sequitur Lychetus, Mastr. & alij Scotistæ; contra D. Thomam, & Amic. Tolet. & alios AA.

Probatur: numerus, & ratio Prædicabilium non petitur ex varietate rerum, quæ universalizantur, & prædicantur; sed ex varietate modi, quô prædicatum connectitur, cum subjecto, ut rectè arguit hic Mastrius: sed prædicatum tam substantiale, quàm accidentale prædicamentale connectitur contingenter cum alio (qui est modus particularis quinti Prædicabilis) Ergo super utrumque poterit fundari Universalitas Accidentis ut quinti Prædicabilis. Prob. Min. de prædicato substantiali, de quo est difficultas; hæc prædicata substantialia, vestis, aurum, lignum &c. connectuntur contingenter cum homine, corona, & cathedra; & verè de ipsis contingenter prædicantur, dicendo; homo est vesti-

vestitus, hæc corona est aurea, hæc cathedra est lignea: Ergo etiam prædicata substantialia connectuntur contingenter cum alio.

7. *D. Thomas ostentatur.*

Objicit *primò* D. Thomas: quod per se subsistit, nulli accidit; utì patet ex Philosopho 1. *Phys.* sed omne prædicatum substantiale per se subsistit: Ergo nulli alteri accidit; & consequenter super id nequit fundari Universalitas hujus quinti prædicabilis. *Secundò*, illud solùm aptũ est fundare Universalitatem quinti prædicabilis, quod habet rationem inhærentis in subjecto: sed prædicatum substantiale nequit habere ejusmodi rationem: Ergo &c. Respondeo *ad Primum* Dist. Maj. quod per se subsistit, nulli alteri accidit metaphysicè, Conc. Maj. nulli alteri accidit logicè, Neg Maj. Itaque prædicatum substantiale non potest quidem accidere alteri tanquam forma informans metaphysicè aliquod subjectum; potest tamen accidere, & advenire alteri logicè, id est, potest affirmari, seu prædicari contingenter de aliquo subjecto. *Ad secundum* Neg. Maj. quia Accidens prædicabile nõ dicitur tale per ordinem ad subjectum inhæsionis; hoc enim soli Accidenti prædicamentali convenit, de quo *in tract. de Prædicam.*; sed ex eo, quòd alteri contingenter adveniat; quod etiam prædicato substantiali convenire potest.

TRACTATUS QUINTUS.

De Prædicamentis.

PRÆNOTATIO.

ANnotavi in præfatione prioris Tractatûs de Universalibus, Isagogem Porphyrianam compositam fuisse tanquam Introductionem quandam in organum Categoriarum, ut hæ faciliùs intelligerentur: absolutâ itaque tractatione ejusdem Introductionis, rectô ordine ipsas Categorias, seu Prædicamenta examinanda assumo. Authorem hujus operis Jamblicus, Zwingerus &c. faciunt Architam Tarentinum Pytagoræ auditorem: sed communis sensus Peripateticorum, & Historicorum, qui vitam Aristotelis scripsêre, ut Laërtius, Julius, Pacius, Franciscus Patritius &c. fabricatorem hujus eruditissimæ machinæ Categoriarum facit Aristotelem; nam ut bene discurrit Boëtius, ipsemet Aristoteles in cæteris suis Operibus hujus libri Categoriarum facit mentionem; in eodem quoque relucet ea styli gravitas, brevitas, & subtilitas, quæ Aristotelicam redolent doctrinam; & tandem Philosophus incompletam confecisset Logicam, si tractaturus de syllogismis, non præmisisset terminos incomplexos, in hoc Opere contentos, qui sunt materia remota syllogismi. Finis hujus Operis Aristotelici fuit, res omnes creatas, quæ penè sunt infinitæ, & ideo cognitione impenetrabiles, ad certas decem classes, seu ordines (quos Categorias vocat Aristoteles) reducere, ordinando illas secundùm subjectionem, & prædicationem, ut ex convenientibus veritas; ex repugnantibus verò, vel saltèm disconvenientibus falsitas propositionum in syllogismis manifestaretur.

Ob-

Objectum ejusdem Operis non sunt voces, ut putant Nominales; quia de eis nullibi demonstrantur passiones; & quia sine illis haberi potest scientia de Categorijs, seu Prædicamentis: neque res, ut arbitratur Eustratius, & Averroes; quia objectum alicujus scientiæ, & tractatûs debet esse unum ex Philosopho 1. Poster. cap. 23. *res autem prædicamentales sunt plures: Itaque objectum, seu subjectum libri Prædicamentorum est Prædicamentum ut sic secundò intentionaliter sumptum, seu generalissimè acceptum. Tum quia hoc est commune omnibus decem Prædicamentis; sicut Universale ut sic secundò intentionaliter sumptum est commune omnibus quinque Universalibus; & proinde rectè statuitur pro objecto Tractatûs de Universalibus. Tum quia habet omnes conditiones objecti attributionis, alibi recensitas: Ergo &c. Opus hoc, & Tractatus de Categorijs, seu Prædicamentis constat tribus partibus; scilicet Antepradicamentis, Prædicamentis, & Postprædicamentis. De prima subijcio sequentem distinctionem.*

DISTINCTIO I.

De Antepredicamentis.

PRÆFATIO.

ARistoteles Prædicamentis præmisit Antepradicamenta, veluti quædam documenta præambula necessaria ad veram notitiam Prædicamentorum; & ad instituendam debitam ordinationem, & collocationem rerum in Prædicamentis; talia sunt definitiones, ac explicationes Univocorum, Æquivocorum, Analogorum & Denominativorum; item duæ divisiones; & duæ regulæ: de his hac distinctione agetur. Unde sit

QUÆSTIO I.

De Univocis.

1. *Quid sint Univoca.*

NOta primò: Ly *Univocum*, si ethymon spectes, est quasi una vocatio; ut ex Vorrilonio observat Pelbartus; eò quòd in aliqua voce, & quidditate, vóci correspondente, multa vocentur. Aristoteles *cap. 1. primi tract. Prædica.* sic definit Univoca, *sunt illa, quorum nomen est commune; & secundùm nomen eadem substantia ratio;* talia sunt animal, & substantia respectu hominis, & bruti.

2. *Variæ sortes Univocorū elucidantur.*

Nota secundò: ut natura, & definitio Univocorum meliùs intelligatur, priùs afferendæ sunt divisiones nonnullæ eorum: & *primò* Univocum aliud est Univo-

nivocum univocans; & aliud Univocum univocatum. *Univocum univocans* pertinet ad vocem, & est nomen commune pluribus rebus habentibus eandem rationem, seu conceptum quidditativum; tale est nomen *animal*, quod est commune homini, & leoni. *Univocum verò univocatum* pertinet ad naturas, & sunt illæ pluresres, habentes idem nomen, & eandem rationem, seu conceptum quidditativum; v. g. homo, & leo. *Secundò* dividitur Univocum in Univoca transcendentalia, & prædicamentalia. *Univoca transcendentalia* sunt, quæ habent idem nomen, & eandem rationem nomini accomodatam transcendentalem; id est in nullo Prædicamento inclusam; talia sunt *substantia*, & *accidens* in quantum considerantur secundùm rationem entis, ut observat Scotus. *Prædicamentalia* sunt, quæ habent idem nomen, & eandem rationem in aliquo genere determinato; talia sunt *homo*, *bos* &c. quatenus considerantur secundùm rationem substantiæ prædicamentalis. *Tertiò* Univoca prædicamentalia sequestrantur in Univoca logica, physica, & metaphysica. *Logica* sunt illa, quæ habent communem conceptum alicujus realitatis conceptæ sub secunda intentione; tale est conceptus animalis, quatenus consideratur, ut quoddam genus. *Physica* sunt illa, quæ sub uno nomine participant eandem naturam specificam physicam; talia sunt *Plato*, & *Plautus*, qui univocantur physicè in natura humana. *Univoca metaphysica* sunt illa, quæ sub eodem nomine conveniunt in natura abstracta per intellectum à suis superioribus, & spoliata Differentijs individualibus; etsi à parte rei sit contracta, vel contrahibilis per illas. *Quartò* rursus Univoca alia sunt *completa*, seu *perfecta*; & sunt illa, quæ habent eandem formam, & eundem modum essendi formæ; talia sunt leo, & bos respectu formæ metaphysicæ animalitatis: & alia *incompleta*, seu *imperfecta*, & sunt illa, quæ quidem in forma assimilantur; non tamen habent eundem modum essendi formæ; talia sunt *arca ad intrà*, seu *in mente* efformata, & *arca ad extrà* fabricata, quæ univocantur quidem in ratione arcæ; sed tamen arca ad extrà est realis in essendo; arca verò ad intrà est tantùm idealis, & intentionalis.

Nota tertiò: tam Univoca univocantia, quàm Univoca univocata possunt primò intentionaliter, & secundò intentionaliter sumi. *Univocum univocans primò intentionaliter sumptum* est nomen aliquod commune pluribus habentibus eandem rationem; ut ly animal, quatenus importat naturam animalis convenientem homini, bovi, & leoni: ista plura *homo*, *bos*, & *leo* dicuntur *Univoca univocata primò intentionaliter sumpta*. *Univocum univocans secundò intentionaliter sumptũ* est relatio rationis causata per opus collativũ intellectûs comparantis nomen commune v. g. *animal* cognitũ, in ordine ad *hominẽ*, *bovem*, & *leonem*, quatenus illos importat secundùm eandem vocẽ, & eandem rationem animalis. *Univoca* verò *univocata sumpta secundò intentionaliter* sunt diversæ relationes causatæ per opus collativum intellectûs comparantis v. g. *hominem*, *bovem*, & *leonem* quatenus sunt importati ab eodem nomine, & eadem ratione animalis. Ex his:

3. Quid Univocũ primò, & secundò intentionaliter sumptum.

Dico primò: bona est definitio Philosophi data pro Univocis, quòd *sint illa, quorum nomen est commune, & secundum nomen, eadem substantiæ ratio*: sed hæc solis Univocis univocatis secundò intentionaliter sumptis adaptatur. Prima pars est Doctoris *1. dist. 3. q. 2.* & communis Peripateticorum. Secunda est Scoti *quæst. 6. prædicamentali*, & sequuntur Tartar. Columb. Monturs. & cæteri Scotistæ.

4. Definitio Univocorũ à Philosopho data est bona.

Probatur prima pars: hæc definitio ritè elucidat naturam Univoci: Ergo &c. Ly *sunt illa, quorum nomen est commune*, ponitur locô generis; in quo Univoca conveniunt cum Æquivocis: reliqua ponuntur pro Differentia: per ly *substantiæ ratio* non intelligitur substantia de primo Prædicamento; sed intelligitur definitio essentialis, seu essentia, seu conceptus objectivus, & quidditativus rei.

Probatur secunda pars: sola Univoca univocata secundò intentionaliter sumpta sunt ea, quæ habent nomen commune, & eandem substantiæ rationem: Ergo his solis potest præfata Aristotelis definitio adaptari. Probat. Ant. Univoca univocantia quà talia non habent aliquod commune; sed ipsamet sunt communia: Ergo his adaptari nequit dicta definitio: Ergo solis Univocis univocatis, quæ habent nomen commune, & etiam eandem rationem per nomen significatam.

5. Convenit autẽ solis Univocatis secundò intentionaliter sumptis.

Nota

6. *Conditiones ad univocationẽ purã & incompletã concurrentes.*

Nota quartò: ad puram perfectam Univocationem aliquorum univocorum completorum seu perfectorum requiri sequentes conditiones. *Prima* est; ut unum idemque numerò nomen sit commune ipsis. *Secunda* est; ut ratio substantiæ, seu essentiæ per præfatum nomen importata sit in ipsis secundùm eundem essendi modum. *Tertia*; ut dicta ratio secundùm eundem ordinem, & perfectionis gradum in ipsa descendat; sic v.g. animal purè, & perfectè univocatur in leone, bove, & urso secundùm idem nomen animalis secundùm eundem modum essendi scilicet quidditativè in eis; & secundùm eundem ordinem ac perfectionis gradum, cùm tam leo, quàm bos, & ursus secundùm prædictas mensuras participent naturam physicam animalis. Ad imperfectam univocationem aliquorum univocorum incompletorum seu imperfectorum (quæ etiam Analoga dicuntur) sufficit, ut inter ea reperiatur similitudo formæ; quatenus secundùm eandem continetur, & contrahitur ad illa; etsi aliæ conditiones suprà recensitæ pro perfecta univocatione absint; qualiter abest v.g. in accidente physico; in quod, & substantiam ut duo univocata ratio entis non secundùm eundem perfectionis gradum, & ordinem descendit; ac proinde imperfectè univocantur.

QUÆSTIO II.

De Æquivocis.

1. *Quid sit Æquivocum æquivocans, & æquivocatum.*

NOta primò: Æquivoca ab Aristotele *cap. 1. primi tract prædicam.* definiuntur, quòd *sint illa, quorum nomen solum commune est; secundùm nomen verò substantiæ ratio diversa*: ut autem distincta notitia definitionis, & naturæ Æquivocorum habeatur, nonnullæ principales eorum divisiones quoque priùs adducendæ sunt, uti *priori quæst.* factum est cum Univocis; nam secundùm Scotum *q. 9. & 10. Elench. Æquivoca priùs sunt dividenda quàm definienda*: cùm, ut dicit idem Doctor Subt. *3. dist. 27. q. un. æquivocatio nominũ multoties decipiat.* Dividitur itaq; primò Æquivocũ in Æquivocũ æquivocans, & Æquivocum æquivocatum. *Æquivocum æquivocans* spectat ad vocem, & est nomen aliquod commune conveniens pluribus, quæ habent significationem, & rationem nomini substratam diversam; tale est ly *canis*, qui significat animal latrabile, piscem marinum, & stellam cælestem, quæ habent diversas significationes, & diversas rationes huic nomini canis substratas. Æquivoca æquivocata pertinent ad naturas, & sunt illæ plures res, illo nomini communi compellatæ, scilicet *animal latrabile, piscis, & stella.*

2. *Quid Æquivoca à casu, & à consilio.*

Secundò: Alia rursus sunt Æquivoca æquivocantia à casu, & Æquivoca æquivocantia à consilio. *Æquivoca à casu* sic dicuntur; quia nimirum absq; omni prorsus habitudine, & convenientia ad invicem sortiuntur idem nomen; merè fortuitò, & casualiter; talia sunt homo in Francia natus, & avis de nocte cantans; quæ ambo *Galli* nomine appellantur, casu, & fortuitò. *Æquivoca à consilio* sunt, quæ appellantur eodem nomine ob aliquam convenientiam, habitudinem, & respectum ad se invicem; talia sunt medicina, homo; & cibus, quæ *sani* nomen fortiuntur propter similitudinẽ, habitudinẽ, & respectũ formæ sanitatis, quæ in omnibus tribus aliquomodo reperitur.

3. *Quid primò, & secundò intentionaliter sumpta.*

Tertiò: iterũ Æquivoca æquivocata sumi possunt primò intentionaliter; & secundò intentionaliter. *Æquivoca æquivocata primò intentionaliter sumpta* sunt naturæ, seu res aliquæ communi aliquo nomine æquivocò æquivocante significatæ; v.g. *homo Gallus*, & *avis Gallus*. Æquivoca æquivocata secundò intentionaliter sumpta sunt relationes rationis causatæ ab intellectu comparante illa duo significata ad idem nomen Galli secundùm diversos conceptus. Similiter Æquivoca æquivocantia sic dupliciter sumi possunt. Si secundò intentionaliter sumantur, sunt relationes rationis, causatæ ab opere collativo intellectûs, comparantis hoc nomen *Gallus* ad illa duo significata; quatenus illa importat diversis conceptibus. Si verò primò intentionaliter accipiantur, sunt illa nomina, quæ pluribus conveniunt secundùm aliam & aliam significationem, & rationem substantiæ; ut nomina *Canis*, *Galli*, *Arietis* &c.

4. *Definitio Æquivocorum Aristotelica.*

Dico primò: Æquivoca rectè definiuntur ab Aristotele, quòd *sint illa; quorum nomen est commune; secundùm nomen verò ratio substantiæ diversa*; sed hæc definitio solis Æquivocis æquivocatis secundò intentionaliter sumptis con-

convenit. Prima pars est communis Peripateticorum: secunda est Montursij, Tartar. &c.

Probatur prima pars: hæc definitio constat Genere, & Differentiâ, cæterisque conditionibus probæ definitionis: Ergo &c. Ly *sunt illa*, *quorum nomen est commune* statuitur locô generis: reliqua verò pro Differentia, nec egent expositione.

5. Convenit solis secundò intentionaliter sumptis æquivocatis.

Probatur secunda pars: solа Æquivoca æquivocata secundò intentionaliter sumpta sunt illa, quæ habent nomen commune; Æquivoca verò æquivocantia nō habent aliquid commune; sed ipsamet sunt communia: Ergo solis Æquivocis æquivocatis secundò intentionaliter sumptis convenit præfata definitio.

Objicies contra primam partem: Philosophus *6. Top. cap. 2.* dicit, quòd Æquivoca æquivocata non possint definiri: & est ratio; quia habent plura significata per modum plutium; nullámque rationem communem sortiuntur; definitio verò importat rationem aliquam communem: Ergo &c. Respondeo Æquivoca æquivocata posse sub duplici consideratione attendi; vel ut important diversas naturas; & hôc modô non sunt definibilia, ut bene ostendit objectio: vel ut important quandam commune͂m secundam intentionē æquivocationis, per actum collativum intellectûs eis affixam; & hôc modô possunt definiri; uti docet Scotus *quæst. 5. prædicam. ad 6.* & post eum Scotistæ communiter.

QUÆSTIO III.

De Analogis.

1. Quid sit Analogum.

Nota primò: quia Analoga sunt affinia vel Univocis, vel Æquivocis; & eorum cognitio præambula quoque necessaria est ad debitam ordinationem Prædicamentorum instituendam; ideo eorum naturam in hisce Antepraedicamentis quoque placet examinare. Est ergo ly *Analogum* derivatum ab *Analogia*, vocabulo Græco, ut habet Quintilianus, & Cicero *lib. 1. de univ.* quod significat latinè proportionem juxta D. Augustinum *1. Mus.* vel convenientiam, & comparationem significatorum per nomen, ut notat P. Fuentes. Quare juxta hanc acceptionem Analoga dicentur illa, quæ habent inter se quoad rationem per idem nomen significatam vel aliquam proportionem, vel convenientiam, vel comparationem; taliter se habent *animal sanum, diæta sana, medicina sana, & cibus sanus.*

2. Definitio Analogorum.

Nota secundò: Analoga communiter definiri, quòd *sint illa, quorum nomen est commune; ratio verò per nomen significata nec omnino eadem, nec omnino diversa*: quam definitionem Arriaga, & noster P. Herman: contendunt esse ipsiusmet Philosophi *1. Elench. cap. 6. & 4. Met. cap. 2. & lib. 5. cap. 6.* sed apud eundem non extat; ut patet legenti textum: est tamen definitio bona, & ex se clara: & illa particula, nec *omnino eadem nec omnino diversa* magis constabit ex dicendis, de existentia Analogorum, & multiplici specie Analogiæ. Unde

3. Extant Analoga.

Dico primò: Dantur Analoga. Ita Scotus *q. 16. Elench. & 2. dist. 12. q. 2. & q. 8. Universal. & Quodlib. 3. §. de primo*; quem sequuntur Fuentes, Tartar. Mastr. Bellut. Columb. & alij Scotistæ; ac S. Thomas cum suis, Richard. &c.

Probatur *primò* authoritate D. Augustini; qui Analoga asserit *cap. 2. categor.* Et authoritate Philosophi eadem fatuentis *4. Met. text. 2. & 7.* *Secundò* ratione; dantur quædam naturæ, seu res, quæ habent inter se aliquam proportionem, similitudinem, seu convenientiam; sic tam homo, quàm prata dicuntur ridere; & propterea analogari, item dantur alia, quæ habent inter se attributionem, quâ ratio communis attribuitur essentialiter suis inferioribus; uni tamen dependenter ab alio; sic ens dicitur analogicè de substantia, & accidente; de accidente tamen dependenter à substantia, cui accidens inhæret: item in sanitate sunt analogata tam animal, quod eam intrinsecè habet; quàm urina, medicina, & cibus: Ergo dantur Analoga.

4. Analoga analogantia, & analogata.

Nota autem tertiò: Analoga alia sunt Analoga analogantia, & alia Analoga analogata. *Prima* sunt voces, seu nomina exprimentia plures res analogas: ut hæc vox *sanum, risus* &c. *Secunda* sunt ipsæmet res, seu naturæ terminis analogis signi-

significatæ; ut *animal, medicina, urina, & cibus* significata nomine *sani*.

5. Quid sit analogia proportionis.

Nota quartò: tres potissimùm à DD. assignari Species Analogiæ; à quibus triplicis ordinis Analoga nascuntur; proportionis scilicet, attributionis, & inæqualitatis. De *Analogia proportionis* fecit mentionem Philosophus *1. Ethic. cap. 6.* & reperitur inter illas naturas, quæ habent rationes substantiæ omnino diversas; quia tamen similes sunt proportionaliter, ideo participant commune nomen; hujus Analogiæ exemplum profert Philosophus *2. Post. 87. de osse*, quod tam de substantia ossea hominis, quàm de spina piscis potest analogicè dici, ob proportionem utriusque; & *1. Ethic. cap. 6. de visu*, qui tam de oculo corporeo, quàm de intellectuali analogicè asseritur: & de risu, in quo tam homo, quàm pratum analogantur.

6. Quid analogia attributionis.

Analogia attributionis habetur, quando vel ratio aliqua communis, seu superioris competit quidem essentialiter omnibus, ut analogatis; uni tamen dependenter ab alio, vel quando ratio aliqua communis est quidem eadem in omnibus analogatis; sed secundùm diversas habitudines: de hac mentionem fecit Philosophus *4. Met. cap. 1.* ubi vocat eam *ab uno, & ad unum*: hujus exemplum extat in *ente*, quod tanquam quædam ratio communis seu superior extat essentialiter tam in substantia quàm in accidente; sed in accidente dependenter à substantia; cùm accidens habeat esse dependenter à substantia: item in ly *sano*, quod quidem convenit animali, medicinæ, pulsui, & cibo; sed secundùm diversas habitudines; nam animal dicitur sanum eo ex, quòd intrinsecè habeat sanitatem; medicina ex eo, quòd sit procurativa sanitatis animalis; pulsus ex eo, quòd sit significativus sanitatis animalis; cibus ex eo, quòd sit conservativus sanitatis animalis: inter hujusmodi Analoga Analogiâ attributionis analogizata semper unum est principale analogatum, ob habitudinem principalem; & de hoc extat famosum illud dictum Dialecticorum, *Analogum per se positum stat pro suo famosiori significato;* quod examinat Scotus, & exemplificat *q. 16. Elench.* & in allato exemplo Analogi *sani* ly *sanum* stat pro sanitate animalis, tanquam famosiori significato.

7. Et inæqualitatis.

Analogia inæqualitatis reperitur inter ea, quæ sortiuntur idem nomen; eandemque rationem communem; sed inæqualiter participatam; de hac injecit quoque mentionem Philosophus *7. Physic. cap. 4.* & convenit speciebus eandem naturam genericam participantibus; sed cum inæquali perfectione; talis est inter hominem, & brutum, quatenus participant naturam genericam *animalis*, quam homo contrahit perfectiùs; quia per rationalitatem tanquam perfectiorem Differentiam, quàm sit irrationalitas contractiva ejusdem animalis ad brutum.

8. Quid Analogia intrinseca, & extrinseca.

Nota quintò: Ex Analogis quædam dicuntur Analoga per Analogiam intrinsecam seu propriam; alia per Analogiam extrinsecam seu impropriam. *Illa dicuntur Analoga Analogiâ intrinsecâ*, quorum quodlibet participat intrinsecè, & formaliter rationem communem per nomen significatam; taliter se habent substantia, & accidens, quatenus analogantur in ente. *Illa verò dicuntur Analoga Analogiâ extrinsecâ*, quæ rationem communem per nomen significatam non participant intrinsecè, & formaliter; sic quia solus homo intrinsecè risum participat; & pratum tantùm extrinsecè, ac per metaphoram; ideo homo ridens est Analogum Analogiâ intrinsecâ & propriâ; pratum verò ridens Analogum Analogiâ extrinsecâ, & impropria.

9. Primus gradus univocationis.

Nota sextò: ut ritè colligi possit, quâ ratione Analoga non medient ut quædam realiter distincta, inter Univoca, & Æquivoca, sed ad ea reducantur, annotare oportet ex Scoto 1. *Prol. sent. q. 4. later. Et 1. dist. 3. q. 3* Univocationis metaphysicæ esse quatuor gradus. *Primus* est; quando aliquid est commune pluribus inferioribus secundùm idem nomen, & eandem rationem, & secundùm eundem essendi modum, scilicet finitum, vel infinitum, & secundùm eundem ordinem essentialem, ita ut non sit priùs in uno, & posteriùs in altero; & tandem secundùm eundem perfectionis gradum; ita ut non sit perfectius in uno, quàm in altero. In hoc gradu (qui est gradus perfectissimus univocationis) sola species specialissima est univoca, v. g. homo, qui habet idem nomen hominis, eandem rationem seu conceptum quidditativum communem omnibus hominibus convenient-

nientem, modò finitò, non priùs uni, quàm alteri, nec perfectius uni, quàm alteri competentem.

10. *Secundus gradus univocationis.*

Secundus gradus univocationis est; quando aliquid est commune pluribus inferioribus secundùm idem nomen, eandem rationem, eundem essendi modum, & eundem ordinem essentialem; non tamen secundùm eundem perfectionis gradum. In hoc gradu omne genus est univocum ad suas species, v. g. *animal* ad hominem, leonem, & bovem &c. quia tam nomen, quàm ratio reperitur in omnibus speciebus animalis secundùm essendi modum, & ordinem essentialem; perfectiùs tamen in homine ob rationalitatem contrahentem animal: & ob hanc inaequalitatem perfectionis hominis, & bruti dixit Philosophus 7. *Phyf. in genere latere aequivocationes.*

11. *Tertius.*

Tertius gradus est; quando aliquid est commune pluribus inferioribus secundùm idem nomen, & eandem rationem; secundùm eundem essendi modum; non tamen secundùm eundem ordinem essentialem, neque secundùm eundem gradum perfectionis; ut si illud commune priùs descendat in unum, quàm aliud; & sit perfectius in uno, quàm in alio. In hoc gradu (qui adhuc magis est imperfectus, quàm prior) numerus est univocus suis speciebus; quia convenit priùs binario, quàm ternario quaternario &c. & in ternario est perfectior ratione tertiae entitatis adjunctae, quàm in binario: unde dixit Philosophus 8. *Met.* quòd *species rerum sint sicuti numeri;* quia scilicet una est perfectior alterâ.

12. *Quartus gradus.*

Quartus gradus est, quando aliquid est commune pluribus secundùm idem nomen, & eandem rationem; non tamen secundùm eundem modum essendi; nec secundùm eundem ordinem essentialem; nec secundùm eundem perfectionis gradum: In hoc gradu (qui constituit minimam univocationem) Ens ut sic est Univocum DEO, & creaturae; item substantiae & accidenti; quia quamvis importet eundem conceptum, communem illis ut inferioribus; non tamen est in eis secundùm eundem modum essendi; cùm in DEO sit modò infinitò; in creaturis verò modò finitò, & dependenter à DEO; & in substantia est ens per se; in accidente verò ens per accidens. Similiter ratio entis est priùs, & perfectiori modo in DEO, quàm Creaturis, ratione infinitatis.

13. *Analogia immiscetur plurimis in univocatione.*

Ex his infertur: in omni univocatione secundùm gradus praefatos quartū, tertiū & secundū admiscceri aliquā Analogiam; & consequenter univoca per hos gradus univocata non esse pura, & perfecta univoca (sicuti sunt univocata in solo primò gradu) sed dici Analogata seu univoca habentia admixtam aliquam Analogiam majorem, vel minorem, juxta quod univocantur plus, minusque in praefatis tribus gradibus.

14. *Nō dantur Analoga pura materialiter accepta, quae essent media.*

Dico secundò: non dantur Analoga pura, tanquam aliqua membra realiter distincta ab Univocis, & Aequivocis, quaeque essent media inter ipsa, sive materialiter, sive formaliter considerentur. Ita Scotus 1. *dist. 3. q. 3. & dist. 8. q. 3. & q. 7. Universal. & q. 8. Elench.* & sequuntur Ant. Andreas, Montursf. Trombet. Columb. Orbel, Sarn. Maurit. & caeteri Scotistae; contra Thomistas, & Suar. Ruvi. & ex nostris contra Fabr. Mastr. & Bellut. quoad secundam partem.

Probatur prima pars. Tum quia Philosophus tradens *cap. 1. de praedic.* doctrinam de Univocis, & Aequivocis, non meminit Analogorum materialiter sumptorum tanquam mediantium inter praedicta: Ergo indicium est, inquit Scotus *q. 11. Elench.* ipsa non differre ab Univocis, & Aequivocis; neque consequenter inter ea mediare. Consequentia tenet; quia aliàs Philosophus fuisset mancus, & diminutus in tradendis documentis necessarijs Antepraedicamentalibus. Tum quia inter contradictoriè opposita non datur aliquid medians, ut habet Philosophus *in Elenchis cap. de falla. syllogis. Elenchi. Et 4. Met. cap. 4.* sed Univoca, & Aequivoca materialiter sumpta, id est pro ipsis praedicatis, quae univoca & aequivoca dicuntur, sunt contradictoria: Ergo inter ea non mediant aliqua Analoga pura, tanquam realiter distincta ab eis membra. Probat. Min. Univoca habent eandem rationem communem; Aequivoca non habent eandem rationem, sed diversam: item univocatio dicit unitatem, & identitatem conceptûs quidditativi; aequivocatio verò non; sed importat multiplicitatem conceptûs quidditativi: Ergo sunt contradictoria. Tum quia omnia entia vel habent eandem rationem; vel diversam rationem substantiae; quia essentiae rerum

rerum conſiſtunt in indiviſibili: Ergo omnia vel ſunt Univoca, vel Æquivoca; & conſequenter nulla dantur Analoga, quæ haberent rationem partim eandem, & partim diverſam.

16. *Analoga inæqualitatis reducuntur ad univoca in ſecundo gradu.*

Nota itaque ſeptimò: quòd omnia Analoga reducantur aut ad claſſem Univocorum, aut ad claſſem Æqoivocorum. Sic Analoga omnia, quæ Analogiâ inæqualitatis analogantur, reducuntur ad Univoca in ſecundo gradu, ſuprà *notab. 6.* explicato; ut habet Scotus *1. diſt. 3. q. 3.* Ratio eſt; quia in talibus Analogis eſt ſola variatio gradûs perfectionis; quæ pariter eſt in Univocis univocatis in ſecundo gradu; ut patuit ſuprà *notab. 6.*

17. *Analoga attributionis reducuntur ad univoca in quarto gradu, aut ad æquivoca.*

Analoga Analogiâ attributionis affecta aliquando cum Univocis in quarto gradu; aliquando cum Æquivocis à conſilio, ex impoſitione vocis cohærere poſſunt; ut habet Scotus *1. diſt. 8. q. 3.* Ratio primi eſt; quia ad Univoca in quarto gradu ſufficit unitas conceptûs quidditativi, ſeu rationis in inferioribus; licèt varietur modus eſſendi, ordo eſſentialis, & gradus perfectionis; ut ſuprà *notab. 6.* dictum eſt: ſed talia requiruntur etiam ad Analoga Analogiâ attributionis affecta: Ergo &c. Ratio ſecundi; quia Æquivoca à conſilio ſunt illa, quæ appellantur eodem nomine, ob aliquam convenientiam, habitudinem, & reſpectum ad ſe invicem; ut ſuprà *q. 2. not. 1. diviſ. 2.* dixi; ſed Analoga quædam attributionis ſunt hujuſmodi, v. g. *animal*, *medicina*, *cibus*, *pulſus* &c. quæ habent aliquam convenientiam habitudinem, & reſpectum ad ſe invicem in forma, ſeu ratione *ſani*: Ergo &c.

19. *Similiter Analoga proportionis ad æquivoca à conſilio.*

Sic etiam Analoga, quæ analogantur per analogiam proportionis, reducuntur ad Æquivoca à conſilio; ut habet Philoſophus *1. Elench. cap. 2.* Et Scotus *q. 15. in Elench. libros.* Ratio eſt; quia æquivocatio à conſilio fundatur in ſimilitudine aliqua, & convenientia, quæ reperitur in rationibus æquivocatorum; ut patet in mox allato exemplo *animalis*, *medicinæ*, *cibi*, *pulsûs* &c. quæ æquivocantur in ly *ſano* ob ſimilitudinem, convenientiam, & habitudinem, quam ad ſe dicunt in forma ſeu ratione *ſani*: ſed Analogia proportionis conſiſtit in eadem ſimilitudine: Ergo &c.

Probatur ſecunda pars concluſionis *de Analogis formaliter acceptis*, id eſt ſecundùm rationem Analogiæ, quæ eſt ratio denominans: nulla datur definitio Analogorum formaliter acceptorum diſtincta à naturis eorum; quia naturæ eorum aut definiuntur definitione Univocorum, quando ſunt ejuſdem rationis; aut definitione Æquivocorum; quando ſunt diverſæ rationis: Ergo nulla dantur Analoga formaliter accepta. Deinde ratio formalis denominans Analoga materialiter ſumpta, ſeu Analogia formalis debet proportionari Analogis materialiter conſideratis: quare cùm hæc diſtincta non ſint ab Univocis, & Æquivocis; nec media inter ipſa; conſequenter Analogia formalis non invehet aliquam diſtinctionem, & mediationem Analogorum formaliter ſumptorum inter illa.

18. *Analoga formaliter accepta non mediant.*

19. *Objectiones afferuntur.*

Objiciunt RR. contra primam partem *primò*; Philoſophus docet Analoga media *4. Met. cap. 2.* ubi adſtruit Analogiam in ente: & *1. Ethic. cap. 6.* in titulo: Ergo &c. *Secundò*: in Analogis natura & eſſentia eſt diſtincta ab eſſentia, & natura Univocorum, ac Æquivocorum: nam Univoca habent rationem ſubſtantiæ eandem, Æquivoca diverſam; Analoga verò partim eandem, partim diverſam: Ergo hæc ut diſtincta mediant.

20. *Et reſolvuntur.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad authoritates Philoſophi dico, in eis ſolùm aſſeri, quod detur quædam Analogia in ente reſpectu DEI, & creaturæ; ſimiliter in oculo reſpectu oculi corporei, & ſpiritualis; quod non negatur: non autem prætendunt per præfatam Analogiam efficere Analoga aliqua, quæ reverà eſſent diſtincta ab Univocis, & Æquivocis, & media inter ea; ſed quæ ad eadem reducantur. *Ad ſecundum* Neg. Ant. nam tota diſtinctio, quæ reperitur in natura, & eſſentia Analogorum eſt accidentalis, & oritur vel ex diverſo modo contrahendi eandem rationem communem; vel ex ordine diverſo, vel ex gradu diverſo perfectiori, quò illam rationem participant; quæ tamen Analoga relinquunt intra ſpeciem, & lineam univocorum: vel tandem oritur ex diverſitate, quam habent rationes diverſæ Analogorum inter ſe, cum quadam tamen ſimilitudine: & hæc relinquit Analoga in linea, & ſpecie Æquivocorum à conſilio; ut ſuprà viſum eſt: quare ly *partim eadem, partim diverſa ratio* aſſerta in Analogis non variat eſſentialiter eſſentiam, & naturam eorum

eorum; sed tantùm exprimit diversitatem quandam accidentalem ipsorum.

21. Scotistis adversantibus satisfit.

Objiciunt Scotistæ oppositi: Scotus 1. *dist.* 8. *q.* 3. dicit unitatem attributionis esse minorem unitate univocationis, eamque ab ista formaliter distingui: Ergo Analoga formaliter considerata distinguuntur ab Univocis; & consequenter mediant inter ea, & Æquivoca. Respondeo Neg. Conseq. nam *loc. cit.* Scotus vult unitatem attributionis, quæ dicitur unitas Analogiæ, stare cum unitate univocationis, quia scilicet major unitas includit minorem; sicunitas specifica includit unitatem generis: quod autem stat cum alio, non est ejus medium; quia medium recedit ab extremis, quorum est medium. Rursus inclusum non est medium includentis; sic ratio animalis, quæ includitur in homine, non est medium ejus: Ergo cùm Scotus *loc. cit.* dicat, unitatem Analogiæ includi in unitate univocationis, tenet eam non esse mediam.

QUÆSTIO IV.

De Denominativis.

1. Definitio Denominativorũ.

Dico primò: bene definiuntur Denominativa, *sunt illa, quæ ab alio suam desumunt appellationem, à quo solo casu, & terminatione differunt.* Hæc est conformis illi, quam habet Aristoteles *cap. 1. de prædicamentis*, ubi ait, *Denominativa dicuntur quæcunque ab alio solo casu differunt, & secundùm nomen habent appellationem; ut Grammaticus à Grammatica, fortis à fortitudine.*

Probatur: hæc definitio ritè elucidat naturam Denominativorum: Ergo &c. Explicantur autem omnes particulæ; ly *ab alio* vult dicere à nomine abstracto, ut *à Justitia justus*: ly *suam desumunt appellationem*, id est derivationem: ly *à quo solo casu, & terminatione differunt*, designat desinentiam finalem. Ut autem meliùs intelligatur hæc definitio, observandum est; quòd in Denominativis sint tria scilicet forma, à qua provenit appellatio; res denominata; & ipsum Denominativum. *Forma denominans* est illa ratio, quæ denominat subjectum in quo est, ut albedo inhærens parieti denominat ipsum album. *Res denominata* est illa, quæ habet in se formam denominantem, seu appellantem activè, ut paries albus habens albedinem denominatur, & appellatur albus; *Denominativum* est ipsum album, quod cum albedine habet convenientiam in principio vocis; & differt ab albedine solo casu, id est cadentiâ seu terminatione finali.

2. Cõditiones pro Denominativ. propriè.

Nota primò: ex dictis sequitur quatuor requiri conditiones ad hoc, ut dicatur Denominativa propriè. *Prima* est, ut habeant appellationẽ secundùm nomen ab aliquo id est ob aliqua forma denominante v. g. *Grammaticus à Grammatica*. *Secunda* ut differant casu sive terminatione in fine vocis à forma denominante; hôc pactô *justus* in syllaba finali differt *à justitia*. *Tertia* ut in principio vocis conveniant, seu incipiant per easdem syllabas, ut *fortis, & fortitudo*. *Quarta* est, ut conveniant in formali significatione, tantumque differant in modo significandi, scilicet sub modo concreti, & abstracti; ut *mansuetus & mansuetudo; fortis & fortitudo, sapiens & sapientia.*

3. Quid Denominativa substantialia, & accidentalia.

Nota secundò: Potest *primò* Denominativum dividi in substantiale, & accidentale; ut colligitur ex Scoto *q. 15. prædic. §. per idem ad secundum. Substantiale* est, quod denominatur à forma substantiali ut homo ab humanitate, accidentale est quod denominatur à forma accidentali, ut album ab albedine. Sed quoniam denominativum designat formam per modum alteri adjacentis; quod proprium est accidentalium formarum; idcirco communis Scotistarum non acceptat hanc divisionem; sed excludit Denominativa substantialia à definitione Denominativorum suprà allata; & consentit ipsemet Doctor *q. 16. prædicam. cit.* cùm non solo casu differant; etsi in ampliori sensu Denominativa substantialia admitti possint, ut notat P. Mayronius *Pas. 3. in Prædicam.* quatenus sunt concreta quædam ad suppositum; quorum omnium forma in supposito, non autem in subjecto dicitur esse; quo sensu locutus est Scotus *loc. cit. q. 15. prædicam.*

4. Quid Denominativa secundùm rem, significationi, &c.

Nota tertiò: solent præterea vulgò distingui triplicia Denominativa; & eorum meminit Aristoteles *cit. cap. 1.* scilicet Denominativa secundùm nomen tantùm; Denominativa secundũ rẽ seu significationẽ tantùm; & Denominativa secundùm nomen, & rem simul. *Denominativa se-*

secundū nomen tantùm, sunt illa, quæ conveniunt in principio nominis, seu vocis, & differunt in fine; diversa tamen significant; talia sunt *Studiosus*, & *studium*, ut notat Scotus *cit. q. prædic.* quandoquidem ly *studiosus* significat hominem litteris deditum; ly *studium* verò significat exercitium, & laborem in studendo. *Denominativa secundùm rem, seu significationem tantùm* sunt illa, quæ conveniunt in principali significato cum suis formis denominantibus; non tamen in nomine, seu voce; talia sunt *studiosus*, & *virtus*; ly *studiosus* enim importat eandem formam, quam virtus; ille tamen cum inhærentia ad subjectum; hæc verò abstrahendo. *Denominativa secundùm rem, & nomen simul* sunt illa, quæ conveniunt in principio vocis, & significato principali; & differunt in fine vocis, ac in modo significandi; ut *album* & *albedo*; item *Grammaticus & Grammatica*. Et hæc sola definiuntur definitione suprà datâ *Concl. 1.* & Aristotelicâ ibidem adjunctâ: & coincidunt cum concretis, & abstractis accidentalibus.

Quæres primò: Utrum Denominativa sint medium quid inter Univoca, & Æquivoca? affirmat Ruvius, & ex schola Scoti Joan. de Magistris, Mastrius, & Bellutus. Antequam ego respondeam quæsito.

7. *Quid sit prædicari univocè, & prædicatū univocum.*

Nota quartò: esse latum discrimen inter prædicari univocè, & prædicatum Univocum; ut habet Scotus *3. dist. 7. q. 1.* *Prædicari univocè* est, cum prædicatum est de essentia subjecti; sic prædicatur animal univocè de homine, & bruto. *Prædicatum univocum* est unus idemque conceptus communis multis; qui tamen non ingreditur eorum essentiam; tale est album, quod prædicatur de nive, & lacte; & talia sunt omnia Denominativa in rigore, & propriè dicta.

8. *Denominativa nō mediāt inter univoca, & æquivoca.*

Dico secundò: in rigore denominativa non mediant inter Univoca, & Æquivoca; sed ad Univoca reducuntur. Ita Scotus *1. dist. 8. q. 3. §. ad argumenta opinionis oppositæ.* Et sequuntur Fuente, Colomb. &c. contra cit. Scotistas, & Ruvi.

Probatur primò authoritate Scoti; qui *loc. cit.* asserit, quod *Univocum, & Æquivocum sunt immediata apud logicum*; & denominativa comprehendantur sub definitione Univocorum: Ergo censet Denominativa non mediare propriè inter Univoca & Æquivoca.

Probat. secundò ratione: Denominativa secundùm idem nomen, & eandem rationem prædicantur de suis subjectis; tali modo *album* prædicatur de *nive*, & *lacte*, quibus inest albedo, dicendo; nix est alba, lac est album: sed Univoca sic pariter prædicantur de suis inferioribus; ut patet de *animali*, quod secundùm idem nomen, & eandem rationem prædicatur, de *homine*, & *bruto* dicendo; homo est animal; & brutum est animal: Ergo Denominativa sunt Univoca; & consequenter non mediant inter Univoca, & Æquivoca. Confirmatur: inter habere eandem communem rationem, quod convenit Univocis; & habere diversam rationem, quod convenit Æquivocis, nullum extat medium: Ergo Denominativa inter Univoca, & Æquivoca non sunt medium quid.

9. *Scotistarū oppositorum ratione.*

Objiciunt oppositi Scotistæ *primò*: Denominativa habent diversum modū prædicandi à modo prædicandi Univocorum, & Æquivocorum: Ergo Denominativa mediant inter ipsa. Probat. Ant. modus prædicandi Æquivocorum habetur, quando ratio Æquivocatorum enunciatur diversa: & modus prædicandi Univocorum habetur, quando ratio communis & eadem enunciatur de univocatis, & est ipsis quidditativa essentialis, & intrinseca: modus verò prædicandi Denominativorum habetur, quando ratio communis enunciatur de subjectis denominatis, & est ipsis accidentalis, vel extrinseca: Ergo Denominativa habent diversum modum prædicandi à modo prædicandi Univocorum, & Æquivocorum. *Secundò* Scotus *q. 6. prædicam.* excludit à syllabo Univocorum Denominativa; & ad hoc probandum adducit Philosophum, qui assignans *cap. 1. lib. prædic.* definitionem Univocorum, dicit, *Univoca sunt, quorum ratio substantiæ univocatis est eadem*: sed ratio albi, aut cujusvis alterius Denominativi non est ratio substantiæ; cùm albedo sit accidens, & extra subjecti substantiam, seu essentiam: Ergo Denominativis non convenit definitio Univocorum, & consequenter rectè excluduntur à syllabo Univocorum. *Tertiò*: Philosophus dicit *cap. de substantia*, quòd Denominativa secundùm nomen, & rationem non prædicentur de subjectis: Ergo non sunt Univoca.

Respon-

8. *Enervantur.*

Respondeo *ad Primum* Neg. Conseq. nam ille diversus modus praedicandi Denominativorum non extrahit illa ex specie, & classe Univocorum; ut patet ex Scoto *1. dist. 8. q. 3.* ubi *§. ad argumentum opinionis oppositæ* in principio articuli dicit, *duplex est prædicatum Univocum; alterum quod essentialiter, & in quid de subjecto enunciatur; ut animal de homine*: & hoc est praedicatum Univocum perfectum: *Alterum verò, quod effertur penes idem nomen, & eandem rationem; non tamen essentialiter, & quidditativè; ut album prædicatur de lacte, & nive*: Et hoc est praedicatum Univocum imperfectum, seu Denominativum; ut patet ex exemplo allato Scoti, *albi*: ecce quomodo Scotus Denominativa non extrahit ex classe Univocorum; etsi habeant modum praedicandi diversum à perfectis Univocis, ex eo, quòd ratio communis enuncietur de denominatis non ut essentiale quid; sed ut quoddam accidentale, vel extrinsecum. Itaque modus diversus praedicandi Denominativorum solùm invehit in illa Univoca, quae Denominativa vocitantur, quandam analogiam, seu imperfectionem Univocationis secundùm modum accidentalem, quò ratio univocans, seu forma denominans convenit rebus univocatis, seu denominatis; puta *albedo*, quae secundùm modum accidentalem convenit nivi, & lacti. *Ad secundum* dico primò; Scotum solùm velle, quòd denominativa non sint in rigore Univoca perfecta; quia non praedicantur univocè de subjectis, id est essentialiter. Dico secundò; Scotum *cit. q. 6.* loqui duntaxat in sententia probabili aliorum; uti patet ex illo termino ibidem reperto *potest dici*; unde postea in Opere Theologico *cit. 1. sentent.* suam mentem resolutivam aperuit; quam proinde affert praemissa conclusio. Explico autem Authoritatem Philosophi à Scoto inductam & dico, Aristotelem sub nomine *substantiæ* non intelligere tantùm substantiam, quae est primum Praedicamentum; sed omnem quidditatem, cujusvis praedicamenti; & consequenter etiam quidditatem seu rationem quidditativam Denominativorum, quatenus Univoca quaedam sunt. *Ad tertium* glosso Philosophum; & dico eum solùm velle, quod Denominativa secundùm nomen, & rationem praedicentur essentialiter de subjectis: cum quo stat, quòd accidentaliter praedicentur tanquam Univoca imperfecta.

QUÆSTIO V.

De Principali significato Denominativorum, seu Concretorum accidentalium; deque radice unitatis, & pluralitatis eorum, ac substantialium.

Nota primò: Denominativa in rigore sumpta esse quaedam concreta accidentalia; omne autem concretum duo importat, & significat formam scilicet denominantem accidentalem, & subjectum, cui illa forma inhaeret; v. g. concretum *album* importat albedinem, ut formam; lac verò, parietem, vel illud aliud, cui inhaeret, ut subjectum: ut habet communis DD doctrina, & tenet Scotus *q. 16. Univers. §. dicendum ad quæst.* Denominativum accidentale, seu concretum accidentale significare tam formam, quàm subjectum ejus: Tum quia ita docet Philosophus *7. Met. tex. 34.* Tum quia in hoc differentiatur omne concretum à suo abstracto, quod abstractum dicat, & significet solam formam, ut avulsam à subjecto; concretum verò formam & subjectum, seu formam cum subjecto conjunctam. Sed quaeritur, num utrumque aequè principaliter significet?

1. *Concretum dicit primariò formam.*

Dico primò: Denominativa accidentalia, seu concreta accidentalia principaliùs, & primariò significant formam; minùs verò principaliter, & connotativè subjectum. Ita Scotus *4. dist. 12. q. 1.* Et *1. dist. 4. q. 1.* Et *q. 8. prædicam.* Et sequuntur Lychet. Tartar. Columb. Joan. de Magist. Mastrius; & ex alienis S. Thomas, Averro: Sanch. &c. contra Averr. & Fonsecam docentes, concreta accidentalia aequè primò, & directè significare subjectum, ac formam: & contra Avicen. & quosdam RR. autumantes, concretis accidentalibus significari formaliter subjectum; materialiter verò formam.

Probatur prima pars primò authoritate Philosophi; qui *cap. 1. libri prædicam.* docet, Denominativa accidentalia, seu

ſeu concreta accidentalia differre ab abſtractis *ſolo caſu*: Ergo non differunt ab eis in ſignificatô principali: & conſequenter ſicut abſtracta pro principaliori ſignificato habent formam; ita & denominativa, ſeu concreta accidentalia.

Probatur ſecundò ratione: ſi Denominativa accidentalia, ſeu concreta accidentalia principaliùs, aut æquè principaliter, & formaliter ſignificarent ſubjectum, cùm unum ſit commune omnium accidentium ſubjectum, unum foret eorum prædicamentum, in quo omnia accidentia collocarentur, aut ſaltèm ad illud reducerentur: ſed hoc adverſatur doctrinæ Philoſophi, qui *5. Met. tex. 14.* diſtribuit ens finitum in decem claſſes, ſeu Prædicamenta, ex quibus novem ſtatuit pro Categorijs accidentium: Ergo &c. Præterea ſignificare eſt intellectum conſtituere in dicente, & audiente; ut habetur *1. Periher. cap. 3.* Ergo id principaliùs ſignificatur, quod principaliùs objicitur intellectui audientis. Subſumo, ſed denominativa accidentalia, ſeu concreta accidentalia principaliùs objiciunt intellectui formam; cùm illam explicitè dicant, & in propria ſpecie; nam nō differunt à forma, niſi caſu, & terminatione finali: Ergo &c.

2. *Et connotat ſubjectum.*

Probat. ſecunda pars: Tum quia ſi concreta accidentalia non ſignificent principaliùs ſubjectum; ſaltèm illud connotare debent. Tum quia in definitione concreti accidentalis ponitur ſubjectum tanquam additum *7. Met: text. 14.* & ejuſmodi definitio dicitur *definitio per additum*, eò quòd eam, præter eſſentialia, etiam ingrediatur additamentum, ſeu additum aliquod, ſcilicet ſubjectum: Ergo ſubjectum connotatur à concretis accidentalibus.

3. *Objectiones proponuntur.*

Objicies *primò*: Denominativa accidentalia, ſeu concreta accidentalia important tam formam, quàm ſubjectum: Ergo cùm ſubjectū ſit principaliùs formâ, proinde etiā principaliùs debet ſignificari. *Secundò:* terminus idem ſupponit quod ſignificat, ſed concretum accidentale ſupponit ſubjectum: Ergo illud ſignificat. *Tertiò*: illud ſignificatur principaliter, quod dicitur in recto, cùm explicatur, ac definitur: ſed concretum accidentale explicatur, & definitur per ſubjectum in recto, per formam verò in obliquo v. g. ſic, *album eſt habens albedinem*; id eſt album eſt ſubjectum habens albedinem: Ergo &c.

4. *Eadem refelluntur.*

Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. quia principalitas ſignificati non attenditur ex primitate ſecundùm rem; ſed ſecundùm impoſitionem; ſicut enim ſignificatum nominis non pendet ex natura rei; ſed ex imponentis intentione; ita & principale ſignificatum, pendet ex eâdem intentione: quale in propoſito eſt forma; non verò ſubjectum. *Ad ſecundum* cum Doct. Sub. *q. 5. prædicam.* Nego ſuppoſitum, quòd ſcilicet idem ſit ſupponere, ac ſignificare; licèt enim terminus ſupponat id, quod ſignificat; attamen non ſemper ſupponit pro eo, quod ſignificat; ſed interdum pro eo quod connotat; ſic in ſuppoſitione perſonali terminus communis ſupponit quidem pro ſuppoſito; & tamen non ſignificat ſuppoſitum. Quare etſi concretū accidentale ſupponat pro ſubjecto; non tamen ſignificat ſubjectum; ſed illud tantùm connotat. *Ad Tertium* Neg. Maj. nam iſta non eſt regula bona cognoſcendi principale ſignificatum in concretis accidentalibus, & connotativis; ut bene obſervat hic P. Maſtrius; quia univerſaliter concreta omnia, etiam quando expreſsè ſtant pro forma, petunt ex naturali conſtitutione explicari, & definiri per ſubjectum in recto. Quare vera regula colligendi ſignificatum principale erit, attendere quid concretum repræſentet ex impoſitione nominis. Circa alterum articulum quæſt.

5. *Unitas & pluralitas concretorū accidental. deſumitur ab unitate & plural. ſubjectorum.*

Dico ſecundò: unitas, & pluralitas Denominativorum accidentalium, ſeu concretorum accidentalium deſumitur ex unitate, & pluralitate ſubjectorum tanquam radice; unde ad multiplicationem talium concretorum non ſufficit multiplicatio ſolius formæ. Ita Scotus *1. diſt. 12. q. 1. & Quodl. 11. & 3. diſt. 6. q. 1.* & ſequitur communis Scotiſtarum.

Probatur ratione: Omne accidens quale eſt concretum accidentale albi v. g. dicit formam per modum adjacentis ſubjecto, & dependentis ab illo: Ergo determinatur, & multiplicatur per tale ſubjectum; & conſequenter ſubjectum eſt radix unitatis, & pluralitatis talis accidentis, ac concreti. Deinde ut arguit Scotus *1. diſt. 12. q. 1.* adjectivum afficit primò ſubſtantivum, cui adjacet, & à ſubſtantivo terminatur: ſed terminus numeralis *unum, duo, tria, plura &c.* eſt adjectivum quoddam numerale: Ergo afficit ſubſtantivum, quod in concretis accidentalibus eſt ſolum ſubjectum; & ſic

ipſi

ipsi soli tribuit effectum formalem numerationis; & cùm ab ipso terminetur (solum enim substantivum, tanquam aliquid per se subsistens est natum terminare dependentiam adjectivi) ideo numerabitur quoque ad ejus unitatem, vel pluralitatem.

Ex his infertur *primò*: si unum numerô accidens v. g. albedo à DEO replicaretur ad *6.* parietes, deberent adstrui *6.* concreta accidentalia albi; ob pluralitatem subjectorum, id est parietum. *Secundò* è contra, si sex albedines ponentur simul in eodem pariete; unicum duntaxat concretum accidentale albi aestimari deberet, ob unitatem videlicet subjecti, puta parietis: item si in eodem intellectu resideant plures artes, vel scientiae v. g. Geometriae, Logicae, Physicae &c. ob eandem rationem unicus tantùm artifex, & unicus scientificus dici debet.

6. *Oppositiones afferuntur.*

Objicies *primò*: ex hac doctrina sequeretur, quòd in Divinis darentur tres aeterni, tres increati, tres immensi, tres omnipotens; quia ibi sunt tria supposita, quasi subjecta, à quibus radix pluralitatis desumitur: sed sequela videtur falsa, & contra S. Athanasium in symbolo, ubi dicit, *non tres aeterni; sed unus aeternus, nec tres increati, nec tres immensi; sed unus increatus, & unus immensus*: Ergo &c. *Secundò*: sequeretur ex eadem doctrina, quòd omnia accidentia v. g. albedo, dulcedo, frigus subjecta in uno subjecto lactis, haberent eandem unitatem, & facerent idem concretum, ob unitatem subjecti: sed & hoc videtur falsum: Ergo &c.

7. *Et eluduntur.*

Respondeo *ad Primum* Conc. sequelam Maj. in rigore sermonis; & ad D. Athanasium dico, ideo ab ipso negari hunc loquendi modum de tribus aeternis, tribus increatis &c. quia cùm careamus proprijs concretis substantivis (qualia forent aeternior, increatior, immensior, quae non sunt in usu) ideo ipsa concreta adjectiva summuntur substantivè; & quoniam una tantùm est aeternitas in tribus, & una immensitas, propterea etiam dicimus unum tantùm aeternum, immensum &c. & non tres aeternos, tes immensos &c. *Ad secundum* Concedo sequelam Maj. & Nego Min: nam etsi idem lac sit album, dulce, & frigidum; tamen non plura qualia; sed unum quale dicendum est, ob subjecti lactis unitatem. Circa concreta substantialia.

8. *Unitas concreti substantialis pendet ab unitate formae.*

Dico tertiò: unitas concretorum substantialium v. g. hominis, DEI &c. desumitur ex unitate formae, seu naturae, ut radice, etsi multa supposita eam participent. Ita communis DD.

Probatur: substantivum, quale est concretum substantiale *homo* v. g. dicit formam per modum per se stantis, estque independens, & consequenter determinans adjectivum numerale: Ergo unitas ejus rectè desumitur ab unitate formae, seu naturae ut radice. Unde unus tantùm DEUS est asserendus, etsi plura sint supposita Divina; quia unica tantùm adest DEItas, tanquam forma per se stans, seu unica natura Divina.

9. *Pluralitas verò à forma, & suppositis.*

Dico quartò: pluralitas verò concretorum substantialium petenda est tam à pluritate formarum, seu naturarum; quàm suppositorum; unde non sufficit ad multiplicationem concreti substantialis multiplicatio solius formae, seu naturae, sinè multiplicatione suppositorum. Ita colligitur ex Scoto *3. dist. 6. q. 1. ad Primum.* Et *dist. 8. q. unic.* Et *Quodlib. 11.* Et sequuntur Aretin. Franc. de Pitigainis, Faber, Mastrius, Bellut. & alij RR. Scotistae; contra Lychet. Basiol: Bargium, & alios veteres Scotistas.

Probatur primò authoritate Doct. Subtilis; qui pro regula generali statuit *cit. locis*, & albi saepe, quòd ad multiplicationem concretorum non sufficiat sola multiplicatio formarum; sed requiratur etiam multiplicatio suppositorum; unde ex hoc principio negat *1. dist. 12. q. 1. ad Tertium*, Patrem in Divinis esse plura principia; licèt habeat duo principia productiva, scilicet intellectum, & voluntatem, quae instar formarum se habent. Sic similiter *3. dist. 6. q. 2.* negat Christum esse duo neutraliter, & masculinè, ob unitatem suppositi, pro quo Christus supponit primariò. Sic pariter idem Christus ab eodem Doctore *loc. cit.* dicitur unus vivens, & una substantia, unus volens, unum ens &c. ob eandem unitatem personae, seu suppositi; licèt includat duas naturas viventes, & substantiales, duas voluntates, & duo entia, Divinum scilicet & humanum. Sic tandem etiam in casu, quô Verbum sibi hypostaticè uniret plures naturas humanas, non diceretur plu-

plures homines; sed unus homo, ob personæ seu suppositi unitatem: Ergo &c.

10. *Replica Scotistarum adversar. confutatur.*

Respondent Scotistæ oppositi ad hoc argumentum, ab authoritate Scoti petitum; Scotum statuisse allegatam regulam generalem solùm pro multiplicatione concretorum accidentalium; non verò substantialium; onde ibidem eam exemplificat in uno habente plures scientias; & in uno Patre, habente plures filios; & in uno artifice, possidente plures artes, & similibus concretis accidentalibus. *Contrà primò*. Doctor in *3. dist. 8. q. un.* allegatam regulam generalem tradit quidem de concretis accidentalibus, sed substantive sumptis; puta de Patre, filio, causa, principio, artifice &c. hæc enim concreta accidentalia, quia substantivè dicuntur, æquivalent substantialibus, & terminare possunt dependentiam cujuscunque adjectivi; & tamen Scotus dicit, quòd homo habens plures paternitates, vel filiationes, non possit dici plures Patres, & plures Filij. *Contrà secundò*; ex exemplo à Scoto in *1. dist. 12. q. 1.* adducto de uno Patre Divino, habente duo principia, scilicet intellectum & voluntatem; & ex exemplo de uno Christo habente duas substantias, quæ sunt duo concreta substantialia, colligitur Scotum allegatam regulam statuisse etiam pro concretis substantialibus.

11. *Eorundem objectiones.*

Objiciunt Scotistæ adversantes *primò*: Scotus in *1. dist. 12. q. 1.* dat regulam generalem de termino numerali v. g. *unum, duo, tria &c.* quod is appositus alicui determinabili, etiam substantivo, ponat suum significatum super illud, & tribuat illi effectum suum formalem numerationis; & propterea si verbum assumeret hypostaticè plures humanitates, deberet dici plures homines; ly enim *homines* est substantivum, ac proinde potest terminare dependentiam adjectivi numeralis, & ita secundùm illud numerari, ac dici plures homines. *Secundò*: Pluralitas concretorum accidentalium petitur ex sola subjecti pluralitate: Ergo etiam pluralitas concretorum substantialium petenda est ex sola pluralitate formarum. Consequentia tenet; quia utrobique adest substantivum, sufficienter terminans dependentiam adjectivi numeralis. *Tertiò*: ex conclusione sequeretur, in Divinis posse Patrem, & Filium absolutè dici duos Spiratores; quia habent distincta supposita, à quibus dependet concretum Patris & Filij: sed hoc est falsum: Ergo &c.

12. *Diluuntur.*

Respondeo *ad Primum* Conc: illam regulam generalem Scoti: sed hæc verificatur duntaxat in ijs determinabilibus substantivis, quæ ultimatè terminant dependentiam adjectivi numeralis; quibus si apponatur terminus adjectivus numeralis; utique tribuit ipsis effectum formalem numerationis: non autem verificatur in substantivis non ultimatè terminantibus talem dependentiam: & sic contingit in proposito casu objectionis cum isto substantivo *homines*, quod etsi terminare possit dependentiam adjectivi numeralis; quia tamen & ipsum adhuc dependet ad suppositum, quod concernit vagè, ut fatetur Scotus *3. dist. 6. q. 2.* ideo non terminat dependentiam adjectivi numeralis ultimatè; sed cum ulteriori dependentia ad suppositum; ac consequenter, cùm in casu objectionis non multiplicetur etiam suppositum, ideo ipsum concretum substantiale *homines* multiplicari nequit, & numerari ut plures. *Ad secundum* Neg. Conseq. disparitas est; quia in concretis accidentalibus solum subjectum terminat dependentiam adjectivi numeralis; quia ipsum solum est substantivum, seu per se existens, & adjectivum nullo modo sic potest terminare: at in concretis substantialibus adsunt duo, quæ terminant dependentiam adjectivi numeralis; unum non ultimatè terminans, puta forma; alterum ultimatè, puta suppositum; ac proinde ex utriusque pluralitate desumi debet pluralitas concretorum substantialium. *Ad tertium* Nego sequelam Maj. quamvis enim Pater, & Filius ex ea parte, quâ concernunt suppositum, possunt dici duo Spiratores; quia tamen ex alia parte in utroque adest tantùm unica vis activa spirandi, ut dicetur in Theologia *tract. de Trinitate*; ideo Pater & Filius dici nequeunt absolutè duo Spiratores; cùm ly *duo*, quod est adjectivum numerale, non possit tribuere effectum formalem numerationis utrique, ne etiam vis spirativa ut substantivū terminans quoq; ejus dependentiam, multiplicetur.

QUÆSTIO VI.

De divisionibus; & Regulis anteprædicamentalibus.

Hactenus de Antepraedicamentis actum est, de quibus Philosophus tractat *in 1. cap. libri praedicam.* nunc de eis, quae *in 2. 3. & 4. cap.* proponit, agetur. Itaque ut Aristoteles evidentiùs indicaret, quaedam à Praedicamentis excludi, & quae includi debeant, subjicit *in 2. cap.* duas Divisiones; pro quarum notitia.

1. *Quid complexũ, & incomplexũ, voce, & significatione.*

Nota primò: aliquid posse dici complexum, & aliquid incomplexum. *Complexum* dicitur, quod aliquomodo constat pluribus entibus, ut *homo currit*; *Incomplexum* est, quod non constat pluribus, ut *homo*. Utrumque potest esse tribus modis tale, scilicet vel voce tantùm, vel significatione tantùm; vel voce & significatione simul. *Complexum voce tantùm*, est unicus simplex conceptus, multis vocibus expressus; tale est ly *animal rationale*. *Complexum significatione tantùm* est multiplex conceptus, unicâ tamen voce expressus, tale est omne aequivocum v. g. *gallus*, *canis* &c. quae important multiplicem conceptum, seu naturas diversas Galli hominis, & galli avis; item naturam canis animalis, & canis piscis, & canis stellae. *Complexum voce, & significatione simul*, est multiplex conceptus, multiplici voce expressus; talis est ly *homo currit*. *Incomplexum* autem *voce tantùm* coincidit cum complexo significatione tantùm; tale est *gallus & canis*. *Incomplexum significatione tantùm* coincidit cum complexo voce tantùm, ut *animal rationale*. Ex his *incomplexum* tandem *voce & significatione simul* est unicus simplex conceptus, unicâ voce expressus; talis est homo.

2. *Prima divisio Aristotelis exponitur.*

Nota secundò: prima Divisio Aristotelis est haec: *eorum quae dicuntur* (id est, praedicantur de aliquo) *quaedam dicuntur cum complexione*, ut homo currit; *quaedam sine complexione*, homo, lapis, currit, vincit &c. Haec divisio valet ad dignoscendam conditionem eorum, quaenam collocari possint in praedicamentis; quae est incomplexio, ut dicetur *sequenti dist.* & propterea Philosophus incomplexa postea dividit in decem Praedicamenta. Unde haec divisio spectat principaliter res, seu conceptus objectivos; & minùs principaliter voces, quatenus has res significant. Pro secunda divisione,

3. *Quid subjectũ inhaesionis, & attributionis.*

Nota tertiò: duplex hìc ad propositum attendi subjectum, inhaesionis scilicet & attributionis seu praedicationis. *Subjectum inhaesionis* est sola substantia, cui inhaeret accidens. *Subjectum attributionis, seu praedicationis* est quodlibet ens, de quo aliud enunciatur, & praedicatur, sic v g. Plato est subjectum praedicationis, de quo enunciatur homo; dicendo; Plato est homo. Ex his

4. *Secunda divisio Antepred. exponitur.*

Nota quartò: secunda Divisio Philosophi est haec: *eorum quae sunt* (id est quae habent esse) *alia de subjecto aliquo dicuntur* (id est essentialiter praedicantur) *in subjecto verò nullo sunt* (id est nõ habent ullũ subjectũ inhaesionis, cui inhaerent) talia sunt *homo*, qui praedicatur de Platone, & Paulo; qui tamen non inhaeret Platoni, vel Paulo, & *brutum* quod praedicatur de leone & bove; quod pariter non inhaeret leoni, & bovi. Et talia sunt omnes substantiae secundae, seu universales scilicet genera, & species Praedicamentorum. Prosequitur Philosophus eandem Regulam sequentibus verbis.

Alia verò in subjecto sunt (id est inhaerent alicui subjecto) *de subjecto autem nullo dicuntur* (id est non praedicantur essentialiter de ullo subjecto) sic v. g. *aliqua Grammatica* est in subjecto scilicet in anima; quia est accidens spirituale; non tamẽ dicitur de subjecto, scilicet de anima; quia nõ habet inferiora, de quib⁹ essentialiter possit enunciari: sic etiam *hac albedo*, inhaeret quidẽ parieti; de eo tamẽ essentialiter non praedicatur: & hujusmodi sunt omnia individua accidentium. Prosequitur ulteriùs Philosophus eandem regulam, subjectis verbis.

Alia verò de subjecto dicuntur, & in subjecto etiam sunt; sic *scientia* est in subjecto, scilicet in anima, & de subjecto dicitur, scilicet de Logica, Philosophia essentialiter praedicatur, tanquam superius de inferioribus: sic etiam color est in subjecto parietis; quia inhaeret parieti, & praedicatur essentialiter de albedine, nigredine &c. Et hujusmodi sunt omnia accidentia universalia, seu genera, & species Praedicamentorum accidentium. Prosequitur tandem Philosophus, & complet Regulam hisce dictis.

Alia tandem neque in subjecto sunt; neque de ullo subjecto dicuntur: ut quidam homo, quidam equus, non sunt in subjecto; cùm non sint accidentia; nec dicuntur de subjecto; cùm sint individua: sic

sic etiam Plato neque est in ullo subjecto; quia nulli inhæret; neque prædicatur essentialiter de ullo. Et talia; sunt omnes substantiæ primæ, seu omnia individua substantialia. Circa Regulas Anteprædicamentales.

5. Prima regula antepradicamentalis explicatur.

Nota quintò: primam Regulam Anteprædicamentalem assignat Philosophus 3. cap. libri pradic. sub his verbis: *quando alterum de altero prædicatur ut de subjecto, quæcunque de eo, quod prædicatur; dicuntur, omnia etiã de subjecto dicũtur*: hujus sensus est iste; quando aliquid tanquam superius prædicatur essentialiter de alio, ut inferiori, quæcunque enunciantur de superiori; enunciantur etiam de illo inferiori; sic homo enunciatur quidditativè, seu essentialiter de *Platone*, ut superius de suo inferiori; & animal enunciatur de homine; & propterea animal etiam enunciatur de Platone.

6. Secũda regula, & varia generũ diversitas.

Nota sextò: secundam Regulam affert Philosophus 4. cap. sub isto tenore: *diversorum generum, & non subalternatim positorum, diversæ sunt species, & differentia*: *subalternorum verò generum, nihil prohibet esse easdem species, & differentias.* Pro intellectu hujus Regulæ.

Nota septimò: genera (ut advertunt P. Frassen, Poncius, Monturs. & alii Scotistæ hic) posse dici *diversa* tribus modis. *Primò* dicuntur diversa quando in diversis Categorijs, seu Prædicamentis ponuntur; talia diversa sunt *animal*, & *scientia*: primum enim ponitur in Prædicamento substantiæ; secundum autem in prædicamento qualitatis. *Secundò* dicuntur diversa quando quidem in eadem Categoria ponuntur; at neutrum sub altero ponitur; sed ambo sub uno tertio; taliter diversa sunt *animal*, & *Planta*, quæ ponuntur sub Prædicamento substantiæ animatæ corporeæ. *Tertiò* dicuntur diversa, quando sunt in eodem Prædicamento, & subalternatim posita; seu quorũ unũ est collocatum sub alio in recta linea prædicamentali; talia sunt *animal*, & *vivens*.

7. Quid sit subal ternatũ genus?

Nota octavò: illa genera dici *subalternatim posita*, quæ pertinent ad idem Prædicamentum; & vel unum ponitur sub alio tanquam inferius sub superiori; talia sunt *animal*, & *corpus animatum*: vel ambo ponuntur sub uno tertio; talia sunt *animal*, & *planta* sub corpore animato posita. Illa verò genera dicuntur *non subalternatim posita*, vel quorum unum non ponitur sub alio, vel quæ non ponuntur sub uno tertio: unde sequitur ejusmodi non subalternatim posita esse diversorum prædicamentorum; talia sunt *animal*, & *scientia*; quæ habent tum species diversas; ut animal, cujus species sunt gressibile, bipes, volatile, & aquatile, quæ nullô modô conveniunt cum speciebus scientiæ, scilicet naturalis, Divinæ, moralis, & rationalis; Tum differentias diversas; tam constitutivas per quas constituuntur in esse talium generum; quàm divisivas, per quas in suas species dividuntur. Ex his animadversis.

8. Secũda regula explanatur.

Nota nonò: sensum, & intellectum præfatæ regulæ secundæ esse hunc; *diversorum generum*, hoc est spectantium ad diversa Prædicamenta, seu Categorias; & *non subalternatim positorum*, hoc est quorum unum non est sub alio, nec ambo sub uno tertio, *diversæ sunt species*, & *differentiæ*; ut exemplificatum est *priori notab.* de animali, & scientiâ: *subalternorum verò generum*, id est, quæ pertinent ad idem Prædicamentum, & unum ponitur sub alio, vel ambo sub uno tertio; *nihil prohibet esse easdem species*, & *differentias* constitutivas scilicet, & divisivas; quia omnia superiora includuntur in suis inferioribus, ut arguit hic Philosophos; genera autem subalterna se habent ut superiora, & inferiora; adeoque differentiæ, quæ competunt superioribus, conveniunt etiam inferioribus: unde quia *corpus animatum*, & *animal* sunt genera subalterna; ideo *animatum*, quod est differentia constitutiva corporis animati, seu viventis, & *sensibile* quòd est differentia divisiva viventis, & constitutiva animalis includuntur in animali.

DISTINCTIO II.

De Prædicamentis in communi.

PRÆNOTATIO.

PRiusquam ad examen decem Categoriarum, seu Prædicamentorum in particulari descendam; nonnulla etiam de eis in communi juxta consvetum scholasticorum modum præmittam, quæ intellectum magis præparabunt ad limpidiorem notitiam eorundem deinceps capessendam. Unde sit.

QUÆSTIO I.

De quidditate; & numero Categoriarum, seu Prædicamentorum.

1. Quid nominis Categoria, & Prædicamentum.

NOta primò: Hæc duo nomina *Categoria*, & *Prædicamentum* in proposito idem prorsùs significant. *Categoria* est vox Græca, & olim significabat accusationem: sed hæc postea à foro litigioso ad Lycæum Philosophicum translata fuit ab Aristotele, ita ut significet *prædicationem*, seu unius de alio affirmationem: & tandem usus obtinuit apud Philosophos, ut importet seriem quandam, seu classem plurium rerum sub uno supremo genere ordinatorum. *Prædicamentum* est vox Latina derivata à ly *prædicare*; unde etymologicè acceptum Prædicamentum est illud, quod de aliquo prædicatur: Philosophicè à Scoto *2. dist. 3. q. 3.* sumitur pro naturali coordinatione prædicatorum, & subjectorum alicujus summi generis: ex quo patet; quod Prædicamentum formaliter sit quoddam artificiosum opus, ab intellectu formatum, & constructum ex naturis rerum in certa, & determinata serie collocatarum secundùm dispositionem superioritatis, & inferioritatis cum fundamento in re; in quo artificio veluti fundamentum totius structuræ sunt individua: deinde subsequitur species specialissima; postea genera subalterna (si adsint) tandem genus generalissimum veluti tectum, & supremum se habet in illa collectione; uti patebit in figura, seu Arbore Prædicamentali substantiæ, infrà constituenda; ad cujus instar aliæ aliorum Prædicamentorum de facili confici poterunt.

2. Prædicamentū accipitur primò, & secundò intentionaliter.

Ex dictis constat ulteriùs: Prædicamentum dupliciter sumi, materialiter, & formaliter; seu primò intentionaliter, & secundò intentionaliter. *Prædicamentum materialiter*, seu *primò intentionaliter sumptum* sunt ipsæ res, seu naturæ collocabiles in certis classibus categoriarum, v. g. vivens, corpus, animal, homo, & Plato, quæ coordinabilia sunt in Prædicamento substantiæ. *Prædicamentum formaliter*, seu *secundò intentionaliter sumptum* est ipsa coordinatio rerum seu naturarum ut ad invicem ordinatarum secundùm debitam subjectionem, & prædicationem; seu in ratione subjicibilis, & prædicabilis. Prædicamentum in hac usurpatione importat relationem quandam rationis; id est ordinis inter superiora, & inferiora: prædicationes enim fiunt per rationem seu intellectum. De Prædicamento in hac acceptione.

3. Definitio Prædicamenti.

Dico primò: Bene definitur Prædicamentum ut sic formaliter sumptum, quòd *sit series, seu coordinatio naturalis generum, specierum, & individuorum, sub uno supremo genere ipsis communi*,

secundùm subjicibilitatem, & prædicabilitatem ordinatorum. Hæc elicitur ex Philosopho *1. Post. cap. 18.* Et Porphyrio *cap. de specie.* Hujus bonitas patet ex Prædicamento substantiæ, quod tali coordinatione constat, ut patet intuenti figuram infrà assignandam *disp. 3. q. 2. not. 3.* Ulteriùs adhuc.

Probatur Conclusio: hæc definitio constat genere, & differentiâ, alijsque necessariò requisitis ad bonam definitionem: Ergo &c. Ly *series*, *seu coordinatio* ponitur locô generis; & significat idem, quod certa dispositio, & collocatio, ac ordo generum deductus à supremo genere per species intermedias usque ad individuum; reliqua ponuntur pro differentia. Dicitur *naturalis* ad distinctionem coordinationum moralium &c. & quia quòd genera, species, & individua tali vel tali modô coordinentur; non pendet à solo intellectu coordinante; sed etiam ex naturali dispositione eorundem, v. g. ut Plato quà individuum ordinetur ad hominem ut speciem; & homo quà species ad animal; & vivens, ac corpus tanquam genera subalterna tandem ad substantiam ut genus generalissimum, pendet ex naturali dispositione eorum. Additur *generum, specierum, & individuorum* ad insinuandum ea, quæ in prædicamentis directè poni possunt, cujusmodi sunt sola entia completa, genera scilicet, species, & differentiæ; unde differētiæ indirectè tantùm; proprietates verò, & entia per accidens reductivè tantùm collocantur in Categorijs; ut infrà *q. 3.* dicetur. Apponitur *sub uno supremo genere ipsis communi*, ut ostendatur, seriem cujusvis Prædicamenti esse ordinatè constructam, id est ab unitate summi alicujus gradûs incipientem, qui convenit omnibus inferioribus; tale est in Prædicamento primo gradus substantiæ ut sic. Ly tandem *secundùm subjicibilitatem, & prædicabilitatem ordinatorum* elucidat magìs, in quo consistat coordinatio prædicamentalis, nimirum in dispositione prædicatorum, & subjectorum; seu prædicabilium, & subjicibilium; nam in linea prædicamentali inferiora subjiciuntur superioribus v. g. Plato, homo, & animal subjiciuntur viventi, corpori, & substantiæ; & hæc de illis prædicantur dicendo, Plato est vivens, corpus, & substantia; homo est vivens corpus & substantia; animal est vivens, corpus & substantia. Pro altero articulo quæst.

Nota secundò. circa numerum Prædicamentorum variæ fuêre opiniones veterum: nam Plato in *Sophysta*, seu *Parmenide* docet unicum duntaxat Prædicamentum universalissimum, Entis realis scilicet, sub quo genere omnium rerum posuit. Zenocrates, & Andronicus duo duntaxat statuit, scilicet substantiam, & accidens. Valla, tria concedit, substantiam, qualitatem, & actionem. Stoici referente Platinô *lib. 1. Encad. 6. cap 29.* asserit quatuor, substantiam, qualitatem, modum rei, & relationem. Pythagorici referente Aristotele *1. Met. cap. 5.* ea multiplicant usque ad viginti, decem videlicet concretorum, & decem abstractorum: alij planè triginta ponunt, scilicet viginti differentiarum, & decem generum, ac specierum. Alij tandem plura, pauciora; asserunt, non veritatem rei, sed phantasiam secuti. Ego

4. Varietas opinionū circa numerū Prædic.

Dico secundo: rectè statuuntur decem duntaxat Prædicamenta, seu Categoriæ, in qua adæquatè dividitur Ens reale finitum ut sic, scilicet substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Ubi, Quando, Situs, & Habitus. Ita sentit primus omnium Archita Tarentinus Pythagoricus, & post eum Aristoteles *cap. 4. de Prædicam.* Et *5. Met. text. 14.* Et Scotus *q. 11. prædicam. & Quodlib. 11.* Et *4. dist. 13. q. 1.* & sequuntur communiter Scotistæ, ac Thomistæ, cæterique Peripatetici. Similiter eam tenet Avicennas, Averroes, & plures alij veteres illustres Philosophi.

5. Decas Categoriarum svadetur varijs rationibus.

Notat autem Scotus *q. 11. prædicamentali*, quòd numerus iste denarius efficaci ratione ostendi non possit; bene tamen svaderi sufficienter: unde *4. dist. 13. q. 1. n. 9.* dicit, *cogimur observare illam famosam divisionem Prædicament: quâ dicuntur esse decem generalissima; cogimur inquam propter veterum Philosophorum authoritatem; cui non facilè debet contradici.*

Svadetur itaque ista decas Categoriarum *primò* authoritate Philosophi mox *cit.* & aliorum veterum; distribuentium Ens finitum reale ut sic in decem classes, seu Prædicamenta. *Secundò* ratione Philosophi; quam affert *cap. 4. de Prædic.* tot sunt Categoriæ, quot sunt entia categorica, incomplexa, significativa: sed hujus-

hujusmodi sunt decem: Ergo &c. Prob. Min. textu Philosophi *cit. eorum quæ nulla complexione dicuntur* (id est quæ sunt incomplexa) *singula aut substantiam significant, aut Quantitatem, aut Qualitatem, aut Ad aliquid, aut Ubi, aut Quando, aut Situm esse, aut Habere; aut Agere, aut Pati*: & exemplificando decem hæc incomplexa, constituentia decemCategorias subdit; *est autem substantia, ut in summa dicamus, velut homo, equus: Quantitas autem ut bicubitum: Qualitas, ut album, Grammaticum: Ad Aliquid, ut duplum, dimidium, majus &c. Ubi verò, in foro, in Lycæo: Quando autem, ut heri, superiori anno: Situm verò ut jacet, sedet; habere autem ut calceatum esse, armatum esse; agere verò ut secare, urere: Pati, ut secari, uri.* Ergo decem sunt entia categorica incomplexa, significativa.

Præterea: Ens finitum reale ut sic descendens in Prædicamenta primò descendit in substantiam, & accidens, ut habet Boëtius super prædicamenta *cap. 5.* & communis Philosophorum; & sic habetur in Categoria Substantiæ: Accidens deinde vel est absolutum vel relativum: Si absolutum, habentur duo alia Prædicamenta Quantitatis, & Qualitatis. Si est relativum; aut est intrinsecùs adveniens, & sic consurgit quartum Prædicamentum *Ad aliquid*, seu Relatio; aut est extrinsecùs adveniens; & hoc vel pertinet ad causalitatem, vel ad mensuram, vel ordinem. Si *ad causalitatem*, vel activè, vel passivè: & ita resultant rursus duo Prædicamenta nova Actionis scilicet, & Passionis. *Si ad mensuram* vel quantitatis permanentis; & habetur Prædicamentum Ubi: vel successivæ; & habetur Prædicamentū Quando. Si pertineat *ad ordinem*, aut partium; & habetur Categoria Sitûs: aut totius; & habetur decimum Prædicamentum Habitûs: Ergo rectè decem statuuntur Prædicamenta.

Rursus; hæc decem Prædicamenta, tanquam quædam membra adæquant totum divisum scilicet Ens finitum reale prædicamentale ut sic: Ergo &c. Item hujus denariæ divisionis Prædicamentorum rationem comprobant diversæ interrogationes, quæ nec plures, nec pauciores, quàm decem de ente singulari, seu individuo aliquo substantiali v. g. Platone formari solent secundùm Philosophum 5. *Met. 14.* de Platone enim interrogari solet *primò*, quid sit? cui respondetur quòd sit homo, & adstruitur Categoria substantiæ. *Secundò*, quæri solet, qualis sit? & respondetur, est albus, & niger; & ponitur Prædicamentum Qualitatis. *Tertiò*, investigari solet, quantus sit? & respondetur longus, quadricubitalis; & fit Categoria Quantitatis. *Quartò*, inquiri solet, quid respiciat? & respondetur filium, si sit pater; vel servum, si sit Dominus; & consurgit Prædicamentum Relationis intrinsecùs advenientis. *Quintò*; interrogari potest, quid agat, vel patiatur? & respondetur per Categoriam Actionis, quòd pingat: vel per Prædicamentum Passionis, quòd calefiat. *Sextò*, quæri solet, ubi sit? cui respondetur in schola, vel Ecclesia, & statuitur Categoria Ubi. *Septimò*, petitur, quomodo sit in tali loco? & respondetur per Prædicamentum Situs, quòd stet, vel sedeat ibi. *Octavò*, quæritur, quando sit in tali loco? & respondetur per Categoriam Quando, est hodie in illo. *Nonò* tandem inquiritur de eodem Platone, quomodo sit vestitus? & respondetur per Prædicamentum Habitus, dicendo tali vel tali modo: scilicet calceatus &c. Ergo &c.

Refutantur opiniones contrariæ.

Similiter hanc decadem Categoriarum svadent claritas, commoditas, utilitas, quæ apparent ex partitione omnium Entium finitorum realium in præfatas decem series, seu classes; & dissvadet divisionem eorundē in pauciores obscuritas, incommoditas, & confusio; quæ oriuntur in distributione eorundem in unum, vel duo, vel tria, vel quatuor tantùm: dissvadet quoq; eorundē multiplicationē in plures nimia multitudo, in viginti, aut triginta, quæ absque fundamento sufficienti excogitatur ab aliquibus: Ergo &c. Svadet tandem denarium hunc numerum Prædicamentorum improbabilitas aliarum opinionum; ut patebit eas breviter impugnando.

Imprimis itaque Plato improbabiliter statuit unum duntaxat Prædicamentum, scilicet Ens ut sic, putans esse genus generalissimum. *Contrà* enim est; quòd genus debeat esse finitum, ac limitatum; Ens verò est infinitum, & illimitatum; cùm conveniat etiam DEO infinito. Et quia inferiora hujus generis generalissimi in nimio chaos, & confusione sepulta jacerent, nec facilè debitæ prædicationes, & subjectiones institui possent.

Secundò improbabiliter quoque Zenocrates, & Andronicus statuunt duo, scilicet substantiam, & accidens: *Contrà* enim est; quia accidens ut sic, ut comprehendit omnia accidentia, tam absoluta, quàm relativa, est æquivocum; genus autem prædicamentale debet esse Univocum; ut ostendetur infrà *q. 3.* Et quia longè major est copia, & diversitas accidentium, quàm substantiarum; unde rationabilius est, pro accidentibus statuere plura Prædicamenta.

Tertiò improbabiliter etiam procedit Valla assignando solam substantiam, qualitatem, & actionem: *Contrà* enim est; quòd cùm ipse videat substantiam augmentari, & extendi secundùm quantitatem, & ipse quandoque experiatur dolориferas passiones morborum, aut punctutas gladij in suo corpore; imprudenter sanè negat Quantitatem, & Passionem: ob easdem rationes improbabiliter etiam Philosophantur Stoici de quaternario Categoriarum numero Scilicet substantiæ, qualitatis, modi rei, & relationis, omittentes Quantitatem, Passionem &c.

Quartò improbabiliter etiam discurrunt Pythagorici, afferendo viginti Categorias concretorum, & abstractorum; & alij producentes triginta differentiarum,& generum. *Contrà* namque est; quod abstracta à concretis non distinguantur, nisi solâ ratione: similiter differentiæ non nisi formaliter de generibus, & speciebus, quæ constituunt: ac proinde distincta Prædicamenta facere nequeunt; ad Prædicamentorum enim multiplicationem requiritur distinctio realis, ut infrà *q. 2.* ostendam, & diversus modus prædicandi de prima substantia.

Varia objecta pro alteranda decade Categoriarum.

Obijcies *primò*: Philosophus ipse ponit tantùm octo prædicamenta *5. Met. 14.* omittens Situm, & Habitum: Ergo &c. *Secundò*: res omnes ita possunt coordinari, ut cunctæ subsint uni supremo generi, videlicet Enti ut sic, suprà quod aliud genus non daretur: Ergo &c. *Tertiò* statui possunt duo tantùm suprema genera; unũ substantiæ ut sic; alterũ accidentis ut sic; sub primo collocari possunt omnes substantiæ; sub secundo omnia accidentia: Ergo &c. *Quartò* etiã poni possunt tria duntaxat suprema genera substantiæ, accidentis absoluti, & accidentis relativi; sub primo essent omnes substantiæ; sub secundo omnia accidentia absoluta prædicamentalia; & sub tertiò omnia relativa: Ergo &c. *Quartò* etiã confici possent quinq; classes prædicamentales; una substantiarum, altera accidentium absolutorum, tertia relativorum, quarta accidentium spiritualium, quinta materialium: Ergò &c. *Quintò* secundùm Philosophos bona divisio debet fieri in duo membra, aut saltèm pauciora, quàm sint decem: Ergo &c. *Sextò* decem Peripateticis Categorijs adijci debet specialis Categoria prò Entibus rationis, & privationibus: item duæ speciales pro ubi activo, & ubi passivo; item una pro motu: Ergo &c. *Septimò* ly *Quando* prædicamentale non est aliquid reale: Ergo &c. *Octavò* possunt fieri de individuo plures interrogationes, quàm decem: Ergo sunt plura Prædicamenta. Hæ & similes rationes videntur numerum Prædicamentorum facere arbitratium; & propterea etiã noster P. Frassen eum arbitrarium autumat, secutus in hoc Arriag. & Raccon. & P. Poncius hic ad idem varia inducit argumenta: sed pro communi Peripateticorum.

Rejiciuntur.

Respondeo *ad Primum*, etsi Aristoteles *loc. cit.* omnia decem Prædicamenta non enumeret apertis terminis; addit tamen illas particulas, *similiter autem & in alijs*, quibus tacitè exprimit reliqua, & sic omnia decem: & alibi Situm, & Habitum agnoscit pro veris prædicamentis. *Ad Secundum, Tertium, & Quartum* dico, sic quidem posse institui classes Categoriatum; sed non cum illa claritate, distinctione, utilitate, & commoditate, quã constituuntur à communi Peripateticorum in decem, quæ sanè afferunt insignem claritatem pro intelligendis, & debitè formandis prædicationibus, ac subjectionibus naturarum ad invicem; & reddunt captu facilia omnia entia finita realia. *Ad Quintum* verum est, quòd divisio regulariter ut plurimum debeat fieri in duo membra: quando tamen divisum continet magnam valde multitudinem suorum inferiorum, ac diversitatem in naturis, non est coarctandum ad duo duntaxat membra dividentia constituenda; unde Elementum ut sic dividitur in quatuor membra, & qualitas ut sic in tria; & anima in tres quoque species dismembratur; & ita in proposito est de ente reali finito, quod cùm Divisum quoddam locupletissimum sit, continens sub se naturas rerum disparatissimas; idcirò meritò in decem mem-

membra distribuitur, ut evitetur confusio, & obscuritas membrorum dividentium. *Ad sextum* Neg. Ant. nam locabile in prædicamento debet esse reale, & positivum. Deinde dico entia rationis reduci debere ad illa Prædicamenta, ad instar quorum finguntur; privationes verò ad ea, in quibus reperiuntur. Non desunt tamen etiam Scotistæ, ut Vallo, Zerbius &c. qui undecimum Prædicamentum pro entibus rationis statuunt, & fundant se in Scoto *q. 11. Prædicamentali*: Verùm Scotus alibi suam mentem resolutivamaperit, conformans se cum decade communi Peripatetica; ut patet ex loco suprà pro Concl. *citat.* Quoad ubi activum, & passivum dico, utrumque sufficienter contineri Sub Ubi. Quoad motum dico, eum reduci debere ad Prædicamentum Passionis; de quo vide quæ dico *tract. 1. Physic. dist. 11. q. 4.* *Ad septimum* Neg. Antec. nam Prædicamentum Quando communiter etiam à S. Augustino *11. Confess. cap. 14.* statuitur aliquid reale, cùm nihil sit notius temporis existentiâ, quod *Quando* respicit in ratione Categoriæ. *Ad octavum* dico, illas interrogationes esse de entibus moralibus, id est denominationibus moralibus extrinsecis, provenientes ab actibus voluntatis, & humanis legibus; ideoque non sunt entia realia; ac consequenter nō arguunt distinctum Prædicamentum, quod debet esse quid reale: solæ ergo interrogationes de entibus realibus arguunt diversam Categoriam eorum, per quæ respondetur.

QUÆSTIO II.

De distinctione Prædicamentorum.

1. Omnia Prædicamenta distinguuntur realiter.

Dico primò: omnia decem Prædicamenta distingvuntur strictè realiter inter se; & consequenter quæ in diversis collocantur prædicamentis, sic pariter distingvuntur. Ita Scotus clarissimè *5. Met. q. 6.* Et rursus colligitur ex *2. dist. 1. q. 5. ad secundum principale.* Et *dist. 3. q. 4.* & sequuntur Tartar. Mastrius, Monturs. Poncius, Villaverde & communior Scotistarum; contra Thomistas, docentes, quædam Prædicamenta solâ ratione distingvi; & contra P. Merinero, Columb. Otbellum, Scotistas asserentes, quædam solùm formaliter discriminari.

Probatur *primò* contrà: decem Prædicamenta sunt primò diversa secundùm se tota, ita ut prædicata, & subjecta unius non sint prædicata, & subjecta alterius, ex Aristotele *1. Post. text. 34.* Et *8. Met. cap. ult.* Et Scoto *2 dist 3. 44.* Ergo omnia distingvuntur strictè realiter inter se. *Secundò* ratione Scoti *citat. loc.* nihil potest esse sub disparatis speciebus; quia nihil habet duplicem essentiam: Ergo idem nequit poni in diversis Prædicamentis; & consequenter quæ in diversis ponuntur Prædicamentis; sunt distincta strictè realiter; & sic Prædicamenta omnia inter se strictè realiter distingvuntur: *Tertiò* inter omnia decem Prædicamenta reperitur separabilitas, quæ est evidens signum distinctionis strictè realis: Ergo omnia distingvuntur strictè realiter inter se. Probat. Ant. imprimis substantia est separabilis ab omni accidente absoluto; cùm sit prior omni accidente naturâ, tempore, & definitione, ut habet Philosophus *7. Met. cap. 1.* accidentia verò absoluta ut quantitas, & qualitas sunt priora relationibus; cùm sint illarum fundamenta, & termini: similiter rationes prædicamentales tam intrinsecùs quàm extrinsecùs advenientes sine se invicem esse possunt aliquomodo: aut saltèm in diversis reperiuntur subjectis; quod addo propter Actionem, & Passionem: Ergo inter omnia decem Prædicamenta reperitur separabilitas; & consequenter distinctio strictè realis. *Quartò*; res omnium Prædicamentorum differunt numerô: Ergo strictè realiter. *Quintò*: Diversorum generum, & non subalternatim positorum, diversæ sunt species, & differentiæ, & consequenter individua; ut habet Regula secunda antepradicamentalis, suprà relata: sed omnia decem Prædicamenta sunt genera non subalternatim posita: Ergo habent diversas species, differentias, & individua diversa, & consequenter inter ea versatur distinctio strictè realis.

2. Thomistarum rationes oppositæ.

Objiciunt *primò* Thomistæ: inter Prædicamenta actionis, & Passionis vertit sola distinctio rationis: Ergo non strictè realis. Prob. Ant. Actio, & Passio secundùm Philosophum *3. physic. text. 19.* sunt

sunt unus motus realiter: Ergo &c. *Secundò;* Philosophus *cap. de Qual.* in fine concedit, idem posse spectare ad plura Prædicamenta secundùm diversas rationes: Ergo quæ in diversis Prædicamentis ponuntur, non distingvuntur realiter. *Tertiò;* inter gradus essentiales ejusdem rei sufficit sola distinctio rationis, petita penes modos essendi diversos: sed aliqua Prædicamenta habent gradus essentiales ejusdem rationis, & solos modos essendi diversos, v. g. Substantia & Accidens habent eosdem gradus essentiales penes solos modos essendi distinctos; puta Substantia penes modum *essendi per se;* & Accidens penes modum *essendi in:* Ergo inter horum gradus essentiales; & consequenter ipsa Prædicamenta sufficit sola distinctio rationis.

3. *Ventilantur.*

Respondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam cum Actio, & Passio sint in subjectis realiter distinctis, vertit inter ea plus, quàm distinctio rationis. Ad authoritatem Philosophi in Probat. Ant. allatam dico, ipsum solùm velle, quòd sint idem motus, si sumantur materialiter, pro re acta, seu termino; non autem formaliter; nam formaliter Actio, & Passio sunt duæ relationes; & propterea nequeunt esse unum. *Ad secundum* dico primò, vel ipsum loqui in sententia aliorum: vel tantùm vult, quòd idem, quod est essentialiter in uno Prædicamento, possit etiam accidentaliter, & denominativè spectare ad alia Prædicamenta; v. g. Plato, qui est substantia, & essentialiter spectans ad Prædicamentum substantiæ, potest etiam accidentaliter denominari Pater, & secundùm relationem Paternitatis spectare ad Prædicamentum relationis: cum quo stat, quòd idem essentialiter non possit spectare ad diversa Prædicamenta; & consequenter quòd ea, quæ in diversis prædicamentis essentialiter ponuntur, sint realiter strictè distincta. *Ad tertium* dico, imprimis illam Maj. esse falsam in via Scoti; quia inter gradus essentiales ejusdem rei v. g. animalitatem, & rationalitatem ejusdem hominis reperitur distinctio formalis ex natura rei. Deinde pertransitâ istâ Maj. Negatur Min. nam omnia Prædicamenta sunt genera diversa, species diversæ, habentia Differentias essentiales diversas; v. g. Substantia, & Accidens habent differentias essentiales diversas, quæ per illos modos essendi circumscribuntur; unde penes illas differentias, & non penes solos modos essendi distingvuntur: & consequenter inter Substantiam, & Accidens, & quævis alia Prædicamenta non sufficit sola distinctio rationis: sed requiritur realis stricta, cujus munus est distingvere res habentes differentias essentiales diversas.

4. *Scotistarū adverſ. argumĕta.*

Objiciunt Scotistæ oppositi, signanter Columbus *primò* Doctor subtilis adversatur conclusioni: Ergo &c. Probatur Ant. Doctor *2. dist. 1. q. 6. in solut. argum.* habet sequentia verba: *ad aliud cum dicitur, Prædicamenta sunt primò diversa; potest dici, quod hoc est verum, quantùm ad rationes formales, & quidditativas; & tunc posset sustineri, quod diversa Prædicamenta possint idem esse realiter; sed non formaliter:* ex quo textu patet, non strictè realem sed formalem duntaxat distinctionem reperiri inter aliqua Prædicamenta. *Secundò:* multæ relationes aptitudinales secundùm Scotum passim identificantur substantijs, & formaliter tantùm distingvuntur: & tamen sunt in Prædicamento relationis: Ergo quæ in diversis Prædicamentis ponuntur, non necessariò debent esse strictè realiter distincta; sed sufficit, si formaliter distingvantur. *Tertiò:* Actio, & Passio sunt inseparabiles; & habent distinctas definitiones: sed ex his colligitur distinctio formalis Scotistica: Ergo sunt formaliter distincta. *Quartò:* secundùm Scotum figura est in genere Quantitatis, dum per se consideratur à Geometra; sed est etiam in Prædicamento Qualitatis, secundùm Philosophum *cap. de qualit.* Ergo &c.

5. *Resolvuntur.*

Respondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad textum Scoti dico, ex illo non colligi assertivam mentem Scoti; uti patet ex illis verbis *potest dici*, & *sustineri:* ostendit ergo tantùm Scotus modum, qualiter aliquis posset salvare relationem creaturæ ad DEUM esse prædicamentalem; si scilicet dicat, Prædicamenta esse formaliter tantùm distincta; quod tamen non approbat. Et quoniam idem Doctor ibidem, & alibi sæpe suam mentem aperit de tali relatione, ponendo eam transcendentalem, eò quòd sit identificata realiter suo fundamento; idcirco propriam sententiam, quam *lib. 5. Met. q. 6.* acriter probaverat, scilicet Prædicamenta distingvi strictè realiter, tacitè confirmat. *Ad secun-*

secundum dico, hujusmodi relationes aptitudinales non esse prædicamentales, nec in ullo Prædicamento directè collocabiles; sed sunt quidam respectus transcendentales, reductivè tantùm ponibiles in Prædicamento illius, cui identificantur; quare si identificentur substantiæ, ponuntur in Prædicamento substantiæ reductivè, & per identitatem. *Ad Tertium* Nego Maj. nam cùm Actio, & Passio sint in distinctis realiter subjectis, ideo aliquomodo sunt separabilia; & non tantùm formales definitiones diversas habent; sed planè reales, arguentes essentias specie diversas; cùm sint formaliter duæ relationes prædicamentales specie, & genere proximo diversæ; ut infrà dicetur. *Ad quartum* dico cum Scoto, Quantitatem esse nomen æquivocum; & ideo duo significare; nam aliquando significat superficiem terminatam lineis; & sic est in genere Quantitatis, & consideratur à Geometra, cujus est agere per se de quantitatibus: aliquando significat clausionem linearum, sivè earum terminationem; & sic est in genere Qualitatis: quare non idem, sed diversa realiter sunt, quæ essentialiter spectant ad diversa Prædicamenta.

QUÆSTIO III.

Num omnes res ponantur in Prædicamentis? ubi de conditionibus eorum, quæ in Categorijs disponuntur directè.

1. Quid sit poni in Prædicamento.

NOta primò: aliquam rem poni in Prædicamento, est ipsam ordinari secundùm *sub.* & *suprà*; seu ut alij loquuntur rem concipi secundùm rationem superioritatis, & inferioritatis; sic corpus animatum v. g. ordinatur in Prædicamento substantiæ sub substantia, quæ habet rationem *suprà*, seu superioritatis, quia est supra corpus animatum tanquam supremum quoddam genus. Ista autem ordinatio bifariam potest fieri, in propositione vocali scilicet, & in propositione mentali: *primò* modò ordinantur voces tanquam quædam signa exprimentia res sic dicendo, Plato est homo: homo est animal, animal est corpus animatum: corpus animatum est corpus; & corpus est substantia. *Secundò* modò ordinantur res ipsæ, concipiendo unam sub ratione inferioris, & aliam in ratione superioris, ascendendo v. g. in Categoria substantiæ usque ad supremum prædicatum, quod est substantia. Ex quo sequitur; tam voces, ut signa, quam res poni in Prædicamento; sed res ponuntur principaliter; unde Categoriæ ex rebus primariò construuntur, & disponuntur; voces verò minùs principaliter, & per accidens; quatenus scilicet sunt signa expressiva eorum, quæ per se, & principaliter ponuntur in Prædicamentis; ista enim vox *animal* non ordinaretur in Categoria substantiæ, nisi exprimeret, & significaret substantiam.

2. Quid sit collocari in Prædic. directè, indirectè, & reductivè.

Nota secundò: res ponuntur, & ordinantur in Prædicamento tripliciter; scilicet directè, indirectè seu ad latus, & reductivè. *Illa ponuntur directè*, quæ ponuntur in linea recta prædicamentali; & sunt sola genera, species, & individua. Ratio est; quia inferiora directè, & essentialiter accipiunt prædicationem superiorum, & habent omnes conditiones infrà ponendas. *Illa ponuntur indirectè*, quæ ordinantur à latere hinc inde generum, & specierum: & sunt differentiæ genericæ, specificæ, & individuales; & partes omnes essentiales metaphysicæ quà tales, ut habet Scotus *quæst. 14. & 15. prædicam.* Et ratio dabitur infrà. *Illa tandem ponuntur reductivè*, quæ neutrò horum modorum ordinantur; sed tantùm aliquò modò attribuuntur generibus, speciebus, & individuis, & ad ea pertinent, velut passiones ad sua subjecta, cum quibus identificantur; taliter se habent risibilitas, flebilitas; & aliæ proprietates hominis; vel ut partes essentiales physicæ; quales sunt materia, & forma respectu corporis: vel ut partes integrales; quales sunt manus, pes, oculus, ut habet Scotus *loc. cit.* unde hæ sunt in illo Prædicamento, in quo ordinantur eorum tota, seu essentialia: vel tandem ad genera, species & individua reducuntur sub alia ratione, quasi per accidens, puta quia habent rationem principij, vel termini alicujus, quod per se ponitur in Prædicamento; ita reducuntur puncta in linea; mutatum esse in motu; & instans in tempore, & ponitur in Præ-

Prædicamento quantitatis: vel tandem reducuntur ad eadem per accidens, ut privationes, & negationes, quæ ponuntur in Prædicamentis illis, in quibus sunt earum positiva, vel habitus: sic negatio hominis reducitur per accidens ad Prædicamentum substantiæ; cæcitas ad Prædicamentum visûs &c. Ratio horum omnium est; quia ipsa vel non recipiunt prædicationem superioris alicujus essentialem; vel deficiunt in aliqua conditione necessaria ad posse poni directè in Prædicamento.

Dico primò: Omnes res creatæ, finitæ, reales, aliquomodo ponuntur in Prædicamento aliquo. Ita communis Philosophorum.

3. Omnes res ponuntur in Prædicamento.

Probat. ex mox data doctrina sub *not. 2.*; nam omnes res creatæ, finitæ, & reales directè, aut lateraliter, seu indirectè, aut reductivè ordinantur in aliqua Categoria; ut patet discurrenti per collectionem earundem; & patebit ampliùs ex progressu hujus tractatûs, ubi res omnes creatas, finitas, & reales aliquô modô reponam ad suas certas, & determinatas decem classes: Ergo &c. Circa porro conditiones illarum rerum, quæ directè, & per se locari possunt in Prædicamentis.

4. Res directè ponibiles in Categoria debent esse finitæ.

Dico secundò: res directè collocabilis in Prædicamento debet esse finita; qualis est v. g. homo; unde DEUS Opt. Max. non ponitur in ullo ex decem Aristotelicis Prædicamentis. Ita Scotus *1. dist. 8. 3. Et dist. 3. q. 3.* cum omnibus suis; & S. Thomas *lib. 1. contra Gentes cap. 24.* cum suis; & P. Alensis, Richard. & ferme omnes TT. contra Nominales, &c. collocantes in Prædicamentis omnia entia, etiam DEUM.

Probat. primò: res directè collocabilis in Prædicamento sunt genera, aut res includentes genera; & consequenter sunt quædam potentialia, & actuabilia per differentias: Ergo res collocabiles in Prædicamentis debent esse finitæ. Probat. Consequentia: sola entia finita includunt genus, & ipsa sola sunt potentialia, & actualia per differentias; infinita vera sunt actualissima; ut patet de DEO infinito, ejúsque Essentia, & Attributis, quæ actuari non possunt: Ergo res in Prædicamentis collocabiles debent esse finitæ.

Probat. deinde specialiter de DEO, quòd non sit ponibilis in ullo Prædicamento: tùm quia ita sentiunt SS. PP. præsertim D. Augustinus *lib. de cognit. vera vita cap. 3.* Et S. Anselmus *in Monol. cap. 26.* & alij. Tum quia si DEUs esset in Prædicamento collocabilis, esset in genere sed hoc dici nequit: ergò &c. Probat. Minor. si DEUS esset in genere esset metaphysicè componibilis ex genere, & differentia; quod repugnat summæ ejus simplicitati: Ergo &c. Probat. Ant. genus est potentiale, & differentia quid actuale, seu actus ex Philosopho *8. Met. cap. 9.* quod autem includit potentiale, & actuale est componibile metaphysicè: Ergo si DEUS esset in genere, esset metaphysicè componibilis ex genere & differentia. Tum quia si DEUS esset in genere, non esset infinitus; quia genus est finitum; cùm sit perfectibile: sed DEUS est infinitus: Ergo &c. Tum quia DEUS est necesse esse: Ergo ultimatè actuatus: Ergo non in genere.

5. Objecta pro Deo in Prædicamento collocando.

Objiciunt *primò*: S. Damscenus *in Elem. cap. 8.* affirmat, DEUM esse in genere: item Boëtius *lib. 1. de Trinit. cap. 6.* ait, in Divinis manere duo Prædicamenta, substantiæ scilicet, & relationis. Item Philosophus *4. Top. cap. 2.* dicit, DEUM esse in genere animalis; & consequenter est in Prædicamento substantiæ, sicut animal: Ergo &c. *Secundò*: DEUS continetur sub aliquo, quod est prædicabile de pluribus specie differentibus; scilicet sub spiritu, qui est prædicabilis de DEO, Angelis, & animabus specie differentibus: Ergo est in aliquo genere, seu Prædicamento, scilicet substantiæ spiritualis.

6. Resolvuntur.

Respondeo *ad Primum* S. Damascenum *loc. cit.* ly *genus* accipere abusivè, pro illo videlicet, quod enunciatur de pluribus, ad modum specierum differentibus, & in quid; in qua acceptione abusiva, & impropria etiam Ens transcendens commune DEO, & creaturis solet vocitari genus; eò quòd de ipsis prædicetur per modùm generis: non autem accipitur pro genere propriè; hâc ratione enim Ens non dicitur genus; quia non importat realitatem quasi potentialem, contrahibilem per differentias oppositas. *Ad authoritatem* Boëtij respondet bene Scotus *1. dist. 8. q. 3.* Boëtium *loc. cit.* non asserere in DEO Prædicamenta substantiæ, & relationis propriè; sed tantùm velle, quòd modus prædicandi substantiæ, scilicet in quid, seu essentialiter; & modus prædicandi relationis, scilicet ad aliud se habere,

re, in Divinis reperiatur. Responderi etiam potest; quòd in Divinis reperiantur ratio Substantiæ, & relationis transcendentaliter; unde à quibusdam SS. PP. signanter Damasceno *in Elem. cap. 8.* Et Augustino *7. de Trinit. cap. 3.* vocatur *supersubstantia, & superens;* non verò prædicamentaliter. *Ad authoritatem* Philosophi dico, ipsum loqui de DEO, seuDijs more Ethnico, faciendo ipsos quædam animalia, ex subtilibus corporibus, corruptionis tamen expertibus composita; tales Dij, si darentur, utique essent quædam animalia in genere; quoniam autem secundùm veritatem Christianam verus DEUS est expers corporeæ substantiæ, ac infinitæ perfectionis; idcirco non est collocabilis in genere animalis. *Ad secundum* Dist. Ant. DEUS continetur sub aliquo, quod est prædicabile transcendentaliter de pluribus specie differentibus Conc. Ant. quod est prædicabile prædicamentaliter de pluribus specie differentibus Neg. Ant. Itaque Spiritus est quid transcendentale; quiaetiã Deo, seuEnti Divino infinito convenit; non verò est quid prædicamentale. Responderi etiam potest Neg. Ant. nam cùm Spiritus sit quid æquivocum respectu DEI, Angelorum, & animarum (quia secundùm diversas rationes, seu conceptus convenit eis, puta DEO, ut est substantia infinita, Angelis verò, & animabus ut suor substantiæ finitæ) propterea non est prædicabilis de eis ut de pluribus specie differentibus.

7. *Ponibilia in Prædicamento debent esse univoca.*

Dico tertiò: præterea res in Categoria directè ponibiles debent esse entia univoca, ut animal, corpus. Ita Villaver. Columb. Frassen, & alij Scotistæ. Prob. Tum quia ita colligitur ex Aristotele, & Scoto, qui *in Antepradicamentis* distinguunt univoca ab æquivocis, eo fine, ut ostendant sola univoca esse in Categorijs directè reponibilia; non autem æquivoca; uti observant Commentat. *super eadem Antepradicamenta.* Tum quia res in Prædicamento, debet habere essentiam unã; sola autem univoca, non verò æquivoca habent essentiam unam: Ergo &c.

8. *Incomplexa.*

Dico quartò: res locabiles directè in Prædicamentis debent quoque esse incomplexæ, secundùm rem, vocem, & significationem, seu simplicia, ut *substantia, animal.* Ita colligitur ex Scoto *q. 12. univ. Et q. 21.* & sequitur Montursius, Mastrius, Villau. Columb. Frassen, & cæteri Scotistæ.

Probat. Tum quia ita constat ex Philosopho *cap. ult. in Antepradic.* ubi distribuit in decem Categorias illa entia, quæ secundùm nullam complexionem dicuntur; id est quæ sunt incomplexa tam secundùm vocem, quàm secundùm significationem, & rem. Tum quia distinctio, ac constructio Categoriarum facta est ad constituenda prima elementa, & inveniendos simplices conceptus; ut ritè discurrit P. Mastrius hîc: Ergo res, quæ in eis directè locabiles sunt, debent esse incomplexæ.

9. *Entia per se.*

Dico quintò: res in Prædicamentis directè reponibiles debent pariter esse entia per se, ut *homo, albedo* &c. Ita Scotus *q. 2. lib. 1. Periherm.* & sequuntur Tartar. Lamazar, Bonet. Ponc, & communiter Scotistæ alij.

Probatur *primò* authoritate Philosophi; *qui 5. Met. cap. 6.* asserit conclusionem. *Secundò* ratione; res directè reponibiles in Prædicamentis debent habere unam essentiam; quia debent esse vel vera species, vel genus verum, quæ unicã constant essentiã; sed hujusmodi sunt sola entia per se; non verò entia per accidens, quæ pluribus essentijs, & naturis constant, ut homo albus, qui constat essentiã substantiæ, & qualitatis: Ergo res reponibiles in Prædicamentis debent esse entia per se. Præterea constructiones Categoriarum ordinatæ sunt secundùm prædicabilitatem essentialem superiorum de inferioribus, & horum subjicibilitatem ad illa; sed hæc pro entibus per accidens non inserviunt; cùm ex æquo plura significent, v. g. *homo albus*, quæ essentialiter prædicari, & subjici nequeunt: Ergo &c.

10. *Oppositiones expediuntur.*

Objicies *primò*: quantitas discreta est quoddam ens per accidens; quia est collecta ex pluribus: sed hæc est directè in Prædicamento quantitatis collocabilis: Ergo &c. *Secundò*: scientia est quid per accidens; quia collecta ex pluribus habitibus; & tamen ponitur in Prædicamento qualitatis directè: Ergo &c. Respondeo *ad primum* Neg. Maj. cujus ratio apparebit infrà agendo de speciebus quantitatis, ubi ostendetur quantitatem discretam esse ens per se suô modô. *Ad secundum* dico, quòd scientia in quantum ponitur in Prædicamento qualitatis, ut species, dicat unum habitum per se; non verò illam collectionem plurium habituum.

Dico

11. *Sola completa ponuntur directè in Præd.*

Dico sextò: res directè in Prædicamento disponibiles debent similiter esse totales, seu completæ, ut *animal, corpus*. Ita colligitur ex Scoto 2. *dist*. 12. *q*. 1. ubi materiam primam physicam asserit solùm reductivè poni in Prædicamento; eò quòd sit ens incompletum: & *q*. 15. *prædicamentali*, ubi docet idem Doctor de partibus essentialibus, & integralibus universaliter. Doctorem sequuntur Mastrius, Poncius, Frassen, Villaverd. Lamaz. & alij Scotistæ.

Probat. *primò* authoritate Philosophi; qui 7. *Met*. 8. pariter materiam primam excludit à directa positione in Prædicamento, ob ejus intotalitatem, & incompletionem. *Secundò*: in Arbore prædicamentali tum Aristotelis hic; tum Porphyrij *cap. de specie* in linea recta, seu directè locantur mera entia totalia, & completa, puta genera, species, & individua: quæ sunt naturæ completæ: Ergo intendunt isti authores (quorum authoritas summa est hac in parte) res directè in Prædicamento ponibiles debere esse entia totalia, seu completa. *Tertiò*: in directa, seu recta linea prædicamentali ordinantur ea, quæ possunt esse subjecta, vel prædicata formalis prædicationis; nam ibi superiora essentialiter prædicantur de suis inferioribus; & inferiora subijciuntur illis, & recipiunt eorum prædicationes: sed talia possunt esse sola entia totalia, seu completa: Ergo &c.

12. *Quæ completio requiratur.*

Nota autem tertiò ad hoc ut aliqua entia censeantur esse completa, non esse necesse ut sint simpliciter completa; sed sufficit, quòd sint completa saltèm secundùm modum; ita ut recipiant prædicationem essentialem universalis superioris; unde partes similares, & homogeneæ; v. g. plures partes aquæ unius vasis aquâ repleti ponuntur directè in Prædicamento substantiæ; nam quævis pars aquæ est vera aqua, & recipit prædicationem aquæ, tanquam totius integralis, ac superioris; unde per accidens ipsis est; quòd habeant rationem partis, ex eo scilicet quòd commixtæ sint in toto homogeno aquæ, in illo vase contento.

• 13. *Quædam objectiones solvuntur.*

Objicies contra hanc conclusionem: animal est quid incompletum; & non totale; quia est pars metaphysica hominis: & tamen directè ponitur in Prædicamento: Ergo &c. Respondeo etsi animal sit pars metaphysica hominis; attamen simul est quoddam totum potentiale; & completum quoad modum, quare sub hoc respectu ponitur in Prædicamento.

Dices: Differentia metaphysica etiam prædicatur ut quoddam totum potentiale, & tamen non ponitur directè in Prædicamento: Ergo mala solutio. Respondeo Negan. Conseq. quia ad poni in Prædicamento non sufficit, quòd aliquid prædicetur præcisè per modum totius potentialis; sed quòd ulteriùs etiam suscipiat prædicationem graduum superiorum, qui essentialiter in illo includuntur: quod de animali ut parte metaphysica verificatur; non verò de differentia metaphysica, quæ hos gradus non includit; nec de ipsis in quid prædicari potest ut genus, id est per modum perfectantis; sed tantùm per modum adjacentis, determinantis, seu qualificantis.

14. *Unde colligatur completio physica.*

Nota quartò: ex eo colligi, quòd aliqua entia sint totalia, & completa physicè; si nimirum sint talis naturæ, quòd non sint nata concurrere ut partes ad compositionem physicam essentialem, vel integralem faciendam: aut licèt nata sint, tamen denominationem eandem essentialem ejusdem entis, ad quod componendum concurrunt, non recipiunt; sic v. g. trabs concurrens ad integralem compositionem ædificij cum alijs materialibus, non dicitur ædificium ipsum. Tunc verò colligitur aliqua esse completa metaphysicè, si sint tales gradus, ut possint prædicari in quid, & per modum totius potentialis, ac per se stantis; quales gradus sunt genera, & species.

15. *Res directè prædicamentales debent etiā esse entia realia.*

Dico septimò: res in Categorijs directè collocabiles tandem etiam debent esse entia propriè realia; ut *leo, albedo* &c. Ita Scotus passim, & cum eo Scotistæ Mastrius, Frassen, Lamaz. &c. Non intelligitur hìc autem nomine *Entis realis* Ens, quod existeret hìc, & nunc necessariò; quia quæ in Prædicamentis collocantur, abstrahunt ab existentia actuali; quæ quidditativè non involvitur in entibus secundùm Scotum 2. *dist*. 3. *q*. 3. sumitur ergo ly *Ens reale* pro eo, quod saltèm existere potest.

Probat. Tum authoritate Philosophi; qui 5. *Met*. 14. Et rursus 6. *Met*. *tex* 4. partitur Ens in ens in anima, seu rationis, & in ens extra animam, seu reale; & hoc secundum deinceps distribuit per decem Categorias; adeoque vult res in Categotijs

rijs directè collocabiles debere esse Entia realia contenta sub ente reali ut sic. Tum quia Categoriæ sunt quædam constructiones, seu coordinationes illarum rerum finitarum, quæ gaudent verâ essentiâ: talia autem sunt sola Entia propriè realia: Ergo res in categorijs directè collocabiles, debent esse Entia propriè realia. Istæ sunt potissimæ conditiones rerum in Prædicamentis ponibilium directè; quæ pro faciliori captu inclusæ sunt sequentibus versibus:

Vox una sit simplex; gemine non prædita sensu.
Entia per sese, finita, realia, tota.
Ista Categorijs possunt bene verba locari.

16. *Exclusa à directa positione in Prædicam.*

Nota quintò: per ly *finita* ut primam conditionem rerum ponibilium directè in Prædicamento suprà *concl. 2.* assignatam, excludi à directa positione in Prædicamento omne ens Divinum, gaudens infinitate; cujusmodi sunt omnes perfectiones simpliciter simplices in DEO, Attributa, Intellectus, Voluntas, Bonitas, Sapientia &c. item Existentia, Essentia, Trinitas Personarum &c. Per secundam *univoca concl. 3.* positam, excluduntur æquivoca omnia, cujusmodi sunt canis, gallus & similia, quæ diversas habent rationes per idem nomen significatas. Per tertiam *per se concl. 5.* assignatam, relegantur à Categorijs directè entia per accidens, ut *homo albus*, qui componitur ex rebus diversorum Prædicamentorum; cujusmodi etiam sunt omnia artefacta. Per quartam *incomplexa* positam *concl. 4.* secluduntur à linea recta prædicamentali omnia complexa, v. g. *animal rationale*, & universaliter omnes definitiones, & syncategorematica *nullus, nemo* &c. Per quintam *totalia, & completa concl. 6.* adductam, excluduntur ab ijsdem omnia incompleta, ut risibilitas, flebilitas; & generaliter omnes proprietates; item partes physicæ hæterogeneæ sive essentiales, sive integrales, item differentiæ; & in summa omne id, quod habet rationem partis quà talis, & non recipit prædicationem essentialem Universalis superioris; quare etiam animalitas, rationalitas, & corporeitas directè non ponuntur in Prædicamento; cùm sic abstracta retineant rationem partis. Per sextam *realia* restrictam *concl. 7.* exilientur à directa collatione in Prædicamentis negationes, & privationes, quæ entia realia propriè, & in rigore non sunt: item entia rationis ob eandem rationem; & cùm umbræ tantùm sint entium realium: hæc omnia entia exclusa à directa statione Prædicamentali sequentibus versibus referuntur.

Vox artis; consignificans; privatio; fictum;
Pars; DEUS excedens; complexum, Polyphemon.
Ista Categorijs non possunt verba locari.

Per ly *vox artis* intelliguntur opera artificialia; per ly *consignificans* syncategorematica; per ly *privatio* entia omnia negativa, & privativa; per ly *fictum*, entia rationis; per ly *pars*, entia incompleta; per ly *Deus excedens*, entia infinita; per ly *complexum* entia constantia pluribus conceptibus; per ly *Polyphemon* æquivoca, & analoga.

Quæres: quo modo res debeant collocari in Prædicamentis, an in abstracto, vel in concreto? Respondeo, &

17. *In concreto debent poni res substantiales in Prædicam.*

Dico octavò: ea quæ locantur in Prædicamento substantiæ, debent poni in concreto; quæ verò in Prædicamentis accidentium ordinantur debent poni in abstracto non ultimato, servatâ proportione superioritatis & inferioritatis; etsi etiam in concreto possint poni. Prima pars colligitur ex Scoto *q. 16. Univers.* Secunda habetur apud eundem *q. 15. univoc.* Tertia colligitur ex eodem *cit. q. 5.* conclusionem quoq; tenent Lychet. Mastr. Columb. Satnan. & alij Scotistæ communiter.

Probat. prima pars *primà* authoritate Philosophi; qui *cap. de substant.* ponibilia in Prædicamento substantiæ exemplificat in concretis, ut animali, homine &c. Et Porphyrius *cap. de specie* expressit quoque Categoriam substantiæ nominibus concretis; & propterea etiam Arbor prædicamentalis substantiæ communiter ex nominibus concretis substantiæ, corporis, viventis, animalis, hominis, & Platonis conficitur: Ergo &c. *Secundà* ratione: coordinationes Prædicamentorum ità debent institui, ut gradus superior possit essentialiter prædicari de inferiori; & inferior talem prædicationem recipere: sed hoc præstari potest per sola concreta; non verò per abstracta; nam non est bona ista prædicatio, *humanitas est animalitas*; quia naturæ sic in abstracto

ex-

expressæ habent rationem partis, ac entis incompleti: è contra verò bona est hæc prædicatio, *homo est animal*; quia naturæ sic in concreto expressæ habent rationem totius, & completi: Ergo ea, quæ locantur in Prædicamento substantiæ, debent poni in concreto.

18. *Accidentalia verò in abstracto.*

Probat. secunda pars *primò* authoritate Philosophi; qui plures Categorias accidentium coordinavit per non ultimatè abstracta; sic species quantitatis; & qualitatis sub nomine abstracto refert, puta lineam, superficem, corpus, ægritudinem &c. Ergo &c. *Secundò* ratione: coordinationes Categoriarum ita fiunt, ut superiora essentialiter prædicentur de inferioribus: sed in Categorijs accidentium hoc fieri potest per non ultimatè abstracta; unde bonæ sunt istæ prædicationes, *albedo est qualitas*; *justitia est qualitas*: Ergo ea, quæ in Prædicamentis accidentium ordinantur, debent poni in non ultimatè abstracto.

19. *Vel concreto.*

Probat. tertia pars: nam ut bene discurrit Scotus *citat. q. 15.* concreta quædam accidentium possunt per se ordinari sicut superius, & inferius; non quidem concretum sub abstracto, ut album sub qualitate; sed concretum inferius sub concreto superiori; sic ordinatur concretum album sub concreto quali; nam color est qualitas.

DISTINCTIO III.

De primo Prædicamento In Particulari, scilicet Substantia.

PRÆFATIO.

PRimum Prædicamentum in particulari expendendum, ab Aristotele, Porphyrio, & communi assignatur Substantia; & meritò; quia ut dicit Boëtius, Substantia est commune subjectum accidentium; ac proinde prius est examinandum, quàm *reliquæ Categoriæ accidentium: & quia, ut dicit Porphyrius, Substantia est prior prioritate dignitatis; cùm per se existat: non sic alia Prædicamenta: & quia, ut ait Philosophus* 7. Met. cap. 1. text. 4. *Substantia est prior accidentibus cognitione, & definitione. Quare de ea fit.*

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De acceptionibus; definitione; existentia; & ratione formali Substantiæ.

1. *Quid nominis substantia.*

NOta primò: hujus vocabuli *Substantia* duplicem reperiri ethymologiam, ut observat Isidorus *lib. 2. ethymolog.* Prima est à *substando*, quam quoque affert Philosophus *5. Met. cap. 8.* Et Scotus *2. dist. 8 q. 3.* eò quòd Substantia substet accidentibus velnti basis, ac fundamentum eorum, sinè quo nequeunt naturaliter existere. Secunda est *à subsistendo*, eò quòd Substantia per se subsistat, ut advertit Seraphyeus Doctor D. Bonaventura, Utraque derivatio est bona.

2. *Varia acceptiones substantia.*

Nota secundò: DD. varias solent afferre usurpationes hujus vocis *Substanstantiæ*; principaliores ad propositum sunt sequentes ex Philosopbo *cap. de substan.* Et *5. Met. cap. 8. text. 15.* Et Scoto varijs in locis. *Primò* enim accipitur pro fundamento, & basi cujuslibet rei; hoc sensu ab Apostolo ad Hebr. *11. Fides* dicitur *substantia sperandarum rerum*; quia in ea fundatur Christiana Religio. *Secundò* pro essentia; & quidditate rei, sive sit substantia, sive accidens; hoc sensu sumitur à Philosopho *lib. de prædicam. cap. 1.* in definitione Univocorum dicente, *Univoca sunt, quorum nomen est commune, & ratio substantiæ* (id est essentia, & quidditas) *secundùm nomen est eadem.* *Tertiò* usurpatur pro eo, quod habet esse à se; hoc sensu convenit soli DEO, qui solus est à se, & Substantia habens esse per se Essentiam, juxta illud Exod. *3. qui est, misit me ad vos*; reliqua verò entia sunt Substantiæ habentes esse per participationem. *Quartò* sumitur pro qualibet re per se existente; prout *per se* distingvitur contra *esse in alio* tanquam accidens in subjecto; hoc sensu omnes creatæ Substantiæ tam completæ, quàm incompletæ cujusmodi sunt partes physicæ, & metaphysicæ, veniunt nomine Substantiæ. *Quintò* tandem accipitur pro Substantia per se existente, prout ly *per se* importat completam duntaxat Substantiam; qualis est homo, leo &c.

3. *Quid substantia communiter, communiùs & communissimè.*

Nota tertiò: Substantia in hac quarta acceptione tripliciter solet à DD considerari, scilicet communiter, communiùs, & communissimè. *Communiter*, quando consideratur ut comprehendens solas substantias completas finitas corporeas sive viventes, sive nō viventes. *Communiùs*, quando consideratur ut complectens omnes substantias completas tam corporeas, quàm spirituales. *Communissimè* quando consideratur ut comprehendens tam Substantiam infinitam, quàm finitam completam.

4. *Substātia completa communiùs accepta est supremum genus hujus Categoriæ.*

Dico primò: supremum genus, seu genus generalissimum hujus primæ Categoriæ est sola Substantia completa, communiùs accepta, id est comprehendens omnes Substantias completas, finitas, tam corporeas, quàm spirituales. Ita Scotus *q. 14. & 15. prædicam.* Et *4. dist. 6. q. 10.* Et *1. dist. 8. q. 3.* Et sequuntur Bonetus, Columb. Mastr. Montursf. Frassen, Fuente, & alij Scotistæ, atque Thomistæ, ac P. Alensis, Tolet. Conimbr. & RR. communiter; contra Averro. Jandun. Niphum. Duran. & Albertum Mag. statuentes pro genere generalissimo Prædicamenti Substantiæ solam Substantiam corruptibilem, & corpoream; & contra Marsil. Major, Gregor. Bacconum, & alios Nominales, decretantes pro supremo genere hujus Prædicamenti Substantiam communem creatæ, & increatæ.

Probat. primò: illud est statuendū pro supremo seu generalissimo genere primæ Categoriæ, quod continet sub se omnia genera, species, & individua Substantiæ completæ, & ipsum à nullo continetur genere; de ratione enim generis supremi seu generalissimi est tam illa continentia, quàm præeminentia, ita ut à nullo alio genere contineatur: sed sola Substantia communiùs accepta, quatenus scilicet comprehendens omnes Substantias completas finitas, tam corporeas, quàm spirituales, continet sub se omnia genera, species, & individua Substantiæ completæ, & ipsa à nullo alio genere continetur: Ergo hæc est supremum, seu generalissimum genus hujus primæ Categoriæ. Prob. Min. In prima Categoria reponuntur nedum Substantiæ omnes corporeæ, ut DD. communiter concedunt; sed etiam incorporeæ seu spirituales: sed tales neque-

quit continere ulla alia Substantia creata, quàm Substantia communiùs accepta, quatenus scilicet comprehendens omnes Substantias completas finitas, tam corporeas quàm Spirituales: Ergo ipsa continet sub se omnia genera, species, & individua Substantiæ completæ. Maj. patet ex Philosopho 5. *Met. text.* 15. docente in Prædicamento Substantiæ reponi corpora tam simplicia, cujusmodi sunt quatuor elementa, quàm etiam mixta ex simplicibus, & etiam Dæmonia, quæ sunt Substantiæ quædam spirituales: Ergo in prima Categoria reponuntur nedum Substantiæ omnes corporeæ; sed etiam incorporeæ, seu spirituales.

Probat. secundò ex improbabilitate aliarum sententiarum: nam imprimis Substantia corruptibilis & corporea improbabiliter assignatur pro genere generalissimo hujus primæ Categoriæ; cùm Substantiæ incorruptibiles, & spirituales æquè reponantur in Prædicamento, ut patuit ex Philosopho *loc. cit.* Et 8. *Met.* 1. ubi Intelligentias in Prædicamento Substantiæ collocat. Et est ratio; quia tales Substantiæ habent omnes conditiones, postulatas ad ens reponibile in Prædicamento; sunt enim entia realia, per se, completa, incomplexa, finita, & univoca: Ergo &c. *Secundò* improbabiliter etiam assignatur pro supremo genere hujus Categoriæ Substantia communis creatæ, & increatæ; quia sequeretur, etiam DEUM poni sub genere prædicamentali Substantiæ, quod D. August. 7. *de Trinit. cap.* 5. negat; & falsum esse *dist. priori q.* 3. *conclus.* 2. ostensum est, ampliúsque ostendetur infrà *q.* 3. Ergo &c.

5. *Contrà objectiones responde-tur.*

Objicies primò fundamentum principale Averroistarum: corruptibile & incorruptibile differunt genere: ut patet ex Philosopho 10. *Met. text.* 26. sed Substantia corporea est corruptibilis; incorporea verò seu spiritualis est incorruptibilis: Ergo differunt genere: & consequenter Substantia completa finita non erit genus generalissimum respectu earum. Respondeo Dist. Maj. & simul explicando authoritatem Philosophi, corruptibile, & incorruptibile differunt genere physicô Conc. Maj. genere logicô Neg. Maj. Substantia autem completa finita, quæ ponitur genus generalissimum hujus Prædicamenti, est genus logicum, in quo non differunt corruptibile, & incorruptibile. Per *genus Physicum* hic intelligitur materia prima, quæ ob sui potentialitatem physicam ad varias formas, vocatur genus; sicut animal ob sui potentialitatem dicitur genus: differunt ergo genere physicô corruptibile, & incorruptibile; quia corruptibilia non habent eandem materiam physicam cum corruptibilibus. Per *genus verò Logicum* intelligitur illud, quod est prædicabile de pluribus specie differentibus in quid; & tali genere non differunt corruptibile, & incorruptibile; quia Substantia ut sic completa finita communiùs accepta in quid prædicabilis est de utroque. Circa secundum articulum quæst.

6. *Definitio substantiæ.*

Dico secundò: benè describitur Substantia, quatenus est genus generalissimum hujus primæ Categoriæ; quòd *sit Substantia ens prædicamentale reale, finitum, completum, per se existens, & ineptum inhærere alteri tanquam subjecto inhæsionis.* Est ad principia Philosophi *cap. de Substantia*, & Scoti *Quodlib.* 3.

Probat. hæc descriptio ritè explanat naturam Substantiæ ut constituit supremum, & generalissimum genus hujus primi Prædicamenti: Ergo &c. Ly *Ens* ponitur pro quasi genere: reliqua pro differentia. Dicitur *Ens prædicamentale*, ut excludantur Substantiæ non prædicamentales, id est transcendentales, qualis reperitur in DEO, quæ non est Substantia hujus Prædicamenti; sed *supersubstantia*, ut loquitur S. Damasc. *in Elem.* & alij PP. Dicitur *reale*, *finitum*, *completum*, ut exprimantur tres communes conditiones omnium supremorum generum, seu Prædicamentorum, quæ sunt realitas, finitas, & completio, & explicatæ sunt *priori dist. q.* 3. Additur *per se existens* ad ostendendum, supremum genus hujus Prædicamenti dicere independentiam ab omni alio creato in ratione, existendi absque omni subjectô; & propterea ad majorem ejus claritatem, ejúsque differentiam ab alijs supremis generibus aliarum Categoriarum apponitur in descriptione data, *& ineptum inhærere alteri &c.* Circa tertium articulum quæst.

7. *Existunt substantiæ.*

Dico tertiò: Existunt Substantiæ prædicamentales. Ita communis Peripatetic.

Probat. Experientiâ constat quædam accidentia migrare de subjectô, & alia eidem accedere, manente tali subjectô inva-

Gg

invariatô; sic calor recedit ex aqua, & frigus accedit invariatâ aquâ; sic ad parietem accedit albedo, & recedit nigredo, pariete invariatô: sed tale subjectum est Substantia prædicamentalis, quæ proinde etiam ab hujusmodi munere substandi accidentibus nomenclaturam *Substantiæ* sortita est; ut bene observat Scotus *2. dist. 8. q. 3.* Ergo extant Substantiæ prædicamentales. Circa quartum articulum.

8. *Perseitas est ratio formalis substantiæ.*

Dico quartò: ratio formalis constitutiva Substantiæ prædicamentalis est perseitas, seu quòd sit ens per se existens. Ita colligitur ex Scoto *Quodlib. 3. §. respondeo* Et *1. dist. 3. q. 3.* & sequuntur Villaverde, Lamazar. Fuente, Vansichen, & alij Scotistæ, ac Thomistæ.

Probatur primò authoritate S. Augustini; qui *cap. 9. Categ.* ait; *Substantia propriè dicta est, quæ neque in subjecto est, neque de subjecto significatur*; ubi illæ negationes binæ perseitatem Substantiæ describunt; nam quod in alio non est, per se asseritur esse: Ergo &c.

Probatur secundò ratione: Tum quia illud est ratio formalis constitutiva alicujus rei, quod per se primò convenit rei, eamque distingvit: sed perseitas per se primò convenit Substantiæ, eamque distingvit: Ergo &c. Min. patet ex eo, quòd nil possit assignari, quod magis primò conveniret Substantiæ, eamque distingveret, quàm perseitas: Ergo &c.

9. *Perseitas nō est respectus transcendentalis.*

Dico quintò: hæc Perseitas non est formaliter aliquis respectus transcendentalis, seu aptitudinalis, quem Substantia haberet ad sustinenda accidentia; neque consistit in pura negatione inhærentiæ in alio; sed in formalitate quadam positiva, ad quam hujusmodi negatio inhærentiæ sequitur. Ita Scotus *1. dist. 3. q. 3.* & sequitur Lamazares, Vansichen, Poncius, & alij Scotistæ, ac Averfa, & nonnulli alij moderni. Prima pars est contra Boëtium; secunda contra Soncinnat.

Probatur prima pars: Tum quia Substantia prædicamentalis est quid absolutum: Ergo ejus ratio formalis constitutiva, quæ *perseitas* dicitur, non est formaliter aliquid relativum, cujusmodi esset respectus transcēdentalis, seu aptitudinalis, quem Substantia haberet ad sustentanda accidentia. Tum quia istiusmodi respectus aptitudinalis convenit etiā accidenti, puta quantitati quæ est apta recipere, & sustentare alia accidentia: Ergo nequit esse formaliter Perseitas, & ratio constitutiva Substantiæ: Consequentia tenet; quia ratio formalis unius constitutiva, non est ratio formalis constitutiva alteri convenientis. Tum quia omnis respectus transcendentalis præsupponit in Substantia aliquod positivum, ratione cujus potiùs Substantiæ, quàm accidenti conveniat: Ergo illud præsuppositum debet assignari pro ratione formali perseitatis. Tum tandem quia implicat ex absoluto, & relativo fieri ens unum per se; sicuti est Substantia: sed si ratio formalis Substantiæ Perseitas esset quidam respectus transcendentalis, ex absoluto & relativo fieret ens unum per se: Ergo &c.

10. *Neg. negatio.*

Probatur secunda pars: omnis negatio, quæ competit alicui necessariò, & inseparabiliter, præsupponit aliquod positivum in re, ratione cujus huic potiùs, quàm alteri conveniat: Ergo etiam ista negatio inhærentiæ in alio, quæ competit Substantiæ, debet præsupponere aliquid positivum in ea, ratione cujus illi potiùs convenit; quàm alteri: adeoque illud positivum erit formaliter Perseitas Substantiæ. Ant. patet de negatione irrationalitatis in homine, quæ præsupponit positivum rationalitatis. Tum quia Substantia est quid positivum: Ergo ejus ratio formalis constitutiva perseitas nequit esse formaliter aliquid negativum.

11. *Objectio enucleatur.*

Objicies: quidditas, & essentia Substantiæ nequit explicari, nisi per negationem inhærentiæ, seu non esse in alio: Ergo est formaliter ipsa Perseitas. Respondeo Neg. Conseq. quia etiam essentia bruti nequit nobis explicari debitè, nisi per negationem rationalitatis; & tamen hujusmodi negatio non est formaliter ipsa ratio constitutiva bruti: sic etiam DEUS explicatur per modos intrinsecos negativos infinitatis, immensitatis, incomprehensibilitatis; & tamen hi non sunt ratio formalis contitutiva DEI. Sic etiam relatio nequit explicari sinè termino cointellecto; & materia prima sinè forma cointellecta; & causa sinè effectu: & tamen nec terminus est ratio formalis relationis, nec forma ratio materiæ primæ; nec effectus ratio causæ: Ergo idem dicendum in proposito de negatione inhærentiæ.

12. *Sed formalitas quædā positiva.*

Probatur tertia pars: Tum quia nequit meliùs explicari Perseitas Substantiæ, quàm per aliquam formalitatem positivam, ad quam sequitur negatio inhærentiæ

tiæ in alio ut subjecto inhæsionis; uti patet ex mox rejectis duabus sententijs Soncinatis, & Boëtij: Ergo perseitas Substantiæ consistit in ejusmodi formalitate positiva. Tum quia eò ipsò, quòd quis concipiat enti advenire aliquam formalitatem positivam, ad quam tanquam ad radicem sequitur negatio, & ineptitudo ad inhærendum, hòc ipsò intelligit, quod constitutum ex ente, & tali formalitate positiva sit quid per se existens; & consequenter Substantia formaliter: Ergo perseitas formaliter est formalitas quædam positiva, ad quam sequitur negatio inhærentiæ.

QUÆSTIO II.

De Divisionibus Substantiæ; ac de Arbore prædicamentali ejusdem.

1. *Quid sit substantia prima, & secunda.*

Nota primò: Philosophus *cap. de Substantia* (& post ipsum Scotus ibidem *q. 12.* & rursus *Quodlib. 3.*) divisit primò Substantiã in primam & secundam. Per *Substantiam primam* Philosophus probabiliùs intellexit singularem Substantiam v. g. Platonem, Paulum, Brunellum &c. Per *Substantiam secundam* Substantiam universalem v. g. genus, speciem &c. circa hanc divisionem altercantur AA. sed breviter.

2. *Qualis sit divisio Substantiæ in primam, & secundam.*

Dico primò: Probabiliùs est, divisionem Substantiæ in primam, & secundam esse subjecti in accidentia intentionalia. Ita Scotus *q. 12. prædicam.* in fine. Et sequuntur Ant. Andreas, Columb. Montursf. Fuente, Sarnan. Burlæus, & alij Scotistæ complures, contra Lovan. Albert. Mag. Cajetan. Fland. & ex nostris Tartaretum.

Probatur: Tunc censetur esse divisio subjecti in sua accidentia intentionalia, quando subjectum dividitur in ea, quæ sibi accidunt intentionaliter: sed dum dividitur Substantia prædicamentalis in primam, & secundam, dividitur in ea, quæ sibi accidunt intentionaliter, scilicet in secundas intentiones generis, & speciei, quæ dicuntur Substantiæ secundæ universales; & in intentionem secundam singularis, quæ dicitur Substantia prima: Ergo divisio Substantiæ in primam, & secundam est subjecti in accidentia intentionalia. Probat. Min. secundæ intentiones universalis generis, & speciei; item secunda intentio singularis individui sunt relationes rationis, ab actu collativo intellectûs negotiatæ, & attributæ Substãtiæ prædicamentali primò intentionaliter sumptæ sub diversis habitudinibus: Ergo accidunt Substantiæ prædicamentali.

3. *Substãtia spiritualis cum suis speciebus.*

Nota secundò: præter mox allatam Divisionem, extant apud Porphyrium *in ejus Arbore*, & Philosophos passim aliæ complures Divisiones Substantiæ prædicamentalis in varia genera subalterna, species subalternas &c. ex quibus principaliores sunt sequentes. *Primò* S. Augustinus *lib. 83. qq. q. 6.* divisit Substantiam in corpoream, & incorpoream. *Incorporea* subdividitur in tres Hierarchias Angelorum, complectentes novem Ordines; de quibus fusiùs in Theologia meâ *tom. 1. tract. de Angelis*; in prima Hierarchia est ordo Seraphinorum, ordo Cherubinorum, & ordo Thronorum. In secunda est ordo Dominationum, ordo Virtutum, & ordo Potestatum. In tertia est ordo Principatuum, ordo Archangelorum, & ordo Angelorum: ex omnibus his ordinibus nonnulli sunt primitùs lapsi cum Lucifero, & damnati. Deinde etiam dividitur in animas rationales Platonis, Petri, Pauli, Bernardi, quæ sunt alterum membrum hujus primæ divisionis. Similiter *Substantia corporea* subdividitur in corruptibilem, & incorruptibilem naturaliter. *Incorruptibilis* naturaliter partitur in varios Orbes cælestes Lunæ, Mercurij, Veneris, Solis &c. de quibus abundè *tom. 2. tract. de fabrica mundi, & cæli dist. 2. q. 5.* & in varias classes syderum, atque planetarum.

4. *Substantia corruptibilis membra.*

Substantia corruptibilis verò partitur in mixtam, & simplicem. *Simplex* subsecatur in quatuor elementares Substantias. *Mixta* subdividitur in viventem, seu animatam; & non viventem, seu inanimatam. *Mixta non viventia* alia sunt perfectè mixta; sub his continentur omnes species, & individua solida lapidum, tam naturalium, cujusmodi sunt tum pretiosi ut adamas, saphirus, smaragdus,

dus, onyx &c. tum non pretiosi, ut silex, marmor, saxum &c. quàm artificialium, puta laterum, tegularum, &c. item omnia genera, species, & individua solida metallorum, puta auri, argenti, æris, cupri, stanni &c. sub iisdem perfectè mixtis continentur quoque mixta liquida tam naturalia, cujusmodi est vinum, sulphur, & bitumen, quàm artificialia, cujusmodi sunt cerevisia, acetum, sicera, mulsum, & similia potagia. *Mixta non viventia* iterum alia sunt imperfectè mixta, ut meteora; quorum species sunt meteora ignea, aquea, aëra; de quibus fusè *tom. 2. tract. de meteoris.* Sub igneis continentur fulmen, tonitru, fulgur, trabs, draco volans, capræ saltantes, stellæ volantes, cometæ &c. sub aqueis nubes, pluvia, grandines, nives, pruina, ros &c. sub aëreis omnis venti species, ut turbines, Auster, Aquilo &c.

5. *Inferiora non sensitiva subs.*

Substantia mixta vivens seu *animata* dismembratur in sensitivam, & non sensitivam. *Non sensitiva* complectitur omnia genera, species, & individua plantarum. Ex Plantis autem aliæ sunt arbores; & hæ sunt vel steriles, ut populus, salix, ulmus &c. vel sunt fœcundæ, ut pyrus, malus, cerasus, amygdalus &c. Aliæ sunt frutices, ut vepres, genista &c. Aliæ sunt herbæ; quarum variæ sunt species, omnes autem sunt vel odoriferæ, ut hyssopus, levandula &c. vel sunt medicinales, ut senna potentilla, herba The; vel sunt nutrivæ, ut lactucæ, caules &c. Aliæ sunt flores, ut rosa, tulipa; narcissus, caryophilum. Aliæ tandem radices; cujus plures sunt species; ut cicboria, mechoacanna, gialappa, rhabarbarum &c.

6. *Et sensitiva.*

Substantia sensitiva contrahitur ad animal, cujus species sunt rationale, & irrationale. *Irrationale* comprehendit sub se quatuor classes animalium, puta ignitorum, aëreorum, aqueorum, & terreorum. Sub ignitis sunt Salamandræ, & certæ muscæ, quæ dicuntur in igne vivere. Sub aëreis sunt omnes species, & individua avium; ut aquila, corvus, alauda, turdus, gallinæ &c. sub aqueis sunt innumeræ sortes piscium, ut salmo, carpio, truta &c. sub terreis tandem sunt omnia reptilia, v. g. vermes, scorpiones, serpentes &c. Item omnia gressilia, ut bos, leo, lepus &c. *Rationale* est species infima animalis, & dicitur homo, cujus individua sunt Bernardus, Franciscus, Antonius &c. Ex his

7. *Coordinatio omnium substantiarum in schemate Arboris.*


Nota tertiò: ut appareat magis multiplex præmissa divisio Substantiæ ut sic prædicamentalis tanquam generis generalissimi, ejusdemque coordinatio secundùm subjicibilitatem, & prædicabilitatem; ac designatio eorum, quæ directè, & quæ indirectè, seu ad latus ponuntur in Prædicamento Substantiæ; construo sequentem Arborem prædicamentalem; in quo ea, quæ pro radicibus collocantur, individua sunt; super ista disponitur species infima; super hanc ordinantur variæ intermediæ Substantiæ, quæ species subalternæ, & genera subalterna vocantur: *hæ genera* dicuntur, quatenus respiciunt aliqua inferiora; *Species* verò, quatenus respiciunt aliqua superiora. Ponuntur etiam quædam à latere hinc inde; & quæ à latere A. ponuntur, ista vocantur differentiæ divisivæ superioris, & constitutivæ simul graduum inferiorum, quæ sunt in linea recta: quæ verò à latere B. collocantur, dicuntur differentiæ tantù divisivæ, seu contractivæ superioris; unde nullum gradum inferiorem possunt constituere: sic v. g. hæc differentia corporeorũ posita à latere A. est contractiva Substantiæ, & simul constitutiva corporis in linea recta positi: Differentia verò *Incorporeorũ* est tantùm contractiva Substantiæ; & non constitutiva alicujus, quod poneretur in linea recta prædicamentali hujus Arboris Prædicamenti Substantiæ. In apice tandem hujus Arboris situatur genus generalissimum, seu supremum. In eadem Arbore componenda essent collocanda multò plura alia genera subalterna, species subalternæ, infimæ, & varia individua earundem juxta præmissum *Not. 2.* sed ob schematis arctitudinem commodè & distinctè fieri non potuit; quare pro discipulorum captu sufficiat præsens coordinatio.

sub Fig. V.

QUÆ-

fig. V.

ARBOR PRÆDICAMENTALIS SUBSTANTIÆ



QUÆSTIO III.

An DEUS; Angeli; & corpora cœlestia sint sub genere Substantiæ?

Circa primum punctum quæstionis jam suprà *dist. 2. q. 3. concl. 2.* examinando conditionem finitatis necessariam ad posse poni in Prædicamento, dictum est, DEUM non posse poni in Prædicamento; sed quoniam complures RR. & Nominales contrarium acerrimè defendunt; placet hoc ipsum punctum amplius elucidare hic, ubi proprius locus est. Itaque

1. *DEUS non est in Prædic. Substantiæ.*

Dico primò: DEUS propriè non ponitur sub genere, & Prædicamento Substantiæ. Ita Scotus *4. dist. 8 q. 3.* Et *in Report. dist. 8. q. 5.* Et sequuntur Vulp. Booet. Faber, Villaverde, Columb. Mastr. & communis Scotist. ac S. Thomas *lib. 1. contra gent. cap. 24.* &c. contra nominales & Arriag. Aversf. Hurt. Vasq. &c.

Probat. primò omnibus rationibus, suprà *dist. 2. q. 3. concl. 2.* allatis: quibus adde *primò* authoritatem D. Augustini *7. de Trin. cap. 5.* dicentis, *Manifestum est DEUM abusivè substantiam vocari:* & affert rationem; quia Substantia prædicamentalis est illa propriè, quæ potest substare accidentibus; uti patet ex ejus ethymologia, ab Isidoro suprà allata: sed DEUS non potest substare accidentibus; aliàs esset mutabilis; Ergo DEUS non est propriè Substantia; & consequenter non est sub genere, & prædicamento Substantiæ. Et propterea idem S. Doctor *4. Confess. cap. ult.* veniam postulat à DEO, eò quòd quandoque existimaverit, DEUM coarctari in Prædicamentis.

Secundò; alij quoque SS. PP. excludunt à genere, & Categoria Substantiæ DEUM; ut D. Dionysius *cap. 4. de Divin. nomin.* Et S. Cyrillus *1. Thesau. cap. 4.* Et S. Damascenus, Lactant. aliíque. Et colligitur ex Philosopho, qui *cap. de substan.* docet, omnem Substantiam, quæ in Categoria Substantiæ locatur, substare accidentibus: DEUS autem, ut dictum est, nequit substare accidentibus: Ergo &c.

Tertiò: quod ponitur sub genere Substantiæ, includit Substantiam ut genus; & consequenter ut partem: sed DEUS, qui est simplicissimus, non includit rationem partis: Ergo &c. Item DEUS est ens infinitum: adeoque tale, cui nil potest addi: sed quod ponitur sub genere Substantiæ, illi potest aliquid addi, puta differentia contractiva talis generis: Ergo &c.

2. *Objectiones.*

Objicies *primò*: S. Augustinus adversatur conclusioni; nam *5. de Trinit. cap. 8.* ait, quædam Prædicamenta dici propriè de DEO, scilicet Substantiam Relationem, & Actionem; cætera verò impropriè. *Secundò* DEUS participat Substantiæ rationem; cùm sit ens per se existens, & subsistens: Ergo &c. *Tertiò* ex Philosopho *3. Top. cap. 1.* DEUS, & homo conveniunt in prædicatis communibus, cujusmodi est etiam Substantia: Ergo &c. *Quartò* Substantia spiritualis continetur sub genere Substantiæ: sed DEUS est Substantia spiritualis: Ergo &c.

3. *Resolutio.*

Respondeo *ad Primum* Neg. Ant. & glosso authoritatem D. Augustini quòd *cit. loc.* solùm velit, aliqua Prædicamenta dici de DEO ex usu Philosophorum quorundam; quatenus scilicet præcisis imperfectionibus DEO conveniat ratio Substantiæ, Relationis, & Actionis; non autem in sensu proprio, quò sola entia finita in Prædicamentis collocantur. Vel dic S. Augustinum hanc opinionem retractâsse, uti constat ex *4. Confess. citato* suprà. *Ad secundum* dico, DEUM participare rationem Substantiæ tantùm transcendentalis, non autem prædicamentalis; unde D. Augustinus *7. de Trinit. cap. 5.* DEUM appellat *Supersubstantiam*; & S. Damascenus *lib. 1. de fide cap. 8. Substantiam supereminentem.* *Ad Tertium* est eadem resolutio; quòd scilicet DEUS conveniat cum homine in prædicato communi transcendentali tantùm Substantiæ; non autem in prædicamentali. *Ad Quartum* Dist. Maj. Substantia spiritualis finita, & limitata continetur sub genere Substantiæ Conc. Maj. infinita & illimitata Neg. Maj. DEUS autem est Substantia spiritualis infinita.

4. *Neq. attributa & alia in Deo ponuntur in Præd. Subst.*

Ex dictis infertur; neque etiam attributa, modos intrinsecos DEI, Trinitatem Personarum, & alia ad DEUM spectantia reductivè poni sub Prædicamento Substantiæ. Ratio est primò; quia si DE-

DEUS secundum suam essentiam, & naturam non ponatur directè sub Prædicamento Substantiæ; neque ea, quæ cum ipsa sunt identificata, reductivè poni poterunt sub eodem Prædicamento. Ratio est secundò; quia attributa DEI, ejusque modi intrinseci &c. non habent rationem incompletam partis, aut entis imperfecti (quod requiritur ad posse saltèm reductivè poni in Prædicamento) cùm DEUS per omnia sit ens simplicissimum, completissimum, & perfectissimum: Ergo præfata Entia Divina reductivè non ponuntur in prædicamento Substantiæ.

5. Bene tamen Angeli.

Dico secundò: Angeli, seu Intelligentiæ ponuntur sub genere, & Categoria Substantiæ. Ita Scotus *4. dist. 6. q. 10.* Et *1. dist. 8. q. 2.* Et *2. dist. 3. q. 6.* Et sequitur communis Scotistarum; ac Alens. & RR. contra Comment. Joan. de Gand. Ægid. Rom. Albert. Mag. Averro. Niph. & Zabatellum.

Probatur *primò* authoritate Philosophi; qui *8. Met. cap. 1.* Intelligentias collocat sub genere prædicamentali Substantiæ. Et *5. Met. cap. 8.* Dæmones recenset inter eas Substantias, quæ in Prædicamento Substantiæ locantur: Ergo &c. *Secundò* ratione: Angeli, seu Intelligentiæ continentur sub differentia incorporea divisiva Substantiæ; ut patuit suprà in *Arbore prædicamentali Substantiæ*; & meritò; quia Angeli reverà Substantiæ quædam incorporeæ sunt; ut determinatum est in Concil. Lateran: relato *cap. firmiter de sum. Trinit. & Fide Catholica.* Et quia sunt entia finita, realia, tota, per se, & univoca, quæ secundùm Philosophum *5. Met. Tex 14.* possunt poni in Categoria Substantiæ.

6. Oppositiones afferuntur.

Objicies *primò*: Philosophus adversatur conclusioni: Ergo &c. Probat. Ant. Philosophus *12. Met. text. 42.* docet, Intelligentiam non esse capacem recipiendi accidentia: Ergo non est Substantia collocabilis sub genere, & Categoria Substantiæ. Item idem Philosophus vocat Angelos puros actus: sed quod ponitur sub genere Substantiæ, non est purus actus: Ergo &c. *Secundò*; quod est sub genere Substantiæ, debet esse susceptivum contrariorum: sed Angeli non sunt susceptivi contrariorum: Ergo &c. *Tertiò*; omnis Substantia sub genere Substantiæ collocabilis est composita: sed Angeli non sunt compositi; cùm sint entia simplicia: Ergo &c.

7. Et resolvuntur.

Respondeo *ad Primum* Neg. Ant. ad primam authoritatem Philosophi dico, ipsum *loc. cit.* solùm velle, quod prima Intelligentia, quæ est DEUS, non sit capax substandi accidentibus. *Ad secundam authoritatem ejusdem* dico, ipsum ideo duntaxat Angelos vocare actus puros; quia carent potentiâ physicâ materiali; & quia non habent potentiam contradictionis ad essendum, vel non essendum; eò quòd sint incorruptibiles, & immateriales. *Ad secundum Objectum* Neg. Min. quia Angelus est susceptivus amoris, & odij, quæ sunt accidentia contraria. *Ad tertium* Dist. Min. Angeli non sunt compositi ex materia physica, & forma physica Conc. Min. ex materia, & forma metaphysica; id est genere, & differētia Neg Min. Itaq; Angeli nō sunt naturæ ita simplices, quò minùs nō sint compositæ metaphysicè ex genere, & differentia.

8. Cœli & astra sunt in Categoria Substan.

Dico tertiò: similiter Orbes cœlestes, omniaque corpora cœlestia locantur in Prædicamento Substantiæ. Ita colligitur ex Scoto *4. dist. 6. q. 10.* & sequuntur Columb. Tartar. Villaver. Mastr. & communis Scotistarum; contra Averro. Gandau. Albert. &c.

Probatur primò authoritate Philosophi; qui *5. Met. text. 15.* inter entia prædicamentalia Substantiæ, etiam commemorat corpora cœlestia. Et *12. Met. cap. 2.* ubi sub Substantia incorruptibili enumerat quoque cœlos: Ergo &c. Secundò ratione: Orbes cœlestes, omniaq; corpora cœlestia habent solitas conditiones ad poni in Prædicamento; sunt enim entia finita, realia, tota, univoca, per se &c. Ergo &c. Præterea eadem corpora substant diversis accidentibus, puta quantitati, qualitati, lumini, raritati &c. Ergo signum est ea esse sub Categoria Substantiæ; uti clariùs apparet *in Arbore ejus prædicamentali, relata q. 2.*

9. Objectio evincitur.

Objicies: corpora cœlestia juxta Aristotelem *1. cæli cap. ult.* sunt æterna; quia in eis non est potentia: Ergo carent genere, quod est potentiale: & consequenter non sunt in Prædicamento, seu genere Substantiæ. Respondeo Dist. Ant. cœli sunt æterni in hoc sensu quatenus à nullo agente naturali possunt corrumpi Conc. Ant. quatenus à nullo prorsus agente etiā supernaturali possūt corrumpi Neg. Ant. Itaq; cœli saltèm à DEO possunt corrumpi; unde adhuc habent potentiam remotam ad corrumpi.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De Proprietatibus Substantiæ.

1. Prima proprietas Substantiæ.

ARistoteles *cap. de substantia* affert sex proprietates, affectiones, seu attributa Substantiæ pro clariori ejus notitia capessenda eas hac quæst. elucidabo.

Prima proprietas Substantiæ est, *non esse in subjecto*; id est non inhærere subjecto: quia Substantiæ repugnat inhærere alicui subjecto; cùm sit essentialiter ens per se existens. Hæc proprietas, seu attributum convenit omni Substantiæ, id est tam infinitæ, quàm finitæ; tam completæ, quàm incompletæ; tam primis, quàm secundis; licèt enim Substantiæ secundæ dicantur de subjecto; in eo tamen non sunt; quia natura universalis non inhæret suis inferioribus; sed potius illa constituit quidditativè.

2. Secunda.

Secunda est, *univocè prædicari de suis inferioribus*; id est secundùm idem nomen, & eandem rationem. Hæc proprietas solis Substantijs secundis, seu universalibus convenit; sic v. g. homo ut species, est prædicabilis univocè de Platone, Socrate &c. nam Substantiæ primæ, seu singulares v. g. Plato de nullo prædicantur. Eadem affectio convenit etiam accidentibus universalibus, ea siquidem prædicati possunt univocè; sic v. g. color est prædicabilis de albedine, & nigredine.

3. Tertia.

Tertia est, *significare hoc aliquid*, id est significare aliquid determinatum, & singulare, non communicabile ulteriùs. Hæc proprietas convenit tantùm primæ Substantiæ; quia ipsa sola est propriè hoc aliquid, seu singulare; unde etiam ejusmodi Substantiæ solent ut plurimùm indigitari proprijs nominibus, v. g. Substantiæ singulares humanæ solent vocari Plato, Franciscus, Bernardus, &c.

4. Quarta.

Quarta est; *non habere contrarium*, id est ut una Substantia alteri non sit propriè contraria ratione sui; sed solùm ratione diversarum qualitatum, & dispositionum, quæ latitant in Substantijs. Una itaque Substantia non contrariatur propriè alteri, eam expellendo à subjecto, sicut calor solet expellere frigus; cùm Substantia in nullo sit subjecto inhæsivè. Quare licèt aqua, & ignis pugnent inter se; non tamen pugnant ratione Substantiæ; sed ratione qualitatum puta caloris, & frigoris; ut habet Scotus *10. Met. q. 14.* Hæc affectio non solùm Substantiæ prædicamentali completæ; sed etiam incompletæ puta materiæ primæ; imò & quantitati, ac alijs convenit.

5. Quinta.

Quinta est, *non suscipere magis, & minus*; id est, ut nulla Substantia intendatur, & remittatur respectu sui, sicut accidentia; non enim Plato est hodie magis homo, quàm heri. Dixi *respectu sui*; quia respectu alterius datur magis, & minus inter Substantias; seu potius majus, & minùs; nam una Substantia specificè sumpta est magis perfecta, quàm altera; sic v. g. Substantia humana est magis perfecta, quàm leonina; similiter Angelica est magis perfecta, quàm humana. Nec obstat dictum Philosophi, quòd homo non sit magis Substantia, quàm bos: nam non negat Substantiam in homine esse perfectiori modò, quàm sit in bove: sed tantùm intendit, quòd in homine non habeat plures gradus essentiales, quàm in bove. Huic proprietati etiam non officit illud, quod dicit Aristoteles Substantias primas esse magis Substantias, quàm secundas: quia per hoc solùm vult, quòd Substantiæ primæ magis participent rationem Substandi accidentibus, quàm secundæ. Hæc proprietas convenit Substantiæ in communi; sed non soli, quia etiam quantitati; quæ nequit intendi formaliter, & remitti.

6. Sexta proprietas.

Sexta est, quòd sit successivè susceptiva contrariorum, id est quòd eadem numerò permanens Substantia possit in se naturaliter recipere formas contrarias tanquam subjectum ultimum, & perfectum; sic idem paries potest successivè recipere formam albedinis, & nigredinis. Hæc proprietas convenit soli Substantiæ; non tamen omni, sed primæ duntaxat; cujus proinde est propria quartò modò. Et quamvis etiam quantitas sit susceptiva contrariorum (eadem enim superficies potest dealbari, & denigrari) non est tamen susceptiva eorum ut subjectum ultimum, & Quod; sola enim Substantia est hujusmodi subjectum; ut docet Scotus *4. dist. 12, q. 2.*

QUÆ-

DISTINCTIO IV.

De Accidente in communi.

PRÆFATIO.

Quoniam reliqua novem Prædicamenta sunt quædam accidentia, & accidentium coordinationes; ideo priùs nosse oportet naturam Accidentis in communi, & de eo nonnulla præmittere; & quidem de ipso agendum est, ut accidens prædicamentale est, quod Substantiæ opponitur, & dividitur in novem classes prædicamentorum accidentalium; non verò ut quintum prædicabile est, de quo in priori tract. de Universalibus *satis actum est.*

QUÆSTIO I.

De quidditate; & divisione Accidentis ut sic.

1. Quid accidens materialiter, & formaliter.

Nota primò: secundùm Scotum *4. dist. 12. q. 2.* Et *7. Met. q. 1.* Accidens prædicamentale potest dupliciter considerari; materialiter, & formaliter. *Materialiter* consideratum est entitas rei illius, quæ inhærere potest v. g. entitas albedinis, vel dulcedinis. *Formaliter* est ipsa accidentalitas, seu inhærentia, sive hæc sit unio actualis cum subjecto, sive aptitudinalis.

2. Definitio Accidentis ut sic.

Dico primò: Accidens ut sic rectè describitur, quòd *sit ens aptum natum inhærere subjecto.* Est ad principia Aristotelis, & Scoti *loc. cit.*

Probatur: hæc descriptio rectè explanat naturam Accidentis ut sic, eamq; contradistingvit à Substantia: Ergo &c. *Ly ens* ponitur locô quasi generis; reliqua pro differentia. Dicitur *aptum natum inhærere* propter accidentia absoluta Evcharistica, quæ in Sacramento Evcharistiæ actu non inhærent; sunt tamen apta nata inhærere: & huc forsitan collimat dictum Philosophi, qui accidens appellat *entis ens*, id est ens aptum inhærere alteri enti, & ab altero in conservari dependens.

Nota secundò: circa essentiam Accidentis ut sic pro materiali, de qua hìc, statuendam variant AA. Thomistæ eam arbitrantur consistere in actuali inhærentia: Neutristæ eam ponunt in inhærentia aptitudinali: Averroes cum quibusdam alijs utrumque ex æquo assignant pro quidditate, & essentia ejus. Sed

3. Actualis inhærentia nõ constituit Accidēs.

Dico secundò: nec actualis; nec aptitudinalis inhærentia; neque utraque simul constituunt essentiam Accidentis ut sic. Ita Scotus *4. dist. 12. q. 1.* Quem sequuntur Scotistæ communiter; & ex alienis Complut. Suar. &c.

Probatur prima pars: Accidentia absoluta in specie de potentia absoluta DEI possunt esse absque omni actuali inhærentia; uti patet de quantitate Evcharistica, quæ absque omni subjecto materiali conservatur, ut docet Fides Catholica: Ergo actualis inhærentia nõ constituit essentiam Accidentis ut sic. Consequentia tenet; quia si ejusmodi inhærentia constitueret essentiam Accidentis ut sic, deberent etiam species ejus eandem participare; essentia enim naturæ communis, & superioris etiam reperitur in inferioribus; ut patet de essentia animalis, quæ reperitur in homine, & bruto.

Hh Pro-

4. *Neg. aptitudinalis.*

Probat. secunda pars Scoti ratione: si aptitudinalis inhærentia constitueret essentiam accidentis ut sic, esset etiam de essentia accidentis inferioris, quod absolutum dicitur ob rationem in mox *præmissa Probat. prima partis* datam: sed aptitudinalis inhærentia non est de essentia Accidentis inferioris absoluti; quia relativum (cujusmodi est aptitudinalis inhærentia) non est de essentia absoluti; aliàs esset absolutum, & non esset absolutum simul: Ergo aptitudinalis inhærentia non constituit essentiam Accidentis ut sic. Deinde omnis aptitudo præsupponit in re, cujus est aptitudo, aliquem gradum positivum priorem, ratione cujus ipsi potiùs, quàm alteri conveniat: unde ex hoc fundamento docet Doctor *2. dist. 4. & 7.* animas non distingvi per aptitudines, & inclinationes ad diversa corpora; quia nimirum natura absoluta est prior aptitudine, quæ est formalitas relativa, fundata in absoluto aliquo priori: Ergo ille gradus positivus præsuppositus prior constituit essentiam Accidentis ut sic; & non relatio aptitudinis.

5. *Obviatur cuidam Objectioni.*

Objicies: Accidens nequit intelligi sine aptitudine ad Substantiam, & propterea eadem aptitudo rectè posita fuit suprà in definitione ejusdem: Ergo talis aptitudo est ratio constituens essentiam Accidentis ut sic. Respondeo *primò* Neg. Consequ. nam etiam materia prima non potest intelligi sine ordine ad aliquã formam; & tamen talis ordo non constituit essentiam ejus. *Secundò* Dist. Ant. Accidens nequit intelligi sine aptitudine formali ad subjectum Neque Ant. sine aptitudine radicali Conc. Ant. Itaque duplex est aptitudo inhærendi; una *formalis*, quæ est respectus quidam transcendentalis, identificatus Accidenti; altera *radicalis*, quæ est formalitas quædam positiva, contrahens ens, & cum eo constituens Accidens; & hanc infrà assignabo pro constitutivo Accidentis ut sic; aptitudo autem inhærendi, quam adversarij prætendunt pro constitutivo Accidentis, est quid relativum.

6. *Nec utraq; simul.*

Probatur tertia pars: nam neque inhærentia actualis, neque aptitudinalis seorsim consideratæ sunt constitutivæ Accidentis ut sic; neque junctæ simul eandem constituere valebunt; nam vi junctionis non acquirunt aliquam naturam aptam constituere Accidens ut sic. Ergo &c. Unde

7. *Accidēs constituitur per formalitatē positivam.*

Dico tertiò: ratio formalis constitutiva essentiæ Accidentis ut sic est formalitas, quædam positiva contractiva gradûs entis, & cum eo constituens Accidens, quæ rectè *aleitas* dicitur, ad quam ut radicem sequitur aptitudo ad inhærendum veluti passio. Ita colligitur ex Scoto *citat. 4.*

Probatur: Tum quia nihil congruentiùs potest assignari pro ratione formali constitutiva Accidentis ut sic; ut patet ex refutatione aliarum opinionum *priori concl.* facta. Tum quia ratio formalis constitutiva Substantiæ est quædam formalitas positiva, perseitas dicta: Ergo etiam ratio formalis constitutiva essentiæ Accidentis est aliqua formalitas positiva *alietas* dicta. Tum quia, ut suprà dixi, omnis aptitudo præsupponit aliquam formalitatem positivã ut radicem, à qua ipsa pullulat ut passio metaphysica; ut patet de aptitudine ad ridendum, quæ præsupponit formalitatem positivam rationalitatis, ut radicem, à qua pullulat risibilitas, & omnis alia passio hominis: Ergo ratio formalis constitutiva essentiæ Accidentis est reverà aliqua formalitas positiva, quæ contrahit ens, & cum eo componit Accidens.

Objicies: Philosophus sæpius dicit, *Accidentis esse est inesse*, id est Accidentis essentia consistit in inhærentia: Ergo &c. Respondeo interpretando Philosophum, & dico eum loqui de inesse, seu inhærentia radicali, quæ coincidit cum formalitate mox assignata. Circa alterum articulum quæst.

8. *Divisio Accidentis ut sic.*

Nota secundò: Accidens ut sic variè dividi: *primò* in naturale, quale est albedo: & supernaturale, quale est gratia: & artificiale, quale est figura arte inducta. *Secundò* Naturale aliud est reale, ut albedo; aliud intentionale, ut species intelligibiles. Rursus aliud est absolutum, ut color; aliud relativum, ut similitudo. Absolutum continet sub se quantitatem, & qualitatem cum suis speciebus: Relativum varias species relationum. Similiter aliud est spirituale, ut intellectio; aliud materiale, seu corporeum, ut nigredo. *Tertiò*: supernaturale vel est habitus, ut habitus charitatis; vel actus, ut actus contritionis, quas omnes divisiones vide elucidatas, & exemplificatas *tom. 2. Schol. Philos. tract. 1. in 8. Physic. lib. dist. 5. q. 3.* *Quartò* aliud accidens dicitur

citur Logicum, aliud Physicum, aliud Metaphysicum. *Logicum* est quædam secunda intentio rebus primò intentionaliter sumptis ab intellectu affixa, ut prædicabilitas speciei naturæ humanæ. *Physicum* est res quædam physica secundariò connexa cum alia re, ut albedo cum pariete. *Metaphysicum* est entitas quædam Metaphysica non ingrediens quidditatem ejus, tale est proprium quartò modò sumptum.

QUÆSTIO II.

An Accidens spirituale possit educi de potentia subjecti corporei; aut corporeum de potentia spiritualis; ubi etiam de subjectatione eorundem.

Quid sit educi de potentia subjecti.

Nota primò: educi de subjecto aliquo idem est in communiori sensu Philosophorum, ac produci in subjecto cum dependentia ab ipso ut causa materiali realiter influente in illam rem, quæ dicitur educi: talis eductio est in productione caloris in subjecto aliquo cum dependentia ab eodem ut causa materiali influente.

2. Accidens spirituale nō educitur de subjecto corporeo.

Dico primò: nullum accidens spirituale potest naturaliter educi de potentia subjecti corporei; aut corporeum de potentia spiritualis. Ita Scotus *4. dist. 12. q. 2.* & sequuntur Lamazar. Ponc. & alij Scotistæ.

Probatur prima pars: Tum quia non videtur esse sufficiens proportio inter subjectum corporeum, & accidens spirituale ut formam educibilem de ejus potentia: Ergo nullum accidens spirituale potest naturaliter educi de potentia subjecti corporei. Tum quia nequit determinata causa talis accidentis eductiva è potentia subiecti corporei assignari: similiter nequit ostendi, qualis nam forma spiritualis possit naturaliter in tali subjecto produci: Ergo &c. Tum quia si posset accidens spirituale naturaliter educi de potentia subjecti corporei, utique de facto aliquod tale eductum esset; quia potentia talis subjecti non debuisset fuisse tam diu otiosa: sed nullius talis accidentis educti indicium extat: Ergo &c.

3. Nec è contrà.

Probatur secunda pars: experimentò constat de factò omne accidens corporeum educi de subjecto corporeo, ob sui extensionem, quam connaturaliter requirit in suis partibus: Ergo accidens corporeum nequit naturaliter educi de potentia subjecti spiritualis.

4. Nec Accidens spirituale potest subjectari in subjecto corporeo naturaliter.

Dico secundò: similiter nullum accidens spirituale potest subjectari in subjecto corporeo. Ita colligitur ex Doct. *loc. cit.* & sequuntur citati Scotistæ, & Herman cum alijs.

Probat. Tum quia ut discurrit Scotus hic; si naturaliter aliquod accidens spirituale posset subjectari in subjecto corporeo seu extenso, deberet esse totum in toto, & totum in qualibet parte; sicut anima rationalis est defactò in corpore humano tota in toto, & tota in qualibet corporis humani parte: sed hoc dici nequit; quia hoc est speciale formæ substantiali animæ rationalis: Ergo &c.

Objicies: Fides, Spes, & Charitas sunt accidentia quædam spiritualia: sed hæc subjectantur in subjecto corporeo: Ergo &c. Respondeo Neg. Min. subjectantur enim immediatè in subjecto spirituali, scilicet, anima.

5. Nec corporeū in subjecto spirituali.

Dico tertiò: etiam nullum accidens corporeum potest naturaliter subjectari in subjecto spirituali. Colligitur ex eodem Doctore *cit.* & sustinetur à P. Poncio, Herman, Lamazar. & communi Scotistarum.

Probatur: Tum quia nullâ experientiâ, aut ratione constat, aliquod Accidens corporeum unquam naturaliter subjectatum fuisse in subjecto spirituali; cùm omne tale accidens habeat partes extensas, quæ connaturaliter petunt extensionem etiam in subjecto; quâ caret subjectum spirituale: Ergo &c. Unde bene infert Scotus *4. cit.* albedinem non posse subjectari in Angelo naturaliter.

6. Bene tamen supernaturaliter.

Dico quartò: de absoluta tamen potentia DEI potest accidens spirituale absolutum subjectari in subjecto corporeo, & accidens corporeum in subjecto spirituali. Est ad principia Scoti, & sequuntur Poncius Lamazar. Herman, & alij complures Scotistæ, contra Mastr. Bellut.

Probatur primò generaliter utraq; pars: Quod non involvit contradictionem, potest de absoluta potentia DEI fieri: sed accidens spirituale absolutum subjectari in subjecto corporeo, aut è contra, nullam involvit contradictionem: ut patebit solvendo rationes oppositas: Ergo de absoluta potentia accidens spirituale potest subjectari in subjecto corporeo; & accidens corporeum in subjecto spirituali.

Probatur deinde specialiter prima pars: non videtur ex quo capite impediatur accidens spirituale absolutum, quò minùs possit poni à DEO in subjecto corporeo: Ergo &c. Probat. Ant. non impeditur ex eo, quòd forma quædam spiritualis sit, seu ratione spiritualitatis; quia anima rationalis etsi spiritualis sit; tamen ratione suæ spiritualitatis non impeditur esse in subjecto corporeo corporis organici: nec ex eo quòd forma spiritualis accidentalis sit; quia ex hoc capite nil aliud habet spirituale, quàm quòd dependeat à tali subjecto in esse, & conservari; hanc autem DEUS absolutâ suâ potentiâ potest tollere, & facere, ut ab alio subjecto dependeat; sicut potest facere, ut à nullô dependeat; sed immediatè à DEO conservetur extra omne subjectum: Ergo &c.

Probatur etiam secunda pars conclusionis specialiter: DEUS potest de absoluta potentia conservare accidens corporeum absque omni subjecto; uti patet de quantitate in Eucharistia. Ergo de eadem potentia etiam poterit illud ponere in subjecto spirituali. Consequentia tenet à pari, & à fortiori; quia faciliùs videtur ponere accidens cum aliquo subjecto, etsi non connaturali; quàm illud conservare absque omni subjecto.

7. *Objectio primo respondetur.* Objicies primò: contra primam partem: nequit assignari congruus modus, quô accidens spirituale possit à nobis concipi esse subjectatum in subjecto corporeo: Ergo &c. Respondeo Neg. Ant. nam tribus modis juxta P. Poncium, & Lamaz. possumus imaginari DEUM ponere tale accidens spirituale in subjecto corporeo, ita ut esset totum in toto illo subjecto, & totum in qualibet ejus parte: *Primò* sic, ut non dependeret in esse, & fieri à toto illo subjecto, neq; ab ulla ipsius parte. *Secundò* sic, ut dependeret ab aliquâ parte illius totius quoad esse, & conservari totaliter, & adæquatè; non tamen à cæteris partibus. *Tertiò* sic, ut ab omnibus partibus istius formæ dependeret, & à nulla totaliter.

8. *Et secundo.* Objicies secundò contra eandem: si DEUS de absoluta sua potentia posset subjectare accidens spirituale in subjecto corporeo, posset visio beatifica ab eodem poni in lapide: sed hoc involvit contradictionem; quia aliàs lapis esset beatus, & non esset beatus: Ergo &c. Respondeo imprimis Neg. Min. cum ejus Ratione; nam etsi de absoluta potentia DEI poneretur qualitas absoluta visionis in lapide; adhuc is non diceretur beatus; quia mediante illa qualitate non tenderet vitaliter formaliter in Objectum beatificum, defectu intellectûs vitalis. Deinde negari potest Major; quia etsi aliquod accidens spirituale posset poni in subjecto corporeo; non tamen hoc in particulari accidens visionis beatificæ ob vitalitatem, quam dicit, & ratione cujus petit necessariò esse in subjecto tali vitali, scilicet intellectu.

9. *Et tertio.* Objicies tertiò contra secundam partem: si accidens corporeum posset in subjecto spirituali, etiam quantitas, quæ accidens corporeum est, posset in Angelo subjectari: sed hoc est falsum. Ergo &c. Probat. Min. quantitas debet necessariò habere partes extra partes: sed in Angelo ejusmodi partes habere nequit: Ergo &c. Deinde quantitas nequit Angelo communicare suum effectum formalem, qui est extendere partes sui subjecti: Angelus enim nullas habet partes extensibiles: Ergo &c. Respondeo Neg. Min. ad ejus Probat. primam Dist. Maj. quantitas debet necessariò habere partes extra partes, entitativè Conc. Maj. impenetrabiliter Neg. Maj. Itaque si quantitas subjectaretur in Angelo, necessariò haberet partes extra partes entitativè, ita scilicet ut una pars non sit altera: non tamen haberet partes extra partes impenetrabiliter, ita scilicet ut una necessariò haberet subjectum distinctum à subjecto alterius; aut ita ut una correspondêret uni parti loci, cui altera non correspondêret. Ad secundam Probat. ejusdem Maj. dico, effectum formalem primarium, & inseparabilem quantitatis non esse extendere partes sui subjecti; quia quantitas palmaris posset à DEO reduci ad punctum; & tunc talis quantitas non ex-

extenderet ejus partes actu: formalis itaque & primarius inſeparabilis effectus quantitatis eſt communicare ſeſe ſubjecto per modũ formæ aptæ natæ, quantũ eſt de ſe tribuere ſubjecto extenſionem, niſi impediatur, & ſi ſubjectum habeat partes extenſibiles; & hunc tribueret Angelo.

QUÆSTIO III.

An idem numerô accidens poſſit immediatè poni in pluribus ſubjectis ſimul; & plura ſubjectari in eodem ſubjecto.

1. Nullũ accidens poteſt idẽ numerò ſimul poni in pluribus ſubjectis immediatè naturaliter.

DIco primò: nullum accidens idem numerô poteſt naturaliter ſimul poni in pluribus ſubjectis immediatè. Ita Scotus *3. diſt. 1. q. 2.* & communis Scotiſtarum.

Probatur: Tum quia unum corpus nequit naturaliter ſimul poni in pluribus locis, ut *tom. 2. Schol. Philoſoph. tract. 1. diſt. 14. q. 6. concl. 1.* oſtendam ex profeſſo: Ergo pariter unum accidens v. g. nigredo non poterit naturaliter ſimul poni in pluribus ſubjectis immediatè v. g. in muro A. B. & C. Tum quia nullô experimentô, aut indiciô advertitur poſitio immediata naturalis alicujus accidentis in pluribus ſubjectis ſimul: neque poteſt aſſignari modus, quô ſic naturaliter immediatè poneretur unum idemque numerô accidens in pluribus ſubjectis ſimul: Ergo &c. Tum quia una numerô forma Subſtantialis nequit naturaliter eſſe ſimul in duabus materijs diſcontinuatis, ut *cit. tom. diſt. 5. q. 4. concl. 1.* dicam: Ergo à paritate neque una numerô forma accidentalis poterit naturaliter immediatè ſubjectari in pluribus ſubjectis diſtinctis ſimul.

Dixi *immediatè*; quia communiter conceditur, idem numerô accidens poſſe ſimul poni in pluribus diſtinctis ſubjectis ita, ut in uno ſit immediatè; in altero verò mediatè, hoc eſt mediante primô ſubjectô: ſic namque defactò color ponitur immediatè in quantitate ut ſubjecto immediato, & mediante quantitate etiam in Pariete, ut ſubjecto ultimato mediato.

2. Bene tamẽ ſupernaturaliter.

Dico ſecundò: de potentia abſoluta DEI idem numerô accidens poteſt immediatè ſubjectari in diverſis ſubjectis ſimul: & ſucceſſivè. Ita colligitur ex Scoto *q. 17. de rerum principijs.* Et ſequuntur Poncius, Herman, & communior Scotiſtarum; contra Lamazar. &c.

Probatur utraque pars ſimul: quidquid non involvit contradictionem, hoc poteſt de potentia abſoluta DEI fieri: ſed idem numerô accidens poſſe immediatè ſubjectari in diverſis ſubjectis ſimul, & ſucceſſivè v. g. eandem albedinem â DEO replicare ad parietem A. B. C. aut in eiſdem ſucceſſivè poni nullam involvit contradictionem: Ergo &c.

Probatur deinde ſpecialiter prima pars: anima rationalis defactò poteſt eſſe immediatè in pluribus ſubjectis unitis ſimul, ſcilicet in pede & capite: Ergo etiam idem numerô accidens poteſt immediatè ſubjectari in diverſis & diſunitis ſubjectis ſimul. Conſequentia tenet, à pari; & quia reſpectu potentiæ abſolutæ parùm refert, quòd illa diverſa ſubjecta ſint diſunita; nam talis potentia poteſt ponere unum corpus in pluribus locis maximè diſunitis, & diſtantibus; ut patet de corpore Chriſti poſito in cælis, & in terra ſub hoſtijs conſecratis: Ergo etiam poterit idem numerô accidens ponere in ſubjectis diverſis diſunitis.

3. Etiã ſucceſſivè.

Probatur etiam ſpecialiter ſecunda pars: DEUS de abſolutâ ſua potentia poteſt conſervare accidens abſolutum abſque omni ſubjecto, ut ſuprà dictum eſt: Ergo etiam poterit idem accidens immediatè unire ſucceſſivè diverſis ſubjectis. Conſequentia tenet; nam plus arguit ſeparare aliquod accidens abſolutum ab omni ſubjecto, & illud pariter conſervare abſq; omni ſubjecto; quàm illud unire ſucceſſivè diverſis ſubjectis; ſed primum poteſt DEUS præſtare: Ergo &c. ſecundum.

4. Scotus reconciliatur.

Objicies *primò* contra primam partem: Scotus videtur adverſari concluſioni: Ergo &c. Probat. Ant. Scotus *3. diſt. 1. q. 2.* dicit, *ita impoſſibile videtur unum accidens eſſe in duobus ſubjectis; ſicut unam formam Subſtantialem eſſe in duabus materijs*: Ergo cenſet Doctor unam formam accidentalem, ſeu idem numerô accidens non poſſe immediatè poni

in

in pluribus subjectis simul. Respondeo Neg. Ant. ad textum Scoti dico, ipsum *loc. cit.* absolutè non negare alterutrum; quasi nec forma Substantialis, nec accidentalis de potentia absoluta DEI possit esse in pluribus subjectis; nam revera eadem numerô forma Substantialis potest divinitùs simul plures materias informare; ut pluribus ostendam de mente Scoti *tom. 2. Schol. Philos. tract. 1. dist. 5. q. 4. Conclus. 2.* Itaq; Doctor arguit tantùm contra Varronem suum Magistrum; qui volebat, quod sequeretur infinitas formæ Substantialis ex eo, si diceretur posse esse in pluribus materijs; ad quod impugnandum assumit Doctor argumentum à pari de formis accidentalibus dicens, quòd æquè sequeretur infinitas formæ accidentalis, si poneretur in pluribus subjectis: pondera contextum ibidem; *igitur* (inquit Doctor) *si necessariò sequitur infinitas in forma Substantiali, si esset in pluribus materijs; necessariò sequitur infinitas ex eo, quod unum accidens esset in multis subjectis:* nunc autem non sequitur infinitas in una forma substantiali informante plures materias: Ergo neque in accidente etsi sit in pluribus subjectis; nam etiam intellectus potest intelligere plura; & tamen nulla infinitas in eo arguitur: Et consequenter unum accidens potest poni in pluribus subjectis. Circa secundum articulum quæst.

6. Plura accidentia ejusdē rationis possunt esse in eodem subjecto simul.

Dico tertiò: plura accidentia ejusdem rationis, solô numerô distincta, possunt simul poni in eodem subjecto. Ita colligitur ex Scoto *5. Met. q. 7.* ubi etsi videatur problematicus; tamen in hanc partem magis inclinat, interprete P. Cavello.

Probat. primò de accidentibus intentionalibus; plurimæ species intentionales, cujusmodi sunt species sensibiles, & intelligibiles ejusdem rationis, & solô numerô discriminante, subjectantur simul in eadem potentia; v. g. in eodem oculo plures species repetitim accceptæ à Platone, Leone, & equo &c. adstantibus: item in eodem intellectu plures species intelligibiles de Cæsare, Papa, Praga &c. sed hujusmodi species intentionales sunt accidentia: Ergo plura accidentia ejusdem rationis, & solo numerô distincta possunt simul poni in eodem subjecto.

Probat. secundò etiam de accidentibus absolutis realibus; duæ lucernæ collocatæ in eadem cella simul producunt duo lumina ejusdem rationis: item duo ignes simul accensi in eadem fornace capaci producunt duos calores ejusdem rationis: utraque autem accidentia subjectantur in eodem aëre ut subjecto: Ergo plura accidentia ejusdem rationis solô numerô distincta possunt poni in eodem subjecto.

Tertiò idem patet de accidentibus relativis realibus; quia plures relationes similitudinis ejusdem rationis, & solô numerô distinctæ subjectantur in eodem fundamento albedinis ut subjecto, terminantur ad plures alias albedines ejusdem rationis: Ergo &c. Plura de accidente in communi vide *tom. 2. Schol. Philosop. tract. 1. dist. 5.* ubi ago de eductione in communi formarum accidentalium de potentia materiæ. Et *q. 6.* de conservatione earundem absque subjecto. Et *dist. 7. q. 4.* de subjecto quod proximo & immediato earundem.

DISTINCTIO V.

De Quantitate.

PRÆFATIO.

Inter Categorias Aristotelicas secundum locum tenet Prædicamentum Quantitatis; unde ipse Philosophus post tractatum de Substantia immediatè subdit discursum de Quantitate: & meritò; nam ut scribit Doctor subtilis 2. dist. 3. q. 4. *primum accidens, quod ex sinu Substantiæ materialis egreditur, est Quantitas; & quemadmodum Substantia substat omnibus accidentibus velluti subjectum ultimatum Quod eorum; ut docet Scotus* 4. dist. 12. q. 2. *ita Quantitas substat iisdem tanquam subjectum non ultimatum Quô; ipsa enim sola immediatè inhæret Substantiæ; & reliqua omnia eâ mediante. Terminatô itaque discursu de Substantia, tractationem de Quantitate tanquam Substantiæ viciniori Categoriæ; & præmissô examine Accidentis ut sic, primum accidentale Prædicamentum Quantitatis perlustrare convenit. Quare sit*

QUÆSTIO I.

De Quidditate; & existentia Quantitatis ut sic.

1. Quantitatis acceptiones.

Nota primò: hoc vocabulum *Quantitas* dupliciter usurpatur à S. Augustino *6. de Trinit. cap. 8.* Et à Scoto *dist. 19. q. 1.* S. Thoma, & communi. *Primò* pro quantitate virtutis, seu perfectionis; Quantitas in hac acceptione est virtus, & perfectio cujusvis rei, sive essentialis, sive accidentalis; in hoc sensu DEUS *Psalm. 16.* dicitur *Magnus Dominus.* Et similiter Christus Luc. *1. hic erit magnus coram Domino. Secundò* pro Quantitate molis, seu dimensionis; & est illud accidens, quod corporibus inhærens, extendit illa; & ratione hujus unum est majus altero; & hæc est propria usurpatio Quantitatis, prout de ea hic.

2. Philosophus definit Quantitatem.

Nota secundò: Philosophum *5. Met. cap. 7.* Quantitatē in concreto sic describere, *quantum est, quod est divisibile in ea, quæ insunt, quorum utrumque, vel unumquodque unum quid, & hoc aliquid nata sunt esse*: cujus obscuræ descriptionis hic est sensus, *quantum* (id est accidens Quantitatis) *quod est divisibile in ea, quæ insunt* (id est in partes proprias, & inexistentes, ex quibus componitur) *quorum utrumque* (id est quarum partiū actu ipsi inexistentium utraque, si duæ sint) *vel unumquodque* (id est unaquæque pars, si plures partes sint in ipso) *unum quid* (id est, est quid completum) *& hoc aliquid* (id est aliquid singulare, existens extra alteram partem; sed clarius.

3. Et Author.

Dico primò: rectè describitur Quantitas prædicamentalis *est accidens absolutum naturaliter impenetrabile, divisibile, per se extensum localiter, & extensivum alterius.*

Probatur; hæc descriptio est sufficien-

tenter exprimitur natura Quantitatis; nam cùm definitio rigorosa reperiri non possit ex genere proprio, & differentia; suprema enim genera supra se genus proprium non habent; sed tantùm quasi genus, scilicet *Ens*; ideo saltèm sufficienter circumscribitur præfatis particulis. Ly *accidens* est quasi genus; reliqua collocantur pro differentia, & majori explicatione. Dicitur *accidens absolutum*, ut Quantitas differat à Prædicamentis relativis: dicitur *naturaliter impenetrabile* ad differentiam qualitatum, quæ naturaliter penetrabiles sunt, & compatibiles in eodem loco; ut patet de dulcedine, & humiditate in eodem lacte. Additur *divisibile*, ut ostendatur proprietas peculiaris Quantitatis, quæ est divisibilitas in partes integrales per interpositionem corporis; ut habet Scotus *5. Met. q. 9.* ubi ait, *conceda tamen, quòd divisibilitas sit prima passio quanti;* ratione cujus proprietatis ulna quanta dividi potest in 4. quadrantes; & quilibet quadrans in alias partes minores æquales. Apponitur *per se extensum localiter*, per quod Quantitas differt à punctis, & indivisibilibus; & simul insinuatur, ipsam dicere positionem partium extra partes in toto, seu talem extensionem earum, ut una correspondeat uni parti loci, & altera alteri. Ly tandem & *extensivum* alteriùs insinuat effectum formalem quem præstat Quantitas, scilicet extendere subjectum cui inhæret, locumque occupare.

4. Datur Quantitas.

Dico secundò: existit quantitas in corporibus. Ita communis Peripateticorum, cum Philosopho *cap. de Quantitate.* Et Scoto *ibidem.*

Probat. Tum authoritate Philosophi *citati:* Tum quia ad sensum videmus, corpora gaudere mole quadam, & extensione, à qua inter se inæqualia redduntur; quod provenit à Quantitate: item eadem corpora esse naturaliter impenetrabilia; hujus autem causa est Quantitas: item eadem esse mensurabilia; quod quoque provenit à Quantitate: Ergo extat Quantitas in corporibus.

5. Quantitas est verum supremũ genus Prædic.

Dico tertiò: Quantitas ut sic est verum genus supremum, & generalissimum, unum ex decem Categorijs; ab alijs realiter distinctum. Ita Scotus *quæst. 16. prædicamentali* Tartar. Columb. Monturs. Ant. Andreas, & alij Scotistæ.

Probatur prima pars *primò* authoritate Philosophi; qui Quantitatem ut sic recenset inter genera suprema Categorica *de prædicam. cap. 4.* Et *5. Met. tex. 14.* Ergo &c. *Secundò* quod prædicatur de pluribus specie differentibus in quid, & non habet aliud genus supra se, censetur esse verum genus supremum, & generalissimum, unum de decem Categorijs; ut constat ex Porphyrio *cap. de genere*: sed Quantitas est hujusmodi: Ergo &c. Probat. Min. Quantitas prædicatur de Quantitate continua, & discreta, tanquam de differentibus specie; & ijs mediantibus, de omnibus suis inferioribus; quia omnia habent partes extensas, quod rationẽ Quantitatis arguit: Ergo Quantitas prædicatur de pluribus differentibus specie in quid.

6. Ab alijs distinctum.

Probatur secunda pars: Tum quia Quantitas habet rationem communem constitutivam sui ab alijs Categorijs distinctam; ut patet ex descriptione suprà data; & ampliùs apparebit ex dicendis infrà, agendo de ratione formali Quantitatis: Ergo est genus supremum, seu Categoria ab alijs distincta. Tum quia Quantitas habet sub se species, & differentias Quantitatis, distinctas à speciebus, & differentijs aliorum Prædicamentorum: Ergo est Prædicamentum distinctum ab alijs.

7. Eluditur quædam objectio.

Objicies contra primam partem: unius generis generalissimi est tantùm una divisio, ex Aristotele *1. Top. cap. 1.* Et Boëtio *lib. de Divisio.* sed Quantitatis sunt plures divisiones; ut patet ex textu Aristotelis, ubi ponuntur Divisiones Quantitatis in continuam & discretam; & in eam, cujus partes habent positionem inter se; & in eam cujus partes tali positione inter se carent: Ergo Quantitas non est genus generalissimum unum ex decem Categorijs. Respondeo Maj. esse veram de divisione formali; non verò de materiali; quia sic possunt esse plures divisiones sicut plures sunt differentiæ materiales. Itaque secundùm Scotum *in Prædicam. q. 17.* duplex est divisio, una formalis, altera materialis. *Formalis Divisio* fit per differentias oppositas formales, & constitutivas specierum; talis est hæc, animalium aliud est rationale, aliud irrationale. *Materialis* est, quæ datur per differentias materiales, seu potiùs per partes materiales; talis est hæc corporeum aliud est corruptibile, aliud incorruptibile. Nunc ad propositum Divisio Quantitatis in continuam, & discretam est di-

visio formalis; quia fit per proprias differentias formales; scilicet copulare partes ad unum terminum communem; & non copulare illas ad illum terminum communem; & quidem est divisio unica talis; ac proinde Quantitas potest esse genus supremum: etsi præterea etiam dividatur per partes habentes positionem, & non habentes positionem in continuo, quæ est divisio materialis; quia fit per differentias materiales; cùm detur per Quantitatem in ordine ad materiam, seu subjectum: quod non obstat conceptui generis generalissimi, ob rationem suprà insinuatam de pluralitate differentiarum materialium.

QUÆSTIO II.
De ratione formali constitutiva Quantitatis.

De ratione formali constitutiva Quantitatis varia extant sententiæ AA. quæ ortum ducunt ex vario modo loquendi Philosophi in hac materia: nam *hoc cap. de Quantitate* volens probare orationem esse speciem Quantitatis, explicat rationem ejus per mensuram, quia enim oratio mensuratur longitudine, & brevitate, iden Quantitas dicitur. Et *5. Met. text. 18.* definiens Quantum, dicit esse illud, quod est divisibile in ea, quæ insunt; & sic Quantitatem explicat per divisibilitatem in partem, & partem: & alibi per impenetrabilitatem: alibi per extensionem &c.

Quid sit mensurare; & qualiter fiat. Nota autem primò: secundùm Scotum *2. dist. 2. q. 2.* quòd mensurare sit Quantitatem ignotam, per Quantitatem magis notam certificare. Hujusmodi autem certificatio dupliciter fieri potest: *primò* per Quantitatem existentem in imaginatione tantùm, ut siquis expertus de Quantitate ulnæ per ipsam existentē in sui imaginatione, possit mensurare Quantitatem panni: *Secundò* per Quantitatem existentem in re; ut cùm aliquis mensurat pannum per ulnam; vel panem per libram; vel ferrum per centenarium &c.

Triplex modus mensurādi per Quantitatem existentem. Nota secundò: Mensura per Quantitatem existentem in re rursus solet fieri tripliciter: *primò* per Quantitatem excedentem rem mensuratam; & consurgit *mensura excessûs* seu perfectionis: hoc sensu homo dici solet mensura omnium Substantiarum corporearum; quia in perfectione excedit omnes tales, & certificat intellectum de aliarum minori perfectione: in hoc sensu quoque procedit illud dictum Doct. Subtilis *in unoquoque genere est aliquid unum, quod est mensura, & metrum cæterorum.* *Secundò* fit per Quantitatem excessam, & habetur *mensura replicationis*; hæc est inter ulnam, & pannum longum excedentem ulnam; quare super eum replicari debet ulna, quousque adæquetur panno, & intellectum certificet de logitudine panni. *Tertiò* fit per aliquam rem notam æqualem, habeturque *mensura æqualis*; & hæc fit vel per applicationem mensuræ ad mensuratum; vel per superpositionem ejusdem rei mensuratæ; & sic mensuratur motus per tempus; quia si tempus sit unius horæ; etiam motus erit unius horæ, & non ampliùs: vel si motus fuerit major, vel minor, hoc ideo erit; quia tempus ipsum mensurans fuit majus, vel minus; hæ duæ mensuræ replicationis, & æqualitatis, quæ in Quantitate tantùm reperiuntur, sunt proprietates Quantitatis: prima verò passim transcendens entis cùm reperiatur inter quidditates; & quidditates sint in omni Prædicamento.

3. Quid mensura activa, & passiva. Nota tertiò: rursus mensura replicationis, & æqualitatis alia est activa, alia passiva. *Passiva* mensura (quæ valde impropriè mensura dicitur) est ipsa mensurabilitas; seu capacitas in re ad posse mensurari, vel secundū quam mensuratur actu. *Activa* est ipsa ratio mensurans quantitatem; vel extensionem alicujus rei; & hæc est propriè mensura. Potéstque considerari vel ut actualiter mensurans, vel aptitudinaliter mensurans, vel radicaliter mensurans. *Actualiter est mensurans* quando ulna v. g. actu applicatur panno, cumque metitur: *aptitudinaliter*, quando ulna v. g. non applicatur actu panno; sed tamen est apta applicari: *radicaliter*, quando aliquid habet radicem, ad quam sequitur aptitudo ad mensurandum. Mensura activa pro materiali dicit ipsam quantitatem: pro formali respectum mensuræ ad mensuratum, & intellectum, quem certificat de magnitudine rei.

4. Quid sit extensio, entitativa, & localis. Nota quartò: extensionem esse positionem partis extra partem. Et est duplex

Ii

plex, entitativa, & localis. *Extensio entitativa* est dispositio partium rei inter se, quâ mediante fit, ut una pars non sit alia; talis habetur in entitate hominis v. g. cujus partes sunt ita dispositæ, ut caput non sit collum, nec collum sit manus, nec manus sint pedes &c. hæc convenit tam Substantiæ, quàm Quantitati. *Localis* est, quâ res ita ponitur in loco, ut una pars ejus v. g. caput correspondeat uni parti loci ambientis caput, cui non correspondet altera v. g. manus: hæc à Scoto *2. dist. 12. q. 2.* & alibi vocatur modus quantitativus, seu commensuratio quantitatis ad locum.

Nota quintò: divisibilitatem aliam esse in partes integrales; talem habet ulna quatenus est divisibilis in quatuor quadrantes. Aliam in partes essentiales; talem habet eadem ulna, quatenus est divisibilis in materiam, & formam suam substantialem.

5. *Quantitas nō constituitur per mensurā.*

Dico primò: ratio formalis constitutiva Quantitatis ut generis generalissimi hujus Categoriæ, non est mensura, sive hæc actualiter, sive aptitudinaliter, sive radicaliter, sive passivè consideretur. Ita Scotus *5. Met. q. 9.* & *4. dist. 12. q. 1.* Et *q. 17. Prædicam.* Et sequuntur Monturf. Columb. Poncius, Villaverde, & alij Scotistæ; contra S. Thomam Albert. Mag. Tolet. Cajet. &c.

Probatur primò generaliter: ratio formalis generis debet competere æquè primò suis speciebus; cùm sit univoca, & univocè prædicetur de eis: sed ratio mensuræ quôcunque modô acceptæ non competit æquè primò Quantitati continuæ, & discretæ, quæ sunt species Quantitatis ut generis: Ergo mensura non est ratio formalis constitutiva Quantitatis ut generis generalissimi hujus Categoriæ. Prob. Min. ex Aristotele *10. Met. cap. 2. cap. 3.* ratio mensuræ convenit priùs Quantitati Discretæ, quàm Continuæ, & Continuæ non nisi per rationem ejus, pro quanto scilicet participat rationem Discretæ Quantitatis: Ergo &c. Deinde Quantitas est accidens absolutum; ratio autem mensuræ est relativa ex *1. Met. cap. 2.* Ergo nequit esse ratio formalis Continuæ Quantitatis.

6. *Nec actualē.*

Probatur deinde specialiter prima pars *de mensura actuali*: purè per accidens, & contingenter convenit Quantitati, quòd actu mensuret; nam tametsi ulna actu non mensuraret pannum, vel aliud quantum; adhuc esset Quantitas vera: Ergo mensura actualis non est ratio formalis constitutiva Quantitatis.

7. *Nec aptitudinalem.*

Probatur secunda pars *de mensura aptitudinali*: nullus respectus est essentia absoluti; sed mensura aptitudinalis est quidam respectus transcendentalis: Ergo nequit esse essentia, seu ratio formalis constitutiva Quantitatis, quæ est accidens absolutum. Deinde omnis respectus aptitudinalis præsupponit in re aliquod absolutum, ratione cujus ipsi conveniat: Ergo illud absolutum potiùs, quàm iste respectus aptitudinalis mensuræ erit ratio formalis constitutiva Quantitatis.

8. *Nec radicalē.*

Probatur tertia pars *de mensura radicali*: etiam substantia habet mensuram radicalem, seu radicem, ad quam sequitur aptitudo mensurandi; quia substantia independenter à Quantitate posset mensurare aliam Substantiam; cùm habeat partes extensas in loco, & Angelus posset Substantiam ligni habentem decem pedes v. g. longitudinis destructâ priùs Quantitate talis lingi applicare ad Substantiam panni, & per talem applicationem cognoscere, quot pedes extensionis haberet talis pannus: Ergo mensura radicalis non rectè statuitur pro ratione formali constitutiva Quantitatis.

9. *Nec passivā.*

Quarta pars *de mensura passiva* patet; quia talis mensura est impropria; & respectus tantùm transcendentalis capacitatis: Ergo nequit esse ratio constitutiva absoluti prædicamentalis, cujusmodi est Quantitas.

10. *Philosophus [illegible] ponitur.*

Objicies: Philosophus in Prædicamentis *cap. de Quantitate* dicit, orationem esse speciem Quantitatis ideo, quia participat rationem mensuræ: & *4. Physic.* definit tempus per esse mensuram, quæ est Quantitas motûs secundùm prius, & posterius: Ergo intendit mensuram esse rationem formalem constitutivam Quantitatis. Respondeo Neg. Conseq. Philosophus enim *citatis locis* solùm vult, quòd oratio, & tempus includant rationem mensuræ; nō tamen ut rationem formalem constitutivam sui; sed ut passionem, vel affectionem. Deinde tempus non est Quantitas vera; ut infrà dicetur; adeóque etsi mensuret aliquomodo, parùm obstat conclusioni.

11. *Quantitas [illegible] constituitur per divisibilitatem.*

Dico secundò: similiter ratio formalis Quantitatis non est aliqua divisibilitas in partes integrales per interpositionem

nem alicujus corporis. Ita Scotus *4. dist. 10. q. 1.* & *5. Met. q. 9.* ubi divisibilitatem vocat tantùm passionem Quantitatis. Et sequuntur Gadius, Columb. Poncius, Tartar. Villaver. & communis Scotist. contra Soncin. Capreol. Javell. Fland. &c.

Probat. Tum quia talis divisibilitas est quidam respectus; cùm sit capacitas, seu aptitudo ad posse dividi: Ergo nequit esse ratio formalis constitutiva entis absoluti, cujusmodi est Quantitas prædicamentalis. Tum quia etiam Substantia habet hujusmodi divisibilitatem in partes integrales, etiam separatâ Quantitate; sic Substantia capitis Platonis separatâ Quantitate posset conservari, & dividi á Substantia pedis, & manûs ejus: Ergo hujusmodi divisibilitas non est ratio formalis Quantitatis. Tum quia corpus Christi in Eucharistia est quantum; & tamen non est ibi modô divisibili; sed indivisibili: Ergo &c.

12. *Philosophus re conciliatur.*

Objicies *primò*: Philosophus definit Quantitatem per divisibilitatem *5. Met. cap. 7.* Ergo &c. *Secundò* Scotus *q. 17. prædicam*: videtur divisibilitatem assignare pro ratione formali Quantitatis: Ergo &c. Respondeo *ad primum* Philosophum *loc. cit.* dare tantùm descriptionem Quantitatis per passionem, cujusmodi est divisibilitas: Vel certè loquitur de divisibilitate radicali, ad quam sequitur aptitudo ad dividendum per interpositionem corporis; quam radicalem divisibilitatem non nego esse rationem formalem constitutivam Quantitatis, si debitè explicetur; ut infrà *concl. 4. Ad secundum* dico pariter eum loqui de divisibilitate radicali.

13. *Neq; per extensionem entitativam.*

Dico tertiò: Nec ratio formalis constitutiva Quantitatis ritè assignatur extensio entitativa, aut localis, actualis, vel aptitudinalis. Ita colligitur ex Scoto *2. dist. 12. q. 2.* Prima pars est contra P. Montorf. Columb. & Villaver. & ante eos contra Aureol: Aversam, Jandun. Joan. à S. Thoma &c. Secunda contra Occam, Gabriel, & cæteros Nominales, ac contra Ferar. Argen. & Conimbr. statuentes extensionem localem actualem pro ratione essentiali Quantitatis. Tertia est contra nostrum P. Meriner. & Hurtad. Didac. à JESU &c. ponentes aptitudinalem.

Probatur prima pars: extensio entitativa etiam convenit Substantiæ; nam ipsa habet partes extra partes, scilicet caput extra manum, & pedes extra ventrem, oculos extra aures; hæ enim partes inter se essentialiter distingvuntur in probabili sententia; & una potest realiter esse sinè altera: item si separentur ejusmodi partes Substantiales ab omni Quantitate, nō confluerent in punctum; nec moverentur localiter à loco, in quo erant ante talem separationem: Ergo ratio formalis constitutiva Quantitatis non consistit in extensione entitativa. Consequentia tenet; nam ratio formalis unius non debet convenire alteri.

14. *Replica infirmatur.*

Dices: quòd Substantia habeat partes extra partes, hoc ei convenit ratione Quantitatis non verò ex se. Ergo &c. *Contrà* priùs convenit substantiæ habere partes suas Substantiales extra partes, quàm exigat habere Quantitatem; quia in conceptu Substantiæ corporeæ completæ ut sic ut distingvitur à spirituali, involvitur pluralitas partium Substantialium integralium; & in hoc communiter distingvitur à Substantia spirituali, quæ indivisibilis est, & non constans talibus partibus: adeoque habere partes Substantiales extra partes non convenit Substantiæ ratione Quantitatis. Deinde si DEUS impediret in generatione alicujus Substantiæ, ut nulla Quantitas producatur in ea, utique illa Substantia haberet partes extra partes tanquam priores omni Quantitate: Ergo &c.

15. *Columbs ratio nes.*

Objicit P. Columbus *primò*: Scotus asserit *4. dist. 10. q. 1.* essentiam Quantitatis consistere in positione partium in toto, seu in extensione partium ad totum, & ad se invicem, quæ est extensio quædam entitativa. Ergo &c. *Secundò* per extensionem partium Quantitas constituitur in suo esse essentiali; nam illa res redditur formaliter quanta: Ergo &c. *Tertiò* ex extensione partium entitativa oriuntur passiones Quantitatis, puta divisibilitas in suas partes, mensurabilitas, æqualitas, inæqualitas, finitas, infinitas, loci occupatio &c. Ergo hæc est ratio formalis constitutiva Quantitatis.

16. *Enervantur.*

Respondeo *ad primum* glossando Scotum, & dico ipsum loqui de extensione radicali partium, quam infrà assignabo pro ratione formali constitutiva Quantitatis; non verò de entitativa. *Ad secundum* Neg. Ant. sed Quantitas constituitur in suo esse essentiali, & res redditur quanta, per formalitatem quandam positivam, ad

ad quam sequitur entitativa extensio, & quæ est ratio reddens primariò rem quantam. *Ad tertium* pariter Neg. Ant. sed illa formalitas infrà assignanda est illud principium, ex quo oriuntur memoratæ proprietates.

17. Neg. extensio actualis constituit quantitatem.

Probatur secunda pars *de extensione locali actuali*: Christus in Sacramento Eucharistiæ habet formalem rationem Quantitatis: sed illa non cosistit in extensione locali actuali: quia Christus non obstante suaQantitate est totus in tota hostia, & totus in qualibet parte hostiæ; quod fieri nequiret, si in extensione locali actuali consisteret: Ergo ratio formalis constitutiva Quantitatis in tali extensione locali actuali non consistit. Deinde ista extensio est relatio quædam: Ergo nequit constituere Quantitatem, quæ est absolutum quid.

18. Nec aptitudinalis.

Probatur tertia pars: extensio aptitudinalis partium similiter est quidam respectus transcendentalis, seu aptitudo, & capacitas ad extendendum: sed nullus respectus potest esse ratio formalis constitutiva entis absoluti, cujusmodi estQuantitas prædicamentalis: Ergo talis extensio aptitudinalis nō est ratio formalis constitutiva Quantitatis.

19. Sed impenetrabilitas naturalis.

Dico quartò: ratio formalis constitutiva Quantitatis est quædam formalitas absoluta (quæ impenetrabilitas naturalis, seu radix impenetrabilitatis naturalis dici potest) ad quàm ut radicem exigitivam sequitur extensio partium tam entitativa, quam localis; item divisibilitas, mensurabilitas, & aliæ passiones. Ita colligitur ex Scoto 4. *dist. 49. q. 16.* Et sequuntur Mastrius, Bellut. Ponc. Herman, & alij recentiores Scotistæ; ac ex Neutristis Arriaga, Hurtad. &c.

Probatur: Tum quia nil aliud congruentiùs pro ratione formali constitutivaQuantitatis assignari potest, quàm præfata formalitas absoluta; ut patet ex hactenus rejectis opinionibus. Tum quia posità hujusmodi formalitate absolutâ, seu radice impenetrabilitatis naturalis pullulant statim extensio partium, divisibilitas, ratio mensuræ, & cæteræ passiones Quantitatis: Ergo &c. Prob. Ant. ex eo, quòd aliquod corpus sit impenetrabile, arguitur ipsum habere extensionem partium tam inter se, quàm ad locum suâpte naturâ incompossibilem in eodem loco; item ipsum esse divisibile in plures partes integrales per interpositionem alicujus corporis, ut ostendit Scotus 4. *dist. 1. q. 5.* Item ipsum posse mensurare aliud corpus extensum; & principiare alias proprietates Quantitatis: Ergo &c.

20. Ad rationes in oppositum.

Objicies *primò*: quædam impenetrabilitas naturalis convenit etiam Substantiæ; quia ejus partes pariter sunt impenetrabiles inter se: Ergo non est ratio præcisè constitutiva Quantitatis. *Secundò* Quantitas compatitur secumSubstantiam, quam afficit; sicut & qualitates talis Substantiæ; quia Quantitas ligni est simul cumSubstantia ligni,& ejus qualitatibus;& consequēter est quædam inter ea penetrabilitas naturalis: Ergo impenetrabilitas naturalis non bene assignatur pro ratione formali constitutivaQuātitatis. *Tertiò* supernaturaliter unum corpus affectum verâ Quantitate potest aliud penetrare; ut patuit de corpore Christi quanto, quod penetravit januas clausas illius loci, in quo Discipuli post S. Resurrectionem erant congregati: Ergo &c.

21. Respondeo.

Respondeo *ad Primum* Dist. Ant. quædam impenetrabilitas naturalis convenit etiam Substantiæ ratione Quantitatis afficientis Substantiam Conc. Ant. ex se Neg. Ant. *Ad secundum* Neg. Conseq. nam impenetrabilitas naturalis in conclusione asserta non excludit quascunque res ab eodem loco, cujusmodi sunt Substantia, qualitates; sed solùm alia corpora quanta, aut alias quantitates. *Ad tertium* Neg. pariter Conseq. conclusio enim procedit de impenetrabilitate naturali, id est in ordine ad agentia naturalia; non verò in ordine ad agentia supernaturalia; quale fuit Divinitas, quæ fecit corpus Christi penetrare per januas clausas.

QUÆSTIO III.

Utrùm Quantitas sit reverà distincta realiter à substantia, quam afficit.

Refert Doctor Subtilis 4. *dist. 12. q. 2. n. 15.* fuisse priscā quorundā opinionem, negantē Distinctionem realem Quantitatis à Substan-

ſtantia; quam deinde resuſcitârunt diſcipuli ejuſdem Doctoris ſcil. P. Occam, Gabriel, & alij Nominales; atque amplexati fuerunt recenter Hurtad. & Arriaga. ſed

1. *Quantitas distinguitur realiter à Substantia.*

Dico primò: Quantitas prædicamentalis omnino diſtingvitur realiter à Subſtantia corporea ſeu materiali, quàm afficit. Ita Scotus *cit. 4.* Et *2. diſt. 2. q. 9.* Et *diſt. 12. q. 1.* Et *5. Met. q. 9.* & ſequuntur Lychet. Baſſol. Mayr. Montuts. Columb. Villaver. Fuente, Ponc. & communis Scotiſtarum. Item S. Bonavent. *4. diſt: 14. art. 1. q. 3.* Et S. Thomas *3. part. q. 77. art. 2.* & communis Thomiſtarum. Et Complut. Suar. &c.

Probatur primò authoritate S. Auguſtini; qui *5. de Trinit. cap. 10.* ait, quod in unaquaque Subſtantia corporea aliud eſt Subſtantia, aliud Quantitas, & aliud qualitas: ſed ibidem loquitur de alietate reali; ut claret ex textu: Ergo &c.

Probatur ſecundò authoritate Philoſophi; qui varijs in locis diſtingvit realiter Subſtantiam à Quantitate; ſignanter in Log. *cap. de Quantitate.* Et *5. Met. cap. de quanto.* Et *7. Met. ſum. 2. cap. 1 text. 8.* ait, *longitudo, & latitudo, & profunditas Quantitates quædam ſunt; ſed non Subſtantiæ: Quantitas enim non eſt Subſtantia.* Et *1. Phyſic. tex. 15.* diſputans contra Meliſſum, & Parmedinem dicit, quæ ſunt alia à Subſtantia, prædicantur de Subſtantia; Quantitas autem prædicatur de Subſtantia; bona eſt enim prædicatio iſta *Subſtantia eſt quanta*: Ergo &c.

Probatur tèrtiò ratione: apertum ſignum diſtinctionis realis, puta ſeparabilitas, convenit Quantitati, & Subſtantiæ quantitate affectæ: Ergo Quãtitas diſtingvitur realiter à Subſtantia, quam afficit, Probat. Ant. non tantùm SS. PP. & Doctores Catholici docent, ſed etiam Fides Catholica, & Concilium Tridentinum *ſeſſ 13. can. 3.* dogmatizat, in Evchariſtia facta Conſecratione non remanere ampliùs Subſtantiam: & tamen remanet Quantitas; quia ad oculum videmus in hoſtia conſecrata remanere aliquid, ratione cujus habetur impenetrabilitas unius hoſtiæ cum alia: & impenetrabilitas accidentium unius hoſtiæ cum accidentibus alterius: item habetur id, in quo ut ſubjecto communi recipiuntur, & reſident accidentia panis, cujuſmodi ſunt odor, ſapor, calor, & ſimiles qualitates: Ergo ſignum diſtinctionis realis ſeparabilitas convenit Quantitati, & Subſtantiæ Quantitate affectæ.

2. *Arriaga replica exploditur.*

Reſpondet ad hoc argumentum Arriaga: illam impenetrationem unius hoſtiæ cum alia non provenire ab aliqua Quantitate remanente poſt receſſum Subſtantiæ; ſed oriri ab ubicationibus Subſtantiæ unius hoſtiæ remanẽtibus, quæ nequeũnt connaturaliter cum ubicationibus alterius hoſtiæ eſſe. *Contrà* primò: modus, qualis eſt ubicatio, non poteſt conſervari ſinè re modificata: unde cùm Subſtantia unius hoſtiæ tanquam modificatum receſſerit per Conſecrationem; pariter ubicationes ejus tanquam modi debuerunt recedere; & conſequenter ab ipſis oriri nequit impenetrabilitas unius hoſtiæ cum alia. *Contrà* ſecundò: ex hac doctrina ſequeretur, quòd albedo, & ſapor in hoſtia non ſe penetrarent; quia habent ubicationes diſtinctas, impedientes penetrationem.

3. *E. Nominalis confutatur.*

Reſpondent aliter Nominales: factâ Conſecratione remanere ſolas qualitates albedinis, ſaporis, odoris &c. quæ propriam habent Quantitatem ſibi identificatam realiter; & ſic licèt Quantitas panis in Evchariſtia non adſit; illa tamen accidentia qualitatum memoratarum ibi exiſtunt impenetrabiliter, ita ut una hoſtia cum alia nequeat penetrari. *Contrà* primò: Ergo ſicut illæ qualitates odor, ſapor, albedo &c. diſtingvuntur realiter à Subſtantia: ita Quantitates propriæ ipſis identificatæ, atque ita habetur intentum, quòd Quantitas diſtingvatur realiter à Subſtantia. *Contrà* ſecundò: falſum eſt, qualitates ejuſmodi habere diſtinctas Quantitates; quia aliàs non potuiſſent præfuiſſe ſimul in eadem Subſtantia, contra experientiam; quâ videmus ante Conſecrationem in eadem Subſtantia panis eſſe compenetratas qualitates albedinis, ſaporis, odoris &c. duæ enim Quantitates nequeunt eſſe ſimul naturaliter in eodem ſubjecto, & loco. Tandem non poteſt aſſignari quænam Quantitas iſtarum qualitatum fundet in una hoſtia conſecrata impenetrabilitatem cum alia hoſtia.

4. *RR quoque eliditur.*

Reſpondent alter RR. illam impenetrationem accidentium, ſeu qualitatum ſaporis, odoris &c. & cum alia hoſtia nõ provenire à Quantitate aliqua; ſed fieri per miraculũ, quâ DEUS ſtatuit ſupplere defectum Subſtantiæ in Evchariſtia; unde

quia

quia ante Consecrationem per Substantiam erant impenetrabilia illa accidentia; factâ postmodum Consecratione à DEO conservantur impenetrabilia eâdem volitione, quâ vult supplerionem Substantiæ. *Contrà* hoc est multiplicare miracula sinè necessitate; quia si dicatur Quantitatem esse distinctam à Substantia, & manere in Eucharistia, hæc faciet reliqua accidentia impenetrabilia sinè recursu ad miraculum. Præterea si non concedatur Quantitas pro hujusmodi accidentibus, & qualitatibus subjectandis, sed earum impenetrabilitas defendatur per miraculum, sequeretur quòd sanè singulis momentis, DEUS deberet circa ea patrare nova, & nova miracula; nam potest contingere, ut hostia consecrata exponatur tali loco, in quo ob circumstantia agentia varia naturalia nunc calefieri, nunc aliter alterari possit; quare DEUS semper deberet miraculosè conservare illum calorem, vel frigus novum, & supplere defectum subjecti immediati receptivi talium accidentium novorum: sed sequela videtur inconveniens: Ergo &c. Tandem hi RR. hac responsione committunt manifestum circulum; nam probant Quantitatem non distingvi à Substantia, ex eo, quòd accidentia in Eucharistia per miraculum conserventur sinè immediato subjecto Quantitatis, quò suppleret DEUS tale subjectum: & iterum probant illam suppletionem per miraculum ibi fieri ne dicatur ibi adesse Quantitas realiter distincta à Substantia; quod est committere circulum.

Probatur rursus aliâ ratione conclusio: si non daretur Quantitas in Eucharistia realiter distincta à Substantia, creatura posset creare: sed hoc est falsum, ut pluribus ostendo *tom. 2. Schol. Philosoph. tract. 1. dist. 10. q. 10.* Ergo &c. Probat. Maj. tunc habetur creatio, quando fit productio rei sinè prævio subjecto: sed ignis v. g. posset producere calorem, & combustionem in speciebus Eucharisticis sinè subjecto, si non daretur Quantitas in eis distincta realiter à substantia, quæ ponantur pro subjecto talis caloris: Ergo &c.

5. Alia ratio pro conclus.

Respondent RR. rursus per recursum ad miraculum; & dicunt illam productionem caloris, & combustionis esse dependenter à supplente miraculosè vices subjecti; & sic non fit ulla creatio, seu productio rei sinè subjecto. *Contrà* iterum ad miraculum confugiunt isti DD, sinè necessitate: ponatur Quantitas in speciebus Eucharisticis distincta realiter à Substantia, ac remanens post recessum Substantiæ, & non erit opus recurrere ad DEUM supplentem miraculosè vices subjecti.

6. Replica RR. ob jicitur.

Replicant rursus: etiam conclusio ista debet admittere hoc miraculum: Ergo recursus ad illud non est dicendus sinè necessitate. Prob. Ant. Substantia ignis est in ignitione hostiæ consecratæ; ideoque pro subjecto ipsam Quantitatē habere nequit: Ergo aliquod aliud subjectum, aut supplens vices subjecti, in quod ignis exerceat ignitionem, & calorem producat in eo. Respondeo Neg. Ant. & ad ejus Probat. dico, quòd Substantia ignis possit bene exercere ignitionē, & corrumpere accidens materiale Quantitatis sinè ulla substrata Substantia, aut supplente vices talis Substātiæ, atque in eodem accidente Quantitatis producere calorem; sicut potest ignis corrumpere qualitates humidas in aliquo corpore, sinè læsione Substantiæ illius corporis.

7. Eisdem occurritur.

Probatur iterum alia ratione Scoti omne absolutum prius aliò absolutò potest sinè contradictione esse sinè illo alio absoluto posteriori: sed Substantia est quoddam absolutum, prius Quantitate absolutâ: Ergo potest sinè contradictione esse sinè illa; & consequenter habet signum distinctionis realis ab illa. Præterea Prædicamenta constant in suis lineis naturis completis, & distinctis realiter: sed Substantia, & Quantitas sunt duo diversa Prædicamenta, ut patet ex Philosopho *in Præd. cap. 4.* Et *5. Met. text. 14.* & ampliùs ostensum est suprà *q. 1. concl. 3.* Ergo ambo constant naturis completis, & distinctis: ac consequenter distingvuntur realiter inter se.

Objicies primò: si Quantitas distingveretur realiter à Substantia, sequeretur, quòd DEUS posset illam separare à Substantia, & conservare: sed hoc implicat; Ergo &c. Probat. Min. datâ hypothesi quæro, an ista Substantia haberet partes extensas localiter, vel non? si dicas, quod sic: Ergo Substantia habet intrinsecam indistinctam Quantitatem; omne enim quod habet partes extensas localiter, est quantum, & habens quantitatem. Si dicas quòd non habeat partes extensas localiter: Ergo in instanti separationis Substantiæ à quantitate, partes Substantiæ, quæ

8. Quaedam objectio solvitur.

quæ antea erant extensæ localiter manent in loco conjunctæ; hoc autem est impossibile, quia quæ sunt localiter separata, non possunt conjungi, nisi per motum localem, cujus non sunt capaces absque Quantitate. Respondeo Conc. Maj. & Neg. Min. ad ejus Probat. dico, quòd datâ hypothesi talis Substantia non haberet partes extensas localiter circumscriptivè, sed diffinitivè; & sic esset in loco diffinitivè tantùm, sicut defactò est Angelus. Quando verò dicis, hoc esse impossibile, ex eo, quòd quæ sunt localiter separata, non possint conjungi nisi per motum: dico, quod talis conjunctio non sit per motum localem circumscriptivum; quia deficiente Quantitate non est motus circumscriptivus; sed transit Substantia ab extensa ad non extensam à loco circumscriptivo ad diffinitivum, hoc est per motum diffinitivum.

9. Aliu evacuatur.

Objicies secundò: Substantia ex se habet partes extensas antecedenter, & independenter à Quantitate; quia aliàs non posset recipere Quantitatem, nec extendi per illam: Ergo malè ponitur in ea aliqua Quantitas realiter distincta. Respondeo Neg. Conseq. quia licèt Substantia habeat ex se partes extensas, ut suprà dixi, ac proinde in ordine ad talem extensionem habendam non indigeat Quantitate distincta realiter; attamen eâ indiget, ut illæ partes extensæ reddantur impenetrabiles; & ut subjectent immediatè Qualitates.

QUÆSTIO IV.

De Divisione Quantitatis in Continuam, & Discretam; & de speciebus Discretæ.

1. Quid Quantitas continua, & discreta.

Nota primò: Philosophum *cap. de Quantitate* divisisse Quantitatem in continuam, & discretam. *Quantitas continua* ex eodem Philosopho definitur, *est illa, cujus partes terminô communi copulantur*; qui scilicet sit finis unius, & initium alterius: talis Quantitas est linea, cujus partes copulantur punctis, quæ sunt terminus, seu principium unius partis lineæ, & finis alterius. *Discreta* definitur, *est illa, cujus partes non copulantur terminô communi;* sed ad invicem discretæ seu segregatæ manent; talis est numerus; quia duæ unitates; quæ conficiunt binarium, non copulantur terminô communi; sed separatæ manent.

2. Divisio Quantitatis continuæ, & discretæ.

Nota secundò: Quantitas Continua, cùm sit genus, seu species subalterna, dividitur immediatè in permanentem, & successivam: & permanens rursus subdividitur in lineam, superficiem, & corpus quantum: & omnes tres rursus secantur in varias species. Successiva similiter partitur in tempus, & motum. De quibus omnibus in sequentibus quæst. Discreta verò Quantitas dividitur etiam in numerum, & orationem: hæ infrà elucidabũtur.

Nota tertiò: circa qualitatem Divisionis Quantitatis in Continuam, & Discretam divisæ sunt non tantùm Scholæ, ut Nominalium, & Neoterica; sed etiam Doctores ipsiusmet Scholæ Scotisticæ; nam Poncius, Faber, Mastrius, & quidam alij negant præfatam Divisionem esse generis in suas species, arbitrantes Quantitatem Discretam esse tantùm speciem adumbratam, & similitudinariam. Sed

3. Divisio quantitatis in continuam & discretam est generis in species.

Dico primò: Divisio Quantitatis in Continuam, & Discretam est divisio vera generis in suas species. Ita colligitur ex Scoto *q.. 16. prædicam.* Et *q. 17. & 5. Met. in com. cap. de quanto.* Et *1. Report. dist. 24.* ubi docet numerum esse Speciem Quantitatis Discretæ; Ergo censet Quantitatem Discretam esse veram speciem subalternam Quantitatis ut sic; tanquam generis. Eandem tenent Ant. Andreas, Joan. de Magistris, Mayr. Viger. Tartar. Paris. Columb. Villavet. & plurimi alij Scotistæ, ac Thomistæ.

Probatur *primò* authoritate Philosophi; qui *5. Met. cap. 13. text. 18.* dividit Quantitatem ut sic velnti genus in Continuam, & Discretam: Ergo &c. *Secundò* ratione: tunc fit divisio generis in suas species, quando divisum includitur in membris quidditativè, & ut pars: sed Quantitas ut sic tanquam divisum includitur quidditativè, & ut pars in Continua, & Discreta Quantitate: Ergo &c. Prob. Min. ex istis prædicationibus, quæ sunt bonæ, *Quantitas continua est Quantitas; & Quantitas Discreta est Quantitas*: Ergo &c. Præterea facultas Aristotelica versatur circa Quantitatem Discretam tanquam suum proprium subjectum: quælibet autem facultas respicit suum subjectum, ut genus, vel speciem: cùm

cùm ergo Quantitas Discreta non sit genus supremum, erit saltèm species genuina, & vera Quantitatis.

4. Poncio respondetur.

Objicies enm P. Poncio: Quantitas Discreta non est ens unum per se; sed per accidens, ut patet in numero v. g. ternario, qui conflatur ex tribus unitatibus materialibus, aggregatis absque ulla unitate per se, vel unione reali: sed omnis vera species Quantitatis debet esse ens unum per se: Ergo &c. Respondeo Neg. Maj. & ad exemplum numeri dico, illum numerum ternarium, & quemlibet alium; præter tres unitates materiales aggregatas omnino importare etiam unitatem formalem, quæ consequitur naturam specificam numeri, ut propria passio, ut habet Scotus *5. Met. q. 9.* ac proinde ratione talis unitatis constituitur in esse ternarij; efficiturque ens unum per se; ac consequenter vera species Quantitatis.

5. Objectio alia.

Objicies secundò: vera species generis prædicamentalis debet esse realis: sed Quantitas Discreta non est realis: Ergo &c. Prob. Min. secundùm Philosophum *8. Met. cap. 3.* Discreta Quantitas consistit in ordine unius ad aliud: ordo autem efficitur per operationem intellectûs: Ergo &c. Respondeo Negat. Min. cum Min. Probat. ejus; nam ordo rerum mundi est verus, & realis ordo independenter ab omni operatione intellectûs. Circa alterum articulum quæstionis.

6. Quid, & quotuplex sit Numerus.

Nota quartò: Numerum, & orationem passim assignant Thomistæ, & plurimi Scotistæ etiam de mente Scoti pro speciebus Quantitatis Discretæ alijs contradicentibus. Est autem duplex Numerus, Prædicamentalis, & transcendentalis. Per *Numerum Prædicamentalem* intelligitur multitudo aggregata ex unitatibus prædicamentalibus Quantitatis causatis ex divisione continui, ut docet Aristoteles *3. Physic: tex. 68.* Et Boëtius *de unit.* talis esset numerus ternarius causatus, & compositus ex tribus unitatibus unius tabulæ divisæ in tres partes. Hic convenit solis rebus corporeis. Per *Transcendentalem* intelligitur multitudo aggregata ex unitatibus transcendentalibus non quantis; talis est Numerus trium entium, seu graduum transcendentium, trium Personarum Divinarum, duorum Angelorum: hic vocatur Numerus tantùm secundùm quid, & convenit solis rebus non quantis, cujusmodi sunt Divina entia, entia spiritualia, entia rationis, & similia non quanta.

7. Quid materiale, & formale.

Nota quintò: Numerus præterea alius dicitur materialis, alius formalis. *Materialis* sunt ipsæ unitates simul aggregatæ, ex quibus consurgit ipse Numerus. *Formalis* est unitas formalis resultans ex præexistentibus unitatibus materialibus, per quam ipsemet Numerus formalis constituitur; ut unitas formalis binarij est, per quam formaliter in esse binarij constituitur binarius; hic coincidit cum Numero prædicamentali.

Nota sextò: circa naturam Numeri prædicamentalis, seu formalis litigant AA. etiam Scotistæ, num sit aliquid reale; Scotus videtur circa hoc problematicus; & eum magìs pro opposita parte inclinare volunt Mastrius, ac quidam alij Scotistæ: Sed

8. Numerus prædic. est reale quid.

Dico secundò: Numerus prædicamentalis non est aliquid pendens præcisè ab operatione intellectûs; sed probabiliùs est ens reale positivum. Ita colligitur ex Scoto *3. dist: 22. q. unic.* Et *1. Report. dist. 24.* Ita P. Tartar. Columb. Bargius, Montursius Ant. Andreas, Canonicus, Joannes de Colonia, Parisien. & alij Scotistæ; contra Bassol. Mayr. Mastr. Frassen, & alios Scotistas; ac contra Nominales, & RR. plures.

Probatur *primò:* Numerus est vera species Quantitatis Discretæ, ut docet Scotus *locô suprà pro concl. 1. citatô;* Quantitas verò Discreta est species vera subalterna Quantitatis ut sic tanquam generis generalissimi hujus secundi prædicamenti, ut patet ex Philosopho *5. Met. cap. 13. tex. 18.* Ergo Numerus prædicamentalis est aliquod ens positivum reale. Consequentia tenet; quia species prædicamentorum debent esse entia positiva realia, ex quibus Categoriæ construantur. *Secundò:* Objectū scientiæ realis debet esse aliquod positivum reale; tum quia Scientiæ secantur sicuti res *3. de anima tex. 38.* tum quia scientiæ specificantur ab objectis: Sed Numerus prædicamentalis est objectum Arithmeticæ, quæ est una ex scientijs Mathematicis, & realibus: Ergo Numerus prædicamentalis debet esse aliquod ens positivum reale. *Tertiò:* Numerus prædicamentalis est ens unum per se, ut *sequenti conclus:* probabitur: Ergo est ens reale. *Quartò.* Objectum sensûs est ens reale positivum; quia est sensibile; & sensus attingit singularia, quæ sunt rea-

lia

lia primò, & immediatè exiſtentia: ſed Numerus prædicamentalis eſt objectum ſenſûs, & unum ex quinque ſenſibus communibus *2. de anima tex. 64.* Ergo eſt aliquod reale poſitivum. *Quinto:* nemine cogitante intellectu ſunt quatuor elementa, & tria principia phyſica, & intellectus ea cognoſcit, ut ſunt à parte rei: Ergo Numerus prædicamentalis quaternarius, & ternarius eſt quid poſitivū reale.

9. *S. Auguſt: objectio gloſſatur.*

Objicies primò: S. Auguſtinus *lib. 2. de lib. arbit. cap. 9.* dicit, quòd Numerus ſit aliquod intelligibile: Ergo pertinet ad intellectum; & conſequenter non eſt ens reale. Reſpondeo gloſſando S. Patrem, & dico eum loqui de Numero numerante; non verò de Numero, quô numeramus. Triplex enim datur Numerus; Numerus ſcilicet numerans, Numerus numeratus, & Numerus quô numeramus. *Numerus numerans* eſt ipſa anima ſeu intellectus, qui numerat, id eſt diſtingvit unum ab alio; & de hoc procedit illud dictum Comment. *mens facit Numerum in rebus*, id eſt intellectus actu numerat ipſas res: & in hoc ſenſu etiam accipiendæ ſunt authoritates Philoſophi, & Scoti; quibus quandoque inſinuant Numerum ſpectare ad animam, fieri ab intellectu, eſſe in intellectu &c. *Numerus numeratus* ſunt ipſæ res numeratæ v.g. quatuor elementa, tres ſtellæ &c. *Numerus* tandem *quô numeramus* eſt ille, quô numerantur res numeratæ; talis eſt binarius, ternarius, quaternarius &c.

10. *Numerus eſt ſpecies vera Quantitatis.*

Dico tertiò: Numerus prædicamentalis eſt genuina ſpecies prædicamentalis Quantitatis Diſcretæ. Ita Scotus *q. 16. & 17. prædicam. & 5. Met. in com. cap. de quanto.* Et S. Thomas. Et ſequuntur Joan. de Maſtris, Monturſ. Tartar. Viger. Pariſien. Columb. & alij Scotiſtæ, ac Thomiſtæ; contra P. Ponc. Maſtrium, Bellut, Fraſſen, Scotiſtas, & ex alienis contra Conimbr. Suar. Averſ. Fonſecam, & Nominales.

Probatur primò authoritate Philoſophi; qui *5. Met. cap. 13. tex. 18.* Quantitatem Diſcretam agnoſcit veram ſpeciem ſubalternā: Ergo hæc debet habere aliqua inferiora ſub ſe, tanquam genuinas ſpecies. Subſumo, ſed inter ea primum locum obtinet Numerus prædicamentalis, ut habet Scotus *loc. cit.* pro concluſ. Ergo hic eſt genuina ſpecies Quantitatis Diſcretæ. *Secundò* ratione: ideo ſecundùm adverſarios Numerus non eſſet genuina ſpecies Quantitatis Diſcretæ, quia non eſt aliquod ens unum per ſe, ut arguit Poncius, & alij Scotiſtæ oppoſiti: ſed Numerus prædicamentalis eſt ens unū per ſe: Ergo eſt genuina ſpecies Quantitatis Diſcretæ. Probat. Min. Tum quia Scotus *5. Met. q. 9. & 8. Met. ad tex. 10.* admittit in Numero prædicamentali unitatem formalem; & conſequenter cenſet illum eſſe ens unum per ſe ratione talis unitatis: tum quia de ente per accidens non habetur ſcientia, ex Philoſopho *6. Met. cap. & text. 4.* ſed de Numero prædicamentali habetur ſcientia ſcilicet Arithmetica; & de Numero ſonoro habetur Muſica: Ergo Numerus non eſt ens aliquod per accidens: Ergo eſt ens per ſe unum.

11. *Maſtrius objicienti reſpondetur.*

Objicies primò cum Maſtrio: Numerus prædicamentalis non dicit aliquam unitatem, ſecundùm quam eſſet ens unum per ſe, & collocabile in Prædicamento: Ergo. Prob. Ant. Scotus *1. diſt. 2. q. 7.* enumerat quinque gradus unitatis, ex quibus non continetur unitas Numeri prædicamentalis ſufficiens ad hoc, ut ſit ens unum per ſe: Ergo &c. Probat. Ant. in primo gradu collocat minimam unitatem, aggregationis ſcilicet; in ſecundo unitatem ordinis; in tertio unitatem per accidens, in quarto unitatem compoſitionis; & in quinto unitatem ſimplicitatis, quæ dicitur maxima unitas; ſed ex his unitatibus Numerus prædicamentalis nullam habet, quæ eſſet ſufficiens ad hoc, ut ſit ens unum per ſe: unitas enim aggregationis, quæ ipſi convenit, non ſufficit: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. cum Ant. Probat. ejus, & ad Probat. ejuſdem dico, Numerum prædicamentalem dicere unitatem compoſitionis metaphyſicæ, in quantum conſtat ex genere, & differentia, ſcilicet ex Quantitate Diſcreta; & tanta, vel tanta extenſione ſecundùm multitudinem.

12. *Dicta Philoſophi gloſſantur*

Dices: Philoſophus denegat Numero unitatem per ſe: Ergo non habet unitatem compoſitionis metaphyſicæ. Prob: Ant. *3. Phyſic. text. 68.* dicit; Numerum eſſe tantùm multas unitates. Et iterum *8. Met. cap. 4. ſum. un. text. 10.* ait, Numerum non eſſe unum; ſed ſicut cumulum: Ergo Philoſophus denegat Numero unitatem per ſe; & attribuit ei ſolam unitatem aggregationis cumuli, quæ non eſt

est sufficiens ad esse speciem genuinam Quantitatis. Respondeo Neg. Ant. ad ejus Probat. interpretor Philosophum, & dico ipsum loqui de Numero materiali; non autem de formali; de quo procedit conclusio. Et in hoc sensu etiam glossandus est Scotus, ab adversarijs Scotistis objectus in *3. Physic. tex. 68.* Et *8. Met. tex. 10.* Et *10. Met. tex. 20.* ubi videtur negare Numerum esse ens per se unum; sed potiùs plura entia, & plurium unitatum congeriem. Pro sequenti conclusione circa orationem.

13. *Quid sit Oratio prædicamentalis.*

Nota septimò: in præsentiarum per orationem non intelligi contextum quemdam significativum vocalem, plurium vocum articulatarum, quæ successivè proferuntur ab homine; qualis esset iste, si quis proferret ista verba voce, *Leopoldus primus Cæsar Invictissimus anno 1683. die 12. Septembris sub Vienna Austriæ profligavit ducenta millia Turcarum:* sed est vox quædam articulata constans pluribus syllabis brevibus, vel longis, successivè prolatis; talis est ly *populus* & ly *animal*, & similes voces, aptæ ad condendum conceptum, & harmoniam: & breviter sic definitur; *est Quantitas syllabarum discretiva.*

14. *Oratio est vera species Quantitatis.*

Dico quartò: Oratio quoque est genuina species Quantitatis Discretæ: Ita Scotus *q. 18. & 19. prædicamentalis*; & sequuntur Mouturfius, Columbus, Villaver. Tartar. Viger. & alij Scotistæ; & S. Thomas *opus. 42.* cum Scoto, Soncinn. Tolet. Ruvio &c. contra P. Frassen, Fuente, Mastr. Bellut. & alios Scotistas; ac contra Conimbric. Suar. & alios RR.

Probatur *primò* authoritate Philosophi; qui *cap. de Quantitate* sub Quantitate Discreta collocat immediatè tanquam genuinas species Numerum, & Orationem: Ergo &c. *Secundò* ratione: Oratio habet veram rationem Quantitatis Discretæ, est enim brevis, vel longa seclusâ brevitate, vel longitudine temporis; sic ista vox articulata *Constantia*, quæ vocatur in proposito oratio quædam, habet primam, & secundam syllabam longam; tertiam verò, & quartam habet brevem absq; longitudine, & brevitate temporis: nam circumscriptô omni tempore horæ, diei &c. Oratio ista adhuc esset longa, & brevis in suis syllabis, id est producta, vel correpta: Ergo Oratio est genuina species Quantitatis Discretæ. Præterea Oratio est ens unum per se, sicut Numerus, habet enim unitatem compositionis metaphysicæ ex Quantitate Discreta ut genere, & ex tali vel tali Discretione syllabarum, secundùm quam dicitur brevis, vel longa, ut differentia: & dicitur prolongatio, vel correptio syllabæ: Ergo est genuina species Quantitatis Discretæ sicut Numerus.

15. *Objectio.*

Objicies *primò*: Scotus *4. dist. 1. q. 2.* docet, quòd oratio ex multis syllabis non faciat unum per se: Ergo nequit esse species vera Quantitatis. *Secundò*: Discretio brevitatis, & longitudinis syllabarum, quæ putatur esse differentia constitutiva Orationis in ratione distinctæ speciei, contentæ sub Quantitate Discreta, etiam convenit speciebus Quantitatis continuæ; quia Quantitates quædam continuæ sunt longæ, ut ulna, quædam breves, ut quadrans ulnæ: Ergo nequit Orationem constituere, ut speciem distinctam Quantitatis Discretæ.

16. *Retunduntur.*

Respondeo *ad Primum* explicando Doctorem, & dico eum *locô cit.* loqui de Oratione, ut est significativa; quæ haud dubiè non facit unum per se: præscindendo ab oratione intellectûs, & impositione voluntatis: non autem loquitur de Oratione ut est Quantitas Discreta; sub qua consideratione reverà facit ens unum per se tam integrale, quàm metaphysicum. *Ad secundum* dico, brevitatem, & longitudinem posse dupliciter considerari; *primò* ut significant magnitudinem majorem, vel minorem; & sic convenient soli Quantitati continuæ: *secundò* quatenus longitudo dicit dilationem, & productionem syllabæ; brevitas verò correptionem, seu restrictionem syllabæ; & sic conveniunt soli Quantitati Discretæ, quæ est Oratio, & hac ratione discretio brevitatis, & longitudinis syllabarum est differentia constitutiva Orationis, ut speciei distinctæ Quantitatis Discretæ.

QUÆSTIO V.

De Divisione Quantitatis in Permanentem, & successivam; & hujus speciebus similitudinarijs Tempore, & Motu.

Nota

1. *Quid sit Quătitas permanens, & successiva.*

NOta primò: Philosophum *cap. de Quantitate* pariter dividere Quantitatem, scilicet Continuam in Permanentem, & Successivâ; primam appellat Quantitatem *quæ constat partibus positionem ad invicem habentibus*, id est quæ habet partes permanentes. Secundam, Quantitatem *quæ non constat partibus positionem ad invicem habentibus*; id est quæ habet partes successivas. *Quantitas Continua Permanens* est, cujus partes extensæ simul permanent; talis est quantitas ligni, hominis &c. *Successiva* est, cujus partes sibi invicem succedunt, & non simul existunt. *Successivam* deinde partitur ulteriùs in Motum, & Tempus; de quibus omnibus inquiritur, num sint genuinæ species Quantitatis Continuæ?

2. *Quantitas permanens est vera species Quătitatis.*

Dico primò: Quantitas Permanens est genuina species Quantitatis continuæ. Ita Scotus *2. dist. 2. q. 9. & in prædicamentis q. 20.* ubi assignat tres Quantitates permanentes veluti vera inferiora Quantitatis permanentis ut sic, scilicet lineam, superficiem, & corpus: adeoque censet Quantitatem permanentem esse veram speciem subalternam Quantitatis continuæ. Doctorem sequitur communis Scotistarum.

Probatur: Tum quia tota definitio, & ratio Quantitatis Continuæ ut sic convenit Quantitati Permanenti; sicut ratio & definitio animalis convenit homini; Ergo Quantitas Permanens est genuina species Quantitatis Continuæ. Tum quia Philosophus *cap. de Quantitate* Quantitatem Permanentem agnoscit pro vera specie Quantitatis Continuæ; unde ibidem ejus inferiora assignat, & explicat, scilicet lineam, superficiem, & corpus: Ergo &c.

3. *Non verò successiva.*

Dico secundò: Quantitas successiva non videtur esse propria species Quantitatis Continuæ; & consequenter neque motus & Tempus. Ita Scotus *5. Met. cap. 13.* sequuntur Poncius, Frassen & Scotistæ; ac S. Thomas & Thomistæ multi; item Suar. &c. contra Villau. Tartar. Myr. Joan. à Colonia, Fuente, Cavell. & alios Scotistas; & contra Conimbr. Fonsec. &c.

Probatur primò authoritate Philosophi; qui *5. Met. cap. 13.* expressè asserit Motum, & Tempus, quæ putantur esse quædam Quantitates successivæ Continuæ, esse entia per accidens; & consequenter incapacia, ut sint species veræ alicujus Categoriæ: Ergo Quantitas successiva, & consequenter Motus & Tempus non sunt veræ species Quantitatis Continuæ.

4. *Sive sit motus.*

Probatur secundò ratione: specialiter de Motu; Motus considerari potest vel pro materiali, vel pro formali; si pro materiali consideretur, est ipsa entitas formæ fluentis, seu forma in fieri, ad quam terminatur motus, ut ostendo ampliùs *tom. 2. Schol. Philos. tract. 1. dist. 11. de motu q. 2. concl. 1.* & hæc non est præcisè de genere Quantitatis, sed de illo Prædicamento, in quo fit motus; puta si fiat in Prædicamento Substantiæ, est Substantia si in Prædicamento qualitatis, est qualitas &c. Si verò pro formali consideretur, est quædam relatio mobilis ad movens, ut doceo *cit. 2. tom.* Ergo motus non est vera species Quantitatis continuæ. Præterea partes veræ Quantitatis Continuæ debent copulari terminô communi; ut dicit Philosophus *cap. de Quantitate*: sed partes Motûs taliter non copulantur, seu uniuntur terminô aliquô communi: Ergo is non est vera species Quantitatis Continuæ. Prob. Min. in calore fluente v. g. ad quem terminatur verus Motus calefactionis, aliqui gradus jam sunt acquisiti, & sic Motus, per quem fuerunt acquisiti, non est ampliùs; aliqui verò adhuc sunt acquirendi, & sic ille Motus nondum est, sed futurus est; quod autem fuit, & futurum est, non copulatur realiter terminô communi; quia non sunt existentia: Ergo partes Motûs non copulantur, seu uniuntur terminô communi.

5. *Sive Tempus.*

Probatur etiam specialiter de Tempore: Tempus est quædam species durationis rei successivæ, per partes continuò fluentis, cujusmodi est actio successiva, & omnis Motus successivus; ut doceo ampliùs *tom. 2. tract. 1. dist. 16. q. 2.* sed talis duratio non est vera Quantitas: Ergo &c. Probat. Min. talis duratio est proprietas Motûs Successivi: Ergo sicut Motus Successivus non est vera species Quantitatis, ita nec ista duratio.

Objicies *primò*: Philosophus *cap. de Quantitate* ponit Motum, & Tempus tanquam Species Quantitatis continuæ: Ergo &c. *Secundò*: Scotus *5. Met. q. 9.* docet, Motum esse quantum per se: Ergo est

6. Objectioni obviatur.

go est vera species Quantitatis. Respondeo ad Primum: Philosophum non procedere *cit. loc.* ex propria sententia; sed solùm proponit, quòd suo tempore esset communis opinio de Motu, & Tempore, quòd sint quædam species Quantitatis Successivæ. *Ad Secundum* dico, Doctorem *loco cit.* pariter non procedere resolutivè, & de sua mente: nam hanc difficultatem in utramq; partem ibi disputat: Deinde verò *in 4. dist. 13.* clarè docet, Motum non esse præcisè de genere Quantitatis; sed esse collocabilem in illo Prædicamento, in quo collocatur forma, quæ per Motum acquiritur. Posset etiam dici, quòd Doctor *in loco* objecto, & alibi; uti & Philosophus quandoque vocent Motum, & Tempus Quantitatem imperfectam, similitudinariam & abusivè, atq; juxta vulgarem æstimationem.

QUÆSTIO VI.

De divisione Quantitatis continuæ permanentis in Lineam, superficiem, Corpus; & de horum inferioribus.

1. Quid Linea, Superficies & Corpus.

Nota primò: Philosophus pariter *cap. de Quantitate* subdividit Quantitatem continuam permanentem in lineam, superficiem, & corpus *Linea* est Quantitas permanens continua unius tantùm dimensionis; seu quantitas longa sinè latitudine, aut profunditate, habens partes suas copulatas punctô. *Superficies* est quantitas duarum dimensionū; seu quantitas longa, & lata sinè profunditate, habens suas partes copulatas lineis, *Corpus* (intellige mathematicum, non verò Substantiale Physicum, vel gradum illum Metaphysicum) est quantitas trium dimensionum; seu Quantitas longa, lata, & profunda habens partes suas copulatas Superficiebns.

Nota Secundò: circa natnram harum Quantitatnm est Sententia Durandi, & aliorum, docentium, Lineam, & superficiem non esse entitates positivas; sed negationes duntaxat quarumdam dimensionum; nempe Lineam esse negationem latitudinis, & profunditatis; Superficiem verò negationem profunditatis; & solum Corpus esse veram speciem Quantitatis continuæ permanentis. Sed

2. Linea, & Superficies sunt veræ positivæ entitatis.

Dico primò: Linea, & Superficies non sunt puræ quædam negationes; sed entitates veræ positivæ. Ita Scotus *5. Met. cap. & tex. 18.* Monturs. Tartar. Bassol. & communis aliorum Scotistarum; item Comment. super *5. Met. tex. 18.* Svarez &c.

Probatur *primò*: authoritate Philosophi; qui *cap. de Quantitate* Et *5. Met. cap.* Et *tex. 13.* Lineæ, & Superficiei tanquam Speciebus veris Quantitatis continuæ concedit entitatem positivam: Ergo &c. Secundò ratione: quæ definiuntur definitione quidditativa, sunt veræ positivæ entitates; quia non entis, cujusmodi sunt negationes, non datur definitio quidditativa ex Philosopho *1. & 2. Poster. & 7. Met. cap. de part. definit.* sed linea, & superficies definiuntur definitione quidditativâ, ut patet ex eodem Philosopho. Et *5. Met.* Et ex Euclide *in Elem. suæ Geometriæ*: Ergo Linea, & superficies sunt entitates positivæ.

3. Linea, Superficies, & Corpus sunt species Quantitatis.

Dico secundò: Linea, Superficies, & Corpus mathematicum sunt genuinæ tres species Quantitatis Continuæ permanentis; inter se ac â corpore distinctæ. Ita Scotus *2. dist. 2. q. 9.* Et eandem supponit ut certam *q. 20. prædicam.* Et sequuntur Villaver. Fuent. Columb. Monturs. Frass. Ponc. & communis aliorum Scotistarum: ac S. Thomas *opusc. 48. tract. 3. cap. 5.* & communis Thomistarum contra Durand. Hurtad. Caverum; ac contra Occam, Gregor. alióśque Nominales.

Probatur prima pars *primò* authoritate Philosophi qui *cap. de Quantitate*, & *5. Met. tex. 13. & 18.* Lineam, Superficiem, & Corpus mathematicum assignat pro veris Speciebus Quantitatis continuæ permanentis: Ergo &c. *Secundò* ratione: illa censetur esse genuina species, quæ collocatur sub genere assignato, & prædicatur de suis inferioribus in quid, ut habet Porphyrius *cap. de specie*: sed Linea Superfices, & Corpus mathematicum sunt hujusmodi; collocantur enim sub genere Quantitatis Continuæ permanentis, & Linea prædicatur in quid de hac & illa Linea; Superfices quoque de hac & illa Superficie; & Corpus de hoc, & illo Corpore: Ergo sunt genuinæ Species Quantitatis Continuæ permanentis. *Tertiò*: Linea, Superficies, & Corpus participant naturam

ram communem, ſeu genericam Quantitatis Continuæ; ſunt enim accidentia naturaliter impenetrabilia, quorum partes terminò communi copulantur; item participant ejuſdem proprietates communes, ſcilicet diviſibilitatem, menſurabilitatem, extenſionem &c. Ergo ſunt ejus veræ, & genuinæ Species.

4. *Objecta contraria.*

Objicies *primò*: una ſpecies non includitur in altera: Sed Linea includitur in Superficie, & Superficies in Corpore, ſecundùm Philoſophum 5. *Met.* 13. Ergo non ſunt genuinæ ſpecies Quantitatis Continuæ. *Secundò*: terminus Quantitatis non eſt Quantitas; ſicut terminus relationis non eſt relatio: ſed Linea eſt terminus Superficiei, & Superficies terminus Corporis; Ergo hæc duo non ſunt ſpecies veræ Quantitatis.

5. *Diſſipantur.*

Reſpondeo *ad Primum* Diſt. Maj. una ſpecies nõ includitur in alia tanquã ipſius genus, vel differentia Conc. Maj. tanquã ipſius terminus Neg. Maj. & diſt. pariter Min. Linea includitur in Superficie ut genus, vel differentia Superficiei Neg Min. ut ejus terminus Concedo Min. Et Neg. Conſeq. Itaque una ſpecies poteſt in alia includi tanquam ejus terminus. *Ad ſecundum* dico Lineam, & Superficiem poſſe dupliciter conſiderari: *primò* ſecundùm propriam extenſionem, quatenus Linea eſt extenſa, & diviſibilis ſecundùm longitudinem tantùm; ſuperficies verò extenſa, & diviſibilis ſecundùm latitudinem. *Secundò* prout Linea dicitur non extenſa ſecundùm latitudinem; & ſuperficies non extenſa ſecundùm profunditatem, primô modô conſideratæ Linea, & Superficies ſunt veræ Quantitatis ſpecies; non autem illius termini: Secundô verò modô ſunt termini, & ut ſic non habent rationem Quantitatis. In forma Diſt. Min. Linea eſt terminus Superficiei, & Superficies terminus Corporis ſecundùm illam rationem, & conſiderationem, quâ ſunt ſpecies veræ Quantitatis Neg. Min. Secundùm aliam Conc. Min.

6. *Hæ tres ſpecies ſunt realiter diſtinctæ inter ſe.*

Probatur ſecunda pars Concluſ. quòd ſcilicet ſint ſpecies inter ſe, & à Corpore diſtinctæ: quæ habent diſtinctas definitiones quidditativas, diſtingvuntur ſpecie inter ſe; ut patet ex Ariſtotele 7. *Met. text:* 13. ſed Linea, Superficies, & Corpus habent diſtinctas definitiones quidditativas ex eodem Ariſtotele *cap. de Quantitate.* Et 5. *Met. text.* 18. Ergo &c. Præterea ubi ſunt paſſiones diſtinctæ, ſunt quoque naturæ ſpecificæ diſtinctæ: Sed in Linea, Superficie, & Corpore ſunt diſtinctæ paſſiones: Ergo diſtinctæ quoq; naturæ ſpecificæ; & conſequenter ſunt ſpecies inter ſe & à Corpore diſtinctæ. Probat. Min. nam Euclides *in Elem. Geomet.* de Linea demonſtrat paſſiones rectitudinis, & curvitatis: de Superficie planum, & convexum: de Corpore Sphæricum trilaternum, quadrilaternum, & ſimilia: ſed hæ ſunt paſſiones diſtinctæ: Ergo &c. Tandem Linea, Superficies, & Corpus habent diverſas extenſiones: Ergo ſunt ſpecies diſtinctæ inter ſe. Circa ultimum articulum quæſt.

7. *Lineæ inferiora.*

Nota tertiò: Lineam Superficiem, & Corpus in varia ſecari inferiora, ex quibus, & alijs diviſionibus Quantitatis hactenus oſtenſis facili negotiô ſchema, & Arbor prædicamentalis Quantitatis erigi poterit. Itaq; Linea primò ſecatur in rectam, & curvam. *Recta* eſt Quantitas unius dimenſionis rectè progrediens. *Curva*: eſt quantitas unius dimenſionis inflexè fluens. Ex utriuſq; concurſu fit Angulus, tum rectus, tum curvus; tum mixtus, quorum figurationes vide infrà.


8. *Superficiei inferiora.*

Nota quartò: Superficies partitur in Circulum, triangulum, & quadrangulum. *Circulus* eſt quantitas duarum dimenſionum in gyrum perfectum deducta, Triangulus eſt, qui conſtant tribus lateribus, & eſt vel *Æqualis*, id eſt trium laterum æqualium; vel *Iſoſceles*, id eſt duorum laterum æqualium, & unius inæqualis; vel *Scalenum* ideſt trium laterum inæqualium. *Quadrangulus* eſt, qui conſtat quatuor lateribus & eſt vel *Æqualis*; vel *Rombus*; vel *Trapezius*, quos luſtra infrà.

9. *Et Corporis.*

Nota quintò: Corpus ſecatur in Sphæram; & cubum. *Sphæra* eſt quantitas trium dimenſionum perfectè rotunda undiq;. *Cubus* verò eſt figuræ quaſi quadræ ſingulorũ: iſtorum inferiorum lineæ, ſuperficiei, & corporis figuras contemplare in annexo ſchemate.

Qua-



10.
Locus non est Quantitatis species.

Quæres: an Locus etiam annumerandus sit speciebus Quantitatis Continuæ ut species distincta à superficie? Respondeo cum Scoto *5. Met. q. 9. & q. 20. prædicamentali* negativè; contra Albert. Mag. Canter. & Tolet. Ratio est; tum quia ita constat ex Aristotele *1. Met.* Tum quia locus est ipsa Superficies corporis ambientis, ut ampliùs ostenditur *tom. 2. Schol. Philosoph. Tract. 1. dist. 14. q. 2.* & pro formali ei superaddit tantùm relationem continentiæ; ut dicitur ibidem: Relatio autem non constituit peculiarem, & distinctam speciem Quantitatis: Ergo &c. Nec huic resolutioni obstat Philosophus, qui *cap. de Quantitate* locum commemorat inter Species Quantitatis Continuæ: nam ut docet Scotus *cit. 5. Met.* & notat Avicenna Philosophus *in cit. cap.* non procedit resolutoriè, & de sua mente; sed juxta vulgarem opinionem aliorum: unde *4. Phys.* Loci naturam examinans docet, Locum non esse Quantitatem Continuam.

QUÆSTIO VII.

De Proprietatibus Quantitatis.

1.
Prima proprietas Qãtitatis.

PRima Proprietas, quæ ab Aristotele tribuitur Quantitati *c. de Quãtitate*, est, *non habere contrarium*: hæc etiam convenit Substantiæ, & est intelligenda de contrarietate propriè dicta, quæ solis Qualitatibus convenit, quatenus respiciunt idem subjectum commune, à quo se expellunt: qua ratione contrariantur calor, frigus; quia calor v. g. expellit frigus ab eadem aqua. Ratio hujus proprietatis est; quia una Quantitas propriè non expellit aliam; sed potiùs una aliam includit; sic Superficies includit Lineam, & utraque includitur in Corpore: & consequenter una non est alteri propriè contraria, contrarietate arguente expulsionem à subjecto. Unde quantumvis Quantitas Continua, & Discreta; magnum, & parvum; multum & paucum; Linea curva, & recta; sursum, & deorsum; longum & breve; profundum, & humile; majus, & minus; & similia quanta quandam oppositionem inter se habere videantur; attamen reipsâ, propriè non contrariantur inter se: aut si aliqua contrarientur, propriè quâ talia ad genus hoc prædicamentale Quantitatis non spectant: unde ratio Quantitatis Continuæ, & Discretæ solùm opponuntur ut duæ differentiæ unum commune genus dividentes, quæ est impropria contrarietas: magnum verò, & parvum, & reliqua suprà enumerata quatenus sibi opponuntur, reducuntur ad aliud prædicamentum, scilicet vel relationis, vel qualitatis; ut docet Philosophus *capit. de Quanto n. 20. nihil enim* (inquit) *per se magnum est, aut parvum; sed eo quod ad alterum referantur, & ut cum altero comparentur*; quibus verbis Prædicamentum relationis insinuatur; sic v. g. ovis dicitur magna per respectum ad formicã; per respectum verò ad elephantem dicitur parva, atque adeò per comparationem, & re-

relationem magnum, parvum, majus, minus &c. talia dicuntur.

2. Secunda. *Secunda* Proprietas Quantitatis est, *non suscipere magis, vel minus*: hæc pariter cóvenit Substantiæ: & ejus sensus est, quòd Quantitas non possit intendi, aut remitti per additionem, vel sublationem gradûs novi; unde una Linea non est magis Linea, quàm altera. Ratio est; quia per intensionem plures partes formæ sunt in eodem situ, ac in eadem parte subjecti; & per remissionem tolluntur tales plures partes: Quantitas autem est ratio ut partes extensionis petant diversam partem loci; seu ut partes sint extra se invicem localiter. Quantitas tamen suscipit majus, vel minus; unde una Linea est major alterâ; & unus Numerus major alterô est; ratio est; quia suscipere majus vel minus in Quantitate continua, est esse plus, vel minus extensum; quod utique ad sensum videmus convenire lineis trium pedum, & sex pedum, in Quantitate verò discreta est habere plures vel pauciores unitates; quod pariter experimentô constat convenire numeris ternario, & millenario.

Hæ duæ proprietates, cùm etiam Substantiæ conveniant, in rigore, & adæquatè proprietates dici nequeunt; sed quædam duntaxat affectiones communes: quare Scotus 5. *Met. q. 9.* & alibi alias quatuor genuinas adæquatas, & Quantitati præcisè convenientes tradit, quas elicit ex Philosophô 3. *Phys.* Et 5. *Met.* & in sequentibus explanabuntur. Unde

3. Tertia. Tertia proprietas Quantitatis est, *esse divisibiles in partes integrales impenetrabiles naturaliter*. Dicitur *in partes integrales*, ad distinctionem divisibilitatis in partes essentiales, quæ convenit Substantiæ compositæ: dicitur *in partes naturaliter impenetrabiles*, ad distinctionem divisibilitatis in partes entitativas, quæ importat solam partium distinctionem entitativam, ac separabilitatem unius ab alio; quæ pariter convenit Substantiæ; divisibilitas verò, quæ est proprietas adæquata Quantitatis, importat separabilitatem unius ab alia per impossibilitatem, & impenetrabilitatem earum ad invicem, & fit instrumentô corporeô per cessionem unius quanti alteri quanto, coëxistenti occupare eundem locum.

4. Quarta. *Quarta* est, *esse finitum, vel infinitum*: nam omnis Quantitas prædicamentalis de factò est aut finita actu, & categorematicè, aut infinita in potentia, seu syncategorematicè; ut habet Scotus 2. *Met: q. 6.* sic linea v. g. tracta de uno angulo cellæ ad alterum est finita actu & categorematicè; fieret verò infinita syncategorematicè; si à DEO semper ipsi adderetur alia, & alia pars; vel si semper divideretur in minores in infinitum partes inæquales, quod ut possibile docebo *tom: 2. Schol. Philosoph. Tract. 1. dist. 13. q. 4. concl. 2.*

5. Quinta. *Quinta* est, *esse æquale, vel inæquale*: & ejus sensus est, quòd omne quantum aut excedat aliud, & habetur inæqualitas, aut æquipatetur, & habetur æqualitas: sic omnis linea est æqualis, vel inæqualis alteri. Hæc proprietas, ut notat Scotus 2. *dist. 3. q. 3.* convenit soli Quantitati finitæ; unum enim infinitum formaliter non est majus alterô; & consequenter nec inæquale; similiter unum infinitum non dicitur propriè æquale alteri. Eadem proprietas debet intelligi de æqualitate & inæqualitate in rigore, quam scilicet habent res in extensione partium impenetrabilium; aliàs enim etiam unus Angelus dicitur æqualis alteri in perfectione.

6. Sexta proprietas. *Sexta* est, *esse mensuram*; quod intelligi debet aptitudinaliter, quatenus scilicet quantum est aptum mensurare, seu certificare intellectum de magnitudine molis alicujus, arboris, panni, multitudinis numericæ &c. quia plures sunt quantitates, quæ actu nihil mensurant.

Nota primò: à DD. addi nonnullas alias proprietates: ut habere positionem partium in ordine ad locum: quod intelligi debet, aptitudinaliter quatenus Quantitas est apta locum occupare circumscriptivè. Item figurabilitas, ubicabilitas circumscriptiva, quæ sunt partiales affectiones Quantitatis, quæ magnitudo dicitur, raritatem, densitatem, asperitatem, lenitates, & similes; quæ tamen non ita propriè sunt Quantitas, ut non conveniant etiam alijs quibusdam prædicamentis: quare ab earum explicatione hic supersedeo.

DI-

DISTINCTIO VI.

De Qualitate.

PROOEMIUM.

P*Hilosophus* 5. Met.cap.4. *post Quantitatem elucidatam, proponit Categoriam Qualitatis, eamq; explanat, ut sic compleat doctrinam de Prædicamentis absolutis: cum quo & ego ea quæ digna scitu occurrunt, circa ejus naturam, Species, Modos, ac Proprietates, exhibebo hac distinctione; unde sit.*

QUÆSTIO I.

De acceptionibus; existentia; natura; perfectione; & divisione Qualitatis.

1. Acceptiones Qualitatis.

NOta primò: secundùm Philosophum 5. *Met. cap.* 14. & Scotum *ibidem* hoc vocabulum *Qualitas* esse æquivocũ, & multiplicis acceptionis; sed tres potiores ipsemet Philosophus *cit. locô* affert. *Primò* accipitur pro differentia quidditativa cujusvis naturæ; in hoc sensu accipitur à Porphyrio *in Isag. cap.* 3. ubi ait, differentiam esse, quæ prædicatur de multis differentibus specie in quale quid. *Secundò* usurpatur pro quocunque accidente prædicamentali, sive absoluto, sive relativo, modificante substantiam, & illam denominante; in hoc sensũ pariter usurpatur à Porphyrio *in eadem Isag. cap. de accidente*, dum dicit, accidens prædicatur in accidente quale de suis subjectis. *Tertiò* pro illo duntaxat accidente absoluto, quod denominat Substantiam speciali modô, id est, qualificando, & determinando; & in hac acceptione, quæ est propria, & ad propositum Qualitas à Philosopho definitur *in lib. Præd. cap.* 8. quòd *sit illa, secundùm quam quales dicimur*: hæc data est per effectum formalem; & à multis DD. recentioribus negligitur; unde ipsi deinde suas proprias proponunt, quarum complures tanquam minùs idoneas, quàm sit hæc Aristotelica, bene impugnat P. Mastrius hìc *disp.* 7. *q.* 3. *art.* 1. & P. Columb. hic *lib:* 3 *q.* 7. Nec facilè exacta definitio hujus Prædicamenti afferri potest; cùm Qualitas latissimè pateat, diversas sub se continens species, quæ substantiam variè afficiunt; idcirco definitio communis omnibus difficulter invenitur, ut notat S. Augustinus *lib. Categor.* Eandem tamen commodè describendo,

2. Definitio Qualitatis.

Dico primò: bene describitur Qualitas, quòd *sit accidens absolutum penetrabile, intensibile, & remissibile, ac qualificans subjectum.* Est ad principia Scoti *q.* 36. *Prædic.*

Probatur; hæc descriptio bene explanat Qualitatis naturam à posteriori per proprietates, & effectum formalem ejus. Nam quando differentiæ essentiales nos latent; utì in proposito contingit, rectè ad concinnandas earum definitiones adhibemus proprietates, aut effectus formales, aut aliquod extrinsecum, quæ nobis naturas earum notificant, ut habet Scotus *q.* 36. *cit.* Ergo &c. Ly *accidens* est genus: reliqua statuuntur pro quasi differentia. Dicitur *accidens absolutum* ad distinctionem accidentis relativi, & substantiæ: dicitur *penetrabile*, id est compatibile ex se cum alijs rebus in eodem loco, per quod Qualitas discriminatur à

Quan-

Quātitate. Additur *intensibile, & remissibile*, ut exprimatur præcipua proprietas Qualitatis, scilicet esse intensibilē, & remissibilem id est susceptivam magis, & minus: Omnis enim Qualitas est capax intensionis alicujus, & remissionis. Apponitur tandem, *& qualificans subjectum*, ut assignetur effectus Formalis Qualitatis, qui est qualificare subjectum, quod determinat, & afficit; seu illud reddere quale.

3. *Qualitas constituitur per penetrabilitatem.*

Dico secundò: ratio formalis constitutiva Qualitatis consistit in quadam formalitate positiva, quæ *penetrabilitas* vocari potest, ad quam ut radicem sequitur intensibilitas, remissibilitas, qualificabilitas subjecti, & aliæ passiones ejusdem.

Probat: Tum quia nil ampliùs assignari potest pro ratione constitutiva formali Qualitatis, quàm illa formalitas positiva, in conclusione asserta. Tum quia reliqua Prædicamenta absoluta, puta Substantia, & Quātitas pro ratione formali constitutiva important quandam formalitatem positivam, ut radicem passionum; ut suprà ostensum est: Ergo idem à pari dicendum est de Prædicamento Qualitatis.

4. *Mastrius expeditur.*

Objicies cum Mastrio: illa formalitas positiva constitutiva Qualitatis, quæ penetrabilitas dicitur, etiam convenit Substantiæ, & puncto; Substantiæ enim se possunt penetrare; & punctum est penetrabile cum alijs rebus in eodem loco; cùm sit ex omni parte indivisibile: Ergo penetrabilitas non potest esse ratio formalis constitutiva Qualitatis. Respondeo Neg. Ant. & ad ejus Rationem primam de Substantia dico; quòd etsi unaSubstantia possit penetrari cum alia, si ab ea secluderetur quantitas, impediens aliàs talem penetrationem naturalem; attamen non exigunt ab intrinseco sic penetrari; Qualitas autem exigit ab intrinseco penetrabilitatem cum alijs rebus; unde illa formalitas positiva constituens Qualitatem dicitur principium ab intrinseco exigitivum penetrabilitatis. Ad secundam rationem de puncto est eadem responsio; nam punctum non exigit ab intrinseco penetrari cum alijs rebus in eodem loco.

5. *Dantur Qualitates.*

Dico tertiò: extant Qualitates, distinctæ ab omnibus alijs rebus; & consequenter extat etiam genus generalissimum Qualitatis ut sic. Colligitur ex Scoto *q. 36. prædicam.* ubi Qualitatis existentiam agnoscit, & propterea ibidem definitionem Qualitatis à Philosopho datam examinans dicit, eam non esse propriè definitionem; sed Qualitatis tantùm notificationem; conclusio est communis.

Probatur prima pars *primò* authoritate Philosophi; qui *in lib. Categor. cap. de Qualitate*, concedit Qualitatis existentiam; ejusque definitionem & distinctionem ab alijs prædicamentis ibidem profert: Ergo &c. *Secundò* ratione: cadunt variæ sub sensum qualitates albedinis, nigredinis, caloris, humiditatis, frigiditatis, sonus &c. Ergo existunt Qualitates. Confirmatur: datur Fides, Spes, Charitas, gratia, & aliæ species Qualitatum supernaturalium; visio beata, lumen gloriæ: Ergo &c.

6. *Distincta ab alijs.*

Probatur secunda pars authoritate D. Augustini; qui *5. de Trinit. cap. 10.* ait, in unaquaque Substantia corporea aliud est Substantia, aliud Quantitas, & aliud Qualitas: ergo S. Doctor censet Qualitates esse distinctas ab alijs rebus. Accedit authoritas Philosophi *cit. cap. de Qualitate*; ubi de Qualitate ut re prorsus distincta ab alijs loquitur. Tandem distinctio Qualitatis ab alijs rebus patet ex descriptione suprà *Concl. 1.* allata, & explicata: Ergo &c.

7. *Formantes unum Prædicamentum.*

Probatur tertia pars: Ubi adest distincta coordinatio generum, specierum, & individuorum, ibi extat Prædicamentum, seu genus generalissimum: sed in Qualitatibus datur hujusmodi coordinatio; ut patebit infrà, afferendo varia genera, subalterna, species, & individua Qualitatis ut sic: Ergo extat genus generalissimum Qualitatis ut sic.

8. *Qualitas est perfectior quā titate.*

Dico quartò: Qualitas ut sic est perfectior Quantitate ut sic. Ita Scotus *4. dist. 12. q. 2.* Et sequuntur Poncius, Monturs. & communis Scotistarum.

Probatur: Qualitas reperitur in subjecto perfectiori, puta in Angelo: Ergo &c. Deinde Qualitas generatur per perfectiores differentias v. g. intellectionem, quæ est perfectior quācunque differentiâ Quantitatis: Item Qualitates quædam sunt activæ, ut frigus, calor &c. Quantitates non: Ergo &c. Circa ultimum articulum Quæstionis dilatâ interim divisione, & distributione Qualitatis ut sic, quam facit Philosophus *cap. de Qualitate* in quatuor vulgata membra, de quibus sequenti quæst:

Ll Nota

9. Quid qualitas spiritualis, & materialis.

Nota secundò: Qualitatem in communi, ut est genus generalissimum, posse bene dividi *primò* in Qualitatem spiritualem, & materialem. *Spiritualis* est, quæ determinat, & qualificat subjectum immateriale; talis est gratia, quæ qualificat animam. *Materialis* est, quæ qualificat, & afficit subjectum materiale; talis est albedo.

10. Quid creata, & naturalis.

Nota tertiò: Spiritualis subdividitur in *creatam*, seu supernaturalem infusam; ejusmodi sunt Fides, Spes, Charitas, gratia, lumen gloriæ &c. Et in *naturaliter acquisitam* in subjecto; hujusmodi sunt omnes habitus intellectuales, puta scientia, sapientia, intellectus, ars, prudentia &c. dicuntur tales; quia subjectantur in intellectu; tales etiam sunt omnes habitus appetitivi, volitivi, qui distribuuntur in varias virtutes, & dicuntur tales à subjecto, in quo subjectantur, scilicet voluntate, & appetitu. Qualitas spiritualis naturaliter acquisita ulteriùs secatur in varias species scientiarum, artium &c.

11. Alia varia divisionis Qualitatis.

Nota quartò: Qualitas verò materialis subdividitur pariter *primò* juxta divisionem quinque sensuum exteriorum, quorum sunt objecta: sic aliæ sunt Qualitates tangibiles, eò quòd percipiantur sensu tactûs; ut calor, frigus, humiditas, & siccitas: aliæ audibiles, ut soni; aliæ visibiles, ut colores: aliæ olfactibiles, ut odores: aliæ gustabiles, ut sapores, & individua. Secundò dismembratur per ordinem ad locum & positionem; unde habentur formæ, & figuræ, cum suis varijs speciebus. Circa autem evulgatam divisionem Aristotelicam sit.

QUÆSTIO II.

De quadruplici divisione Qualitatis ab Aristotele tradita.

Nota primò: Philosophum *cap. de Qualitate* divisisse Qualitatem ut sic in quatuor classes, veluti quasdam series universales, & combinationes; in prima classe est Habitus, & Dispositio cum suis speciebus; in secunda naturalis Potentia, & Impotentia; in tertia Passio, & Passibilis qualitas, in quarta forma, & Figura: circa has classes moventur duo dubia; primum, an hæc divisio sit exacta, & sufficiens: secundum an sit reverà generis in species. Circa primum.

1. Quadruplex divisio Qualitatis à Philosopho facta non est exacta.

Dico primò: Præfata Aristotelis divisio non est quidem exacta; attamen est sufficiens. Est Scoti *q. 36. prædicam.* Et sequuntur Mastrius, Bellutus, Villaver. Ponc. & alijs Scotistæ.

Probatur prima pars: Aristoteles in præfata quadruplici divisione non enumeravit omnes Qualitatis species; sed magis famosas duntaxat, ut bene observat Scotus *quæst. cit. prædicamentali*; & insinuat ipsemet Aristoteles hic illis verbis, quæ post explanationem quartæ speciei addit, *& fortasse quidam alij apparent Qualitatis modi; sed qui maximè dicuntur, sunt hi*: Ergo præfata Aristotelis divisio non est exacta. Deinde pulchritudo, ac deformitas; ægritudo, & sanitas; item actus intellectûs, & voluntatis; item qualitates supernaturales Fides, Spes &c. lumen gloriæ, & character à Sacramentis impressus non videntur posse reduci ad ullam classem ex assignatis ab Aristotele; si ejusmodi classes in rigore (uti à Philosopho explicantur) sumantur; ut innuit Scotus *Quodlib. 18. & 13.* Ergo &c.

1. Sufficiens tamen, si rite explicetur.

Probatur secunda pars: ampliando aliqualiter quatuor classes præfatæ divisionis, possunt omnes species Qualitatum commodè ad eas reduci: Ergo præfata divisio est sufficiens. Probat. Ant. Qualitates suprà exceptæ scilicet pulchritudo, & difformitas possunt reduci ad quartam classem; eùm aliquam rationem formæ importent: item sanitas, & ægritudo ad primam, vel secundam; quatenùs validè & debiliter disponunt ad opera exercenda: similiter actus intellectûs, voluntatis possunt reduci ad primam, vel tertiam speciem; ut dicit Scotus *Quodlib. 13.* ad primam quidem, scilicet ad Dispositionem; quia sunt veluti principium Quo, & ratio producendi habitum: ad tertiam verò scilicet Passionem etiam reduci possunt; cum passionis naturam induant: Tandem etiam qualitates supernaturales Fidei, Spei &c. reduci possunt ad primam classem scilicet habitum: Ergo &c. Præterea omnis Qualitas vel est sensibilis aliquo sensu externo, vel non; si est sensibilis

bilis, est Patibilis qualitas, & Passio: si non est sensibilis, vel est indita à natura; & sic est naturalis Potentia, & Impotentia; vel est studiò acquisita; & sic est Habitus, & Dispositio: Ergo divisio ab Aristotele data in vulgatas quatuor classes est sufficiens, & talis, ad quas omnes Qualitates possunt reduci. Circa secundū dubium.

3. Nō est generis in species subalternas essentialiter distinctas.

Dico secundò: præfata divisio Qualitatis quadrimembris non est generis generalissimi in suas Species subalternas, essentialiter distinctas; sed in species modaliter discriminatas, seu modos quosdam eidem Qualitati convenientes. Ita Scotus *q. 30. prædicam & 4. dist. 6. q. 10.* Et quamvis *q. 36. prædicam.* præbeat modum sustinendi oppositum; ac proinde videtur problematicus; attamen *in libris sent* magis hanc fovet, & confirmat: Doctorem sequuntur Tartar. Orbell. Faber. Mastrius, Ponc. Columb. Montursf. Mayr. communis Scotist. contra P. Villaver. & contra Thomistas communiter.

Probatur prima pars: si præfata divisio Qualitatis quadrimembris esset generis generalissimi in suas species subalternas essentialiter distinctas, res unius speciei non constitueretur sub alia specie; idem enim ad diversas species spectare nequit; aliàs distinctas deberet habere differentias constitutivas: sed res unius speciei v. g. calor in aqua, continetur sub prima specie, seu classe Qualitatis; in igne verò continetur sub secunda tanquam virtus naturalis ejus, & in quantum causat passionem in sensu tactûs, continetur sub tertia: Ergo præfata divisio Qualitatis quadrimembris non est generis generalissimi in suas species subalternas essentialiter distinctas. Confirmatur: ipsemet Philosophus quasdam qualitates tertiæ classis reponit quoque in prima classe; ut notat Scotus *q. 36. prædicamentali*: sed hoc non faceret, si illam divisionem quadrimembrem à se datam censeret esse generis generalissimi in suas species subalternas essentialiter distinctas: Ergo non est talis divisio.

4. Divisio Qualitatis in 4. modos est modalis.

Probatur secunda pars: Tum quia ipsemet Philosophus illa quatuor Qualitatis membra appellat quosdam modos eidem Qualitati convenientes, dum *cap. de Qualitate* ait, *& fortasse quidam alij apparent qualitatis modi; sed qui maximè aiuntur, sunt hi.* Tum quia quæ discriminantur tantùm accidentaliter discriminantur tantùm modaliter; ut patet de homine albo, & nigro accidentaliter tantùm discriminatis: sed species primæ classis Qualitatis discriminantur tantùm accidentaliter; quia eadem caliditas est in specie Habitûs, ut est Qualitas difficulter mobilis à subjecto; & etiam in secunda Dispositionis, ut est Qualitas disponens ad agendum de facili mobilis: Ergo discriminantur tantùm accidentaliter.

5. Oppositiones afferuntur.

Objicies *primò*: Ipsemet Philosophus *cap. de Qualitate* quatuor membra præfatæ divisionis vocat species Qualitatis: Ergo &c. *Secundò*. Qualitas est genus generalissimum distinctæ Categoriæ: Ergo habet suas species essentialiter distinctas subalternas; sed non alias, quàm illas, quas enumerat Aristoteles in præfata divisione, nimirum Habitum, & Dispositionem; Potentiam, & Impotentiam Passionem & Passibilem Qualitatem; Formam, & Figuram: Ergo &c. *Tertiò*: de omnibus quatuor membris prædicatur in quid Qualitas ut sic: veræ enim sunt istæ prædicationes; *Habitus est Qualitas*; *Dispositio est Qualitas*, &c. Ergo omnia quatuor sunt species ejus essentialiter distinctæ.

6. Et expeditur.

Respondeo *ad Primum* glossando Philosophum; & dico, eum locutum fuisse juxta vulgarem modum Philosophorum sui temporis, qui illas quatuor classes Qualitatum vocabant species. Vel dic eum nomine specierum intelligere differentes modos, etsi non omnes essentialiter, sed accidentaliter tantùm quidam ex eis distingvantur, in quos distribuitur Qualitas ut sic; & hi modi vocari possunt species impropriæ. *Ad secundum* Conc. totum Ethymema; & Neg. Ant. Assumpti; nam veræ, & genuinæ species subalternæ inter se realiter discriminatæ assignari possunt Qualitas spiritualis, & Qualitas materialis, quæ in varias deinde alias species dismembrantur; ut notavi *quæst. 1. notab. 2. & 3. & 4.* *Ad Tertium*: Neg. Ant. & dico illas prædicationes esse tantùm modales; non quidditativas, nam dum dicitur *Habitus est Qualitas*, idem est ac si diceretur, Habitus ut modus Qualitatis circumloquitur nobis quandam speciem Qualitatis, de qua ipsa prædicatur in quid; & ita dicendum de alijs prædicationibus.

QUÆSTIO III.

Explicantur omnes quatuor modi, seu classes Aristotelicæ Qualitatis.

1. Quid sit Habitus; & quæ ejus inferiora.

NOta primò: In prima classe Qualitatum à Philosopho assignata primus modus ponitur *Habitus*: potest autem *Habitus* secundùm Scotum *q. 31. prædicamentali* quadrupliciter usurpari. *Primò* pro modo habendi, qui secundùm Philosophum *cap. 15. prædicam.* est octuplex; & infrà explanabitur, Habitus in hac usurpatione est quid transcendens ad nullam specialem pertinens Categoriam. *Secundò* accipitur pro relatione quadam extrinsecùs adveniente, resultante inter habens, & habitum; talis est relatio vestis ad vestitum; in hac acceptione constituit unum ex relativis Prædicamentis, de quo infrà *Tertiò*: capitur pro forma positiva, cui opponitur negatio, vel privatio; hoc sensu visio est Habitûs cui opponitur cæcitas. *Quartò* tandem sumitur pro qualitate disponente, & perfectè afficiente subjectum ad operandum, quæ est difficiliter mobilis ab eo; & describitur à Scoto *q. 36. prædicamentali*, quod *Habitus est Qualitas adventitia difficulter à subjecto mobilis*: & hæc est propria usurpatio Habitûs, ut constituit primum modum Qualitatis in prima classe. Habitus sic descriptus potest partiri in Habitum animi, & corporis. *Habitus animi* est, qui ad animam pertinet; & est vel infusus vel acquisitus. *Sub Infuso* continentur Fides, Spes, Charitas; *sub Acquisito* omnes habitus tum intellectuales speculativi, & practici, & species intelligibiles fixæ, id est in intellectu residentes, & bene radicatæ, ut sapientia, scientia, prudentia, artes, & horum inferiora varia: tum volitivi, id est in voluntate radicati, ut omnes species virtutum, & vitiorum. *Habitus corporis* est, qui ad corpus pertinet; & sub hoc continentur omnes Habitus in membris corporeis radicati, & acquisiti ex longa praxi; cujusmodi sunt Habitus saltandi, ludendi in instrumentis musicis, præliandi &c.

2. Quid Dispositio qualitas.

Nota secundò: secundus modus Qualitatis in hac prima classe ponitur à Philosopho *Dispositio*. Potest autē *Dispositionis* vocabulum bifariè sumi: *Primò* absolutè; & sic est quoddam superius ad Habitum; estque Qualitas dispositiva subjecti sive perfectè sive imperfectè; sive hæc de facili, sive difficulter sit mobilis ab eodem; unde prædicatur tam de Habitu quàm de Dispositione, sicut exemplificat hic in textu Philosophus. *Secundò* capitur specialiter, & propriè pro qualitate imperfectè disponente subjectum ad operandum, & de facili mobili ab eo: unde describitur à Scoto *2. dist. 3. q. 10.* *Dispositio est Qualitas adventitia de facili à subjecto mobilis.* Hujus species possunt esse iidem Habitus acquisiti prius notabili recensiti, quatenus tamen non sunt radicati; sed facili negotiò amovibiles à subjecto; qualis esset Habitus scientiæ alicujus discipuli parùm radicatus, quē proinde, ut experientiâ constat, de facili perdit; item actus potentiarum, & species intelligibiles, quæ faciliter evanescunt. Ex quo patet Dispositionem ab Habitu non nisi accidentaliter distingui, id est penes majorem radicationem Qualitatis adventitiæ, ejusque facilem, vel difficilem amotionem à subjecto.

3. Quid Potentia naturalis, & quæ contenta.

Nota tertiò: in secunda classe Aristotelica Qualitatis assignatur ab eodem Philosopho *cit. cap. de Qualitate* pro primo modo *Potentia naturalis*. Potest autem Potentia naturalis in triplici sensu accipi, juxta Scotum *q. 36. prædicament.* *Primò* accipitur pro principio naturali; alicujus operationis, hoc sensu dicitur Intellectus Potentia naturalis, eò quòd sit principium intellectionis tanquam operationis vitalis: Potentia sic accepta non est Qualitas, sed substantia, seu aliquid substantiæ identificatum. *Secundò* usurpatur pro habilitate, quâ quis potest faciliter operari, sive talis habilitas sit à natura, sive per artem acquisita; in hoc sensu Potentia naturalis coincidit cum Habitu suprà *notab. 1.* explicato. *Tertiò* sumitur propriè ad propositum pro habilitate insita nobis à natura, quâ faciliter & promptè possumus operari, vel resistere contrarijs: & describitur bene sic, *Potentia naturalis est habilitas, ac promptitudo quædam, quâ subjectum aliquod est facile ad operandum suapte naturâ, aut resistendum contrarijs*; talis

ſis Potentia naturalis ad facilè operandum eſt agilitas in uno curſore, ſecundùm quam dicitur magis velox, & promptus ad currendum, quàm alter; & talis etiam ad reſiſtendum eſt durities v. g. in ſaxo, ſecundùm quam reſiſtit ſectioni. Sub iſto modo comprehenduntur omnes accidentales congenitæ habilitates, ſecundùm quas aliqua ſubſtantia eſt ſuâpte naturâ facilis, & expedita ad aliquod exercitium faciendum, vel reſiſtentiam præſtandam; cujuſmodi ſunt facilitas naturalis in Platone ad ſcribendum, currendum, ſaltandum, pugnandum; & in ſumma omnes agibilitates hominum, & jumentorum. Non comprehenduntur autem ſub iſto modo potentiæ animarum, cujuſmodi ſunt facultates ſenſitivæ appetitivæ, apprehenſivæ, motivæ, irraſcibilis, concupiſcibilis in animabus hominum, & jumentorum contentæ; ſimiliter nec virtutes activæ lapidum, cælorum, & proprietates rerum; ſed earum duntaxat habilitates naturales ſeu promptitudines ad utendum præfatis potentijs, ut clarè docet Scotus *q. 36. prædic.*

4. Quid Impotentia, & quæ inferiora.

Nota quartò: alter hujus ſecundæ claſſis modus eſt *Impotentia naturalis*; quo nomine non venit carentia Potentiæ; nam Impotentia naturalis, de qua hic, debet eſſe forma poſitiva, ut advertit Scotus *quæſt 36. prædicamentali*; ſed intelligitur aliqua Qualitas ſuapte naturâ inhabilitans ſubjectum ad operandum, vel patiendũ;& deſcribitur ſic, *Impotentia naturalis eſt inhabilitas quædam ſuapte naturâ imbecille & difficile reddens ad operandum & reſiſtendũ contrarijs, ſeu patiendũ.* Sub hoc modo ſtatuuntur omnes accidentariæ facultates exiguæ agilitatis, ac modicæ activitatis; quales ſunt imbecillitas Platonis ad ſpeculandum, & inveniendum nova; ad ſcribendum, vel loquendum; item craſſities Petri curſoris ad currendum; & in ſumma omnes ineptitudines naturales hominũ & brutorum; item omnes difficultates ad reſiſtendum, ut durities in cera, ſecundùm quam difficulter reſiſtitur ſigillationi. Ambo modi iſtius claſſis differunt à modis primæ claſſis, quòd modi ſecundæ claſſis ſint de Qualitatibus congenitis; modi verò primæ de adventitijs, & acquiſitis.

5. Quid Paſſio Qualitas, & quæ ejus ſubjicibilia.

Nota quintò: in tertia claſſe Ariſtotelica Qualitatis ponuntur duo modi *Paſſionis*, & *Paſſibilis Qualitatis*. Pro notitia autem primi modi advertit Scotus *quæſt. 36. prædicam.* varias eſſe acceptiones hujus vocis *Paſſio*. *Primò* enim accipitur pro proprietate alicujus rei v. g. pro riſibilitate in homine. *Secundò* pro relatione extrinſecùs adveniente patientis ad agens; & in hoc ſenſu format unam Categoriam Ariſtotelicam relativam diſtinctam, de qua infrà. *Tertiò* pro aliquo accidente, quod offendit ſuum ſubjectum; hoc ſenſu dolor dicitur paſſio Petri læſi. *Quartò* pro Qualitate ſenſibili, afficiente aliquem ſenſum, ſeu ſubjectum, ſive ei commodum, ſive diſcommodum afferat; à quo tamen citò tranſit; talis Paſſio eſt verecundia, vel rubedo in facie ex illa proveniens; item timor, aut pallor ab eadem cauſatus in facie: & hæc eſt acceptio propria hujus modi primi, rectèque deſcribitur ſic, *Paſſio eſt qualitas adventitia modico tempore afficiens ſubjectum.* Ad hunc modum revocantur omnes Qualitates ſenſibiles adventitiæ parùm radicatæ, & ex motu ſenſûs provenientes, ac modicè durantes; cujuſmodi ſunt rubedo, livor, pallor &c. vultum ad modicum alterantes &c. Item Qualitates appetitûs ſenſitivi, ut audacia, dolor, delectatio, amor, odium &c.

6. Quid Paſſibilis Qualitas.

Nota ſextò: *Paſſibilis Qualitas* quæ eſt alter modus hujus tertiæ claſſis, ſic dicitur, vel quia ſenſui aliquam præcipuam paſſionem infert, uti calor & dulcedo guſtui &c. vel quia inferuntur à paſſionibus, ut pallor radicatus ab ægritudine: bene autem deſcribitur, quòd *ſit Qualitas adveniens diu durans in ſubjecto*: talis eſt pallor, & macies diu durans in facie; quia cauſata ab ægritudine longa. Sub hoc modo reponuntur omnes illæ Qualitates, quæ aliqualiter radicantur, & notabili tempore perſeverant in ſubſtantijs natæ immutare ſenſum; cujuſmodi ſunt imprimis omnia objecta ſenſuum exteriorum; puta colores, lux, & lumen, quæ ſunt objecta viſûs; item vox, & fragor, quæ ſunt objecta auditûs: item dulcedo, & amaritudo, quæ ſunt objecta guſtûs: item qualitates tangibiles, quæ ſunt objecta tactûs. Deinde huc pariter pertinent Qualitates ſimplices elementares tam activæ, ut calor, & frigus; quàm paſſivæ, ut ſiccitas, & humiditas. Item Qualitates mixtæ, ut durities, mollities, raritas, & gravitas.

Nota ſeptimò: in quarta tandem claſſe collocantur *Forma*, & *Figura*. Secun-

7. *Quid forma & eius inferiora.* cundùm Scotum *quæst. 36. prædicament:* Forma duplicem habet usurpationem. *Primò* largè capitur pro eo, quod subjectum informat; & sic dicitur *ab informando*: in hac acceptione Forma convenit tum Substantiali, tum accidentali formæ. *Secundò* accipitur strictè, & propriè pro formositate, decore quodam, seu venustate exteriori rei animatæ, vel deformitate ejusdem; & consistit in proportione debita, vel indebita membrorum seu partium alicujus corporis, & dicitur pulchritudo, vel turpitudo animalis. Describitur autem sic, *Forma est debita, vel indebita corporis delineatio naturalis, reddens rem animatam speciosam, vel deformem.* Hic modus complectitur omnes Qualitates Quantitatem terminatam consequentes, & certas dispositiones inducentes in subjecto, à quibus illud dicitur pulchrum, turpe &c. tales sunt omnes symmetriæ naturales, speciositatem, vel difformitatem inducentes, & quæ consistunt secundùm Scotum *1. dist. 17. q. 2.* in aggregatione, vel defectu omnium convenientium tali corpori, puta magnitudinis, figuræ, & colorum, item respectuum, qui sunt istorum ad corpus, & ad se invicem.

8. *Quid. Figura.* Nota octavò: *Figura* bene describitur, quòd *sit qualitas externa ex diversa terminatione Quantitatis secundùm se, seu absolutè sumptè resultans*: ex quo patet, quòd non consistat in pura relatione; sed in dispositionibus exterioris corporis vel naturalis, vel mathematici, vel artificialis. Sub hoc ultimo modo quartæ classis collocantur omnes Figuræ artificiales, & naturales, seu dispositiones quantitativæ rerum, à quibus res dicuntur sic vel sic figuratæ v. g. triangulatæ, quadrangulatæ, circulatæ &c.

QUÆSTIO IV.

De Proprietatibus Qualitatis.

1. *Prima proprietas Qualitatis, est habere contrarium.* Philosophus *cap. de Qualitate* tres principales assignat proprietates, seu affectiones Qualitatis. *Prima* est *habere contrarium.* Ut ritè intelligatur, & usurpetur debitè hæc affectio, observandum est ex Aristotele *cap. de oppositis*, contrarietatem dupliciter posse sumi. *Primò* largè, imperfectè, ac impropriè; & tunc importat oppositionem duorum, sive ea sint de genere substantiæ, sive de genere accidentium; sive ambo sint positiva; sive unum positivum, & alterum privativum: in hac acceptione larga imperfecta, & impropria duæ species disparatæ oppositæ dicuntur sibi esse contraria: item sanum, & ægrum: item bonum, & malum; item pulchrum, & deforme; amor, & odium, licet hujusmodi tantùm opponantur privativè; siquidem ægritudo secundùm Scotum *2. dist. 15. q. un.* oritur ex carentia proportionis, humoribus debitæ. *Secundò* usurpatur strictè, perfectè, & propriè, pro repugnantia duorum de genere Qualitatis præcisè, quæ se mutuò expellunt ab eodem subjecto, vel formaliter tantùm; vel formaliter & effectivè simul: & in hoc sensu convenit contrarietas tantùm qualitatibus sensibilibus, seu corporeis; tam primis, scilicet calori, frigori, humiditati, & siccitati; quàm secundis, scilicet albedini, nigredini &c. Est autem duplex repugnantia ex Scoto *4: dist. 49. q. 16.* formalis, & virtualis. *Formalis* est inter ea, quæ opponuntur secundùm se, seu secundùm suas formas intrinsecas; & suos effectus; ut inter album, & nigrum; quia hæc duo & sunt diversæ rationis, & producunt in subjectis oppositos effectus. *Virtualis* est tantùm inter effectus ad invicem; vel inter causam, & effectum oppositum, v. g. inter calefactionem, & frigefactionem; vel inter frigefactionem, & calorem; quia positô calore cum suo effectu intensô in aliquo subjecto, repugnat ibidem ponere frigefactionem, & consequenter frigus. Itaque Qualitates habent inter se contrarietatem propriè dictam, explicatam per repugnantiam formalem, vel virtualem, ratione cujus una aliam expellit ab eodem subjecto; sic calor contrariatur frigori: sufficit autem ut talis expulsio fiat vel actione propriâ, sic frigus calorem expellit; vel actione alterius; sic albedo expellit nigredinem actione tantùm suæ causæ.

2. *Sed hæc nō convenit omnibus.* Nota secundò: hanc affectionem non convenire omnibus qualitatibus; quia lux, species sensibilis, & intelligibilis, ac habitus supernaturales, nullas habent

bent qualitates sibi cōtrarias contrarietate propriâ, & prout hic usurpatur; nam à nulla Qualitate expelluntur, & corrumpuntur: similiter triangulus, quadrangulus nullam habent contrarietatem perfectam: item nec colores medij, ut rubeus, & flavus, teste Aristotele *cap. de Qualitate*. Etiam ista affectio non convenit solis Qualitatibus; cùm sit communis actioni, & passioni, secundùm Philosophum *cap. 9. hujus libri*.

3. *Secunda proprietas.*

Secunda affectio Qualitatis est *suscipere magis & minùs*; id est, posse intendi, & remitti; quod intellige, non in abstracto; quia una albedo non potest dici modò magis, modò minùs albedo; uti observat Scotus *quæst. 36. prædicament.* sed in concreto, & penes subjectum; quatenus scilicet unum subjectum participat magis Qualitatem talem, quàm aliud; & per eam magis perficitur; & hoc sensu Plato est doctior Socrate; & una manus est magis calida, quàm alia; id est una est habens plures gradus caloris, quàm alia. Hæc affectio pariter non convenit omnibus Qualitatibus; nam figuræ mathematicæ secundùm Scotum *cit. quæst.* eam non participant; unus enim triangulus non est magis triangulus alterô triangulô. Similiter non convenit soli Qualitati; quia secundùm Philosophum etiam actioni, & passioni attribui potest.

4. *Tertia proprietas.*

Tertia affectio ejus est, *quòd secundùm eam res fiant fundamentaliter similes, & dissimiles.* Hæc est proprietas quartô modô sumpta; quare convenit omni Qualitati, soli, & semper. Dixi *fundamentaliter*; quia formaliter res dicuntur similes, & dissimiles per relationem similitudinis & dissimilitudinis. Itaque Qualitas est fundamentum istarum relationum; sicut quantitas est fundamentum relationum æqualitatis, & inæqualitatis.

DISTINCTIO VII.

De Relatione.

PRÆFATIO.

PEracto examine Categoriarum absolutarum, accedo ad evolvenda Prædicamenta relativa, quorum usus est frequentissimus in Philosophia; sed eorum entitas, ita modica, & insensibilis, ut occasionem dederit Zenoni, aliisque nonnullis antiquis atque modernis quibusdam Philosophis negandi existentiam realem Relationum ut distinctam à suis fundamentis: Quæ Philosophus, & ejus profundissimus, atque fidelissimus interpres Scotus de Relationum Categoriis senserint, sequentibus duabus distinctionibus aperiam. Unde sit

DI-

QUÆSTIO I.

De Quidditate; & existentia Relationis ut sic.

1. *Descriptio Relationis latissimè sumpta.*

NOta primò: Si ethymologiam hujus vocis *Relatio* spectes, derivatur à *referendo*; unde & alio nomine *referentia* dicitur; eò quòd referat unam rem ad aliam v. g. Patrem ad Filium; vel parietem album A. ad parietem album B. vel creaturam ad Creatorem. De hujus referentiæ natura communissimè sumpta.

Dico primò: bene describitur Relatio latissimè patens, quòd *sit habitudo unius ad aliud.* Ita Scotus *quæst. 25. prædicament.* & desumitur ex dicto Philosophi *cap. de ad aliquid*, seu *de Relat.* ubi definiens Relationem in concreto ait, *Relativa sunt, quorum totum suum esse, est ad aliquid se habere.*

Probatur: Hæc descriptio bene explicat naturam Relationis latissimè sumptam: Ergo &c. Ly *habitudo* est genus, & est idem, quòd ordo quidam sive realis, sive rationis, quò una res respicit aliam, seu ordinatur ad aliam; reliqua ponuntur pro differentia Relationis à quibuscunque alijs rebus absolutis.

2. *Varia vocabula hic explanãtur.*

Nota autem secundò: ut natura Relationis, & imposterum dicenda meliùs penetrentur, observa in omni Relatione actuali reperiri plura secundùm Scotum *2. dist. 1. q. 1.* scilicet fundamentum, terminum, subjectum Relativum, correlativum, rationem fundandi, Relationem, & correlationem. *Subjectum* est id, in quo recipitur Relatio, & quod refertur per Relationem, v. g. in Relatione Paternitatis ad Filium, Pater est subjectum in quo recipitur Relatio paternitatis, & qui refertur per Paternitatem ad Filium. *Terminus* est id, ad quod refertur aliquid; v. g. in præfata Relatione Paternitatis filius est terminus, ad quem Pater refertur. *Fundamentum* est ratio, & causa, cur unum ad aliud referatur; v. g. potentia generativa in Patre est causa, cur pater per Relationem paternitatis referatur ad filium; hæc duo vocantur etiam *extrema Relationis*, seu *extrema relata*. *Relativum* dicitur illud, quod relatione refertur, v. g. pater. *Correlativum* dicitur illud, quod mutuam dicit relationem, v. g. filius qui correfertur ad patrem suum. *Ratio fundandi* (idem est quod fundamentum proximum) est conditio sine qua unum ad aliud non refertur; v. g. generatio activa est ratio proxima per quam pater ad filium refertur. Relatio est illa forma quâ Relativum refertur ad correlativum; v. g. paternitas, quâ pater ad filium refertur. *Correlatio* randem est illa forma, quâ altera res correlativa mutuò correfertur ad relativum, v. g. filiatio, quâ filius correfertur ad suum patrem. Circa existentiam Relationis.

3. *Dantur Relationes rationis*

Dico secundò: Extant Relationes tam reales, seu à parte rei; quàm rationis. Ita Scotus *1. dist. 31. q. un.* Et *2. dist. 1. q. 5.* Et *dist. 2. q. 2.* & communis Scotistarum, Item S. Thomas *1. part. q. 13.* Avicenna, Alensis noster, Henricus, & communis Peripatet. Prima pars est contra Zenon. Nominales, & RR. solas relationes rationis admittentes.

Secunda pars à nullo negatur; & inde facilè ostenditur, quòd experientiâ constet, nostrum intellectum negociari quandoque varios respectus rationis, ut dum comparat, & refert naturas metaphysicas universales ad sua inferiora, & per actum talem collativum fabricat secundam intentionem generis, speciei, & aliorum Universalium Logicorum, quæ important Relationes quasdam rationis: item dum refert DEUM in ratione Creatoris ad creaturam per Relationes rationis: item dum cudit rationem prædicati, subjecti, syllogismi, propositionis, & similes secundas intentiones, involventes Relationes rationis, resultantes ex actu collativo prævio: Ergo extant in intellectu Relationes rationis.

4. *Et reales.*

Probat. itaque prima pars, de qua tota est controversia: *primò* argumentô Theologicô; in Divinis nullo cogitante intellectu dantur Relationes reales à parte rei, puta Paternitatis, Filiationis, & Spirationis passivæ, per quas constituuntur Divinæ Personæ: unde determinatum est in Concil. Later. & Florent. *quòd omnia in Divinis sint idem realiter, ubi non ob-*

stat Relationis oppositio: item in Incarnatione Verbi intervenit Relatio realis Unionis hypostaticæ: Ergo extant aliquæ Relationes reales.

Probat. *secundò* rationibus Scoti Philosophicis *2. dist. 1. q. 4. §. & quia n. 11.* opposita sententia negans Relationes à parte rei *destruit primò unitatem Universi* (verba sunt Doctoris) *secundò destruit omnem compositionem in Universo substantialem, & accidentalem. Tertiò destruit omnem causalitatem causarum secundarum. Quartò destruit realitatem scientiarum mathematicarum*: Ergo non est toleranda: & consequenter sententia in conclusione expressa est manutenenda.

Probat Doctor *primum*: quia unitas Universi consistit in ordine quodam, quem dicunt partes inter se, & ad primum Ens, ut habetur *12. Met. text. 52.* sed hic ordo est quædam Relatio realis: Ergo unitas Universi est quid reale: subsumo sed negando Relationes reales, negatur & destruitur etiam ista Relatio unitatis Universi: Ergo opposita sententia destruit unitatem Universi.

Probat etiam *secundum*: compositio substantialis, & accidentalis fit mediante unione quadam reali, quæ est Relatio: Ergo sententia opposita negans Relationes reales, negat etiam hanc unionem; & consequenter destruit ipsam compositionem dicentem talem Relationem Unionis.

Probat etiam *tertium*: causalitas causarum secundarum pro formali est quædam Relatio realis; & causæ secundæ nequeunt causare sine approximatione, quæ est Relatio realis quædam: Ergo sententia negans Relationes reales, negat etiam has Relationes causalitatum, & approximationis: & consequenter destruit causalitatem causarum secundarum.

Probat etiam *quartum*: scientiæ mathematicæ demonstrant plures Relationes reales de suis subjectis v. g. Relationem æqualitatis de duobus rectis, & Relationem inæqualitatis de tribus angulis trianguli; Ergo scientia negans Relationes reales, etiam negat has Relationes; & consequenter destruit realitatem scientiarum mathematicarum.

Probat: iterum eadem pars *tertiò*: à parte rei absque omni opere intellectûs, duo cygni albi sunt magis similes inter se; quàm cygnus, & corvus: item Plato generans, & Socrates generans magis assimilantur inter se, in ratione Patris, quàm Plato generans, & Plautus non generans: Ergo extant à parte rei fundamenta proxima, ex quibus consurgunt denominationes similitudinis: has autem appello Relationes reales: Ergo extant Relationes reales. Præterea dependentia creaturæ ad DEUM extat à parte rei: sed hæc est quædam Relatio realis; quia ordo quidam realis subjectus in creatura, & terminatus ad Creatorem: Ergo &c. Similiter extant à parte rei coordinationes Prædicamentorum: sed hæ sunt quædam Relationes reales: Ergo &c. Tandem Philosophus pluribus in locis adstruit Relationes reales à parte rei absque omni negotiatione intellectûs existentes in rebus; ita videre est in hoc *cap. de ad aliquid*: Item *5. Met. cap. 15. tex. 20.* Idem facit Plato, & alij gravissimi Philosophi veteres, ac communiter Theologi: Ergo &c.

5. Objecta afferuntur.

Objicies contra hanc partem Conclusionis *primò*: Relatio est duntaxat quædam comparatio unius ad aliud: sed talis comparatio fabricatur per opus intellectûs: Ergo Relatio non extat à parte rei; *Secundò*, relatio Creatoris ad creaturam non est realis, & à parte rei; sed fit beneficiò intellectûs: Ergo omnis alia Relatio fit quoque beneficiò intellectûs; & sic nulla datur realis. *Tertiò*, nulla potest assignari causa realis Relationis realis: Ergo nulla talis datur. *Quartò* æqualitas, quæ censetur esse Relatio realis positiva; est tantùm duplex negatio; quia æquale est, quod nec est majus, nec minus: Ergo &c. *Quintò*, si daretur Relatio realis esset accidens; sed hoc dici nequit: Ergo &c. Prob. Min. si Relatio esset accidens, mutaret subjectum, cui advenit: sed Relatio non mutat subjectum v. g. paternitas non immutat Petrum: Ergo &c. *Sextò*, positis duobus extremis absolutis, v. g. duobus albis, illa dicuntur similia absque omni alio: Ergo &c.

6. Et resolvuntur.

Respondeo ad *Primum* Dist. Maj. Relatio est duntaxat quædam comparatio activa Neg. Maj. comparatio fundamentalis Conc. Maj. Itaq; datur duplex comparatio una activa, quæ fabricatur ab intellectu, & est actus intellectûs, res ad invicem propter identitatem, vel æqualitatem, vel similitudinem comparantis, v. g. genus ad speciem, & species ad sua indivi-

dua, & talis comparatio non est Relatio realis: altera est fundamentalis, quæ habetur independenter ab intellectu, & est ipsa habitudo naturalis duarum rerum se invicem respicientium, v. g. ipsa similitudo inter duos cygnos albos; vel ipsa æqualitas inter duas quantitates palmares; & talis comparatio est propriè Relatio realis. *Ad secundum* Neg. Conseq. DEUS enim non est capax alicujus Relationis realis subjectivè in se receptæ, qualis esset Relatio Creatoris; quia aliàs mutaretur per receptionem talis formæ relativæ; DEUS autem est immutabilis, ut fusè doceo *tom. 1. Schol. Theol. tract. 2. dist. 3. q. 3.* at alia subjecta creata sunt capacia novarum Relationum cùm sint mutabilia; & consequenter possunt in se recipere veras Relationes reales; sic paries albus potest in se recipere Relationem novam similitudinis, terminatam ad alium parietem album. *Ad tertium* Neg. Ant. nam etsi nulla causa immediata Relationis productiva assignari posset; potest tamen assignari mediata, quod sufficit; causa autem mediata Relationis productiva est illud efficiens; quod ejus fundamentum producit; sicut à simili pro causa productiva proprietatum sufficit illa, quæ essentiam producit, à quo necessariò ejusmodi proprietates emanant. *Ad Quartum* Neg. Ant. ad ejus rationem dico, etsi æquale dicat etiam illas duas negationes; non tamen per eas in ratione æqualis formaliter constituitur; sed per aliquam formam superadditam relativam, scilicet Relationem æqualitatis. *Ad Quintum* Neg. Min. & dist. Maj. Probat. ejusdem, si Relatio esset accidens mutaret subjectū sensibiliter sicut albedo v. g. mutat parietem; Neg. Maj insensibiliter Conc. Maj. Itaque Relationes advenientes subjecta tanquam accidentia quædam, mutant revera illud; sed insensibiliter, sicut faciunt qualitates spirituales advenientes intellectui v. g. *Ad sextum* Dist. Ant. positis duobus extremis absolutis v. g. duobus albis, illa dicuntur similia fundamentaliter Conc. Ant. dicuntur similia formaliter Neg. Ant. Itaque si ponantur duo parietes albi per possibile, vel impossibile absque ulla Relatione resultante, dicentur similes fundamentaliter tantùm; non verò formaliter; quia formalis denominatio *similis* petit formam relativam similitudinis.

QUÆSTIO II.

De Divisionibus Relationis ut sic.

1. Quid sit Relatio realis, & rationis.

NOta primò: secundùm Scotum *1. dist. 30. q. 2.* & alibi Relationem ut sic primò dividi in realem, & rationis. *Relatio realis* est referentia, seu habitudo unius entis realis ad aliud ens reale independenter à ministerio intellectûs; talis est habitudo Patris ad filium, quæ dicitur paternitas; item æqualitas, similitudo &c. *Relatio rationis* est referentia, seu habitudo unius ad aliud, quæ pendet à negotiatione intellectûs, seu rationis; talis est relatio generis, item relatio Creatoris in DEO.

2. Quid creata, & increata.

Nota secundò: Relatio realis dividitur in creatam, & increatam. *Relatio realis creata* sunt illi ordines, habitudines, seu referentiæ, quæ in creaturis subjectantur, & solis creaturis conveniunt; talis est filiatio Petri, dissimilitudo, & inæqualitas inter duo entia creata. *Increata* sunt illæ, quæ conveniunt Personis Divinis & quibus ad se invicem referuntur & constituuntur in ratione Personæ; talis est Paternitas Divina, Filiatio Divina, & Spiratio passiva Divina.

3. Quid prædicamentalis, & transcendentalis.

Nota tertiò: Relatio realis creata dismembratur secundùm Scotum *2. dist. 1. q. 5.* in prædicamentalem, & transcendentalem. *Relatio prædicamentalis* (sic dicta, quia aliquod Prædicamentum partiale constituit) est illa, quæ accidit suis fundamentis, ut habet *cit.* Doctor, & realiter ab extremis distingvitur sic similitudo accidit parieti albo, & ab eo, & altero albo correlativo distingvitur realiter. *Transcendentalis* verò (sic dicta vel quia convenit enti antequam descendat in decem genera; vel quia convenit omnibus, vel pluribus Prædicamentis) est, quæ identificatur suis fundamentis; tales sunt omnes aptitudines inseparabiles à rebus; & dependentia creaturæ ad Deum.

4. Ostenditur dari transcendentales.

Nota quartò: revera dari à parte rei aliquas Relationes Transcendentales identificatas suis fundamentis, ut habet Scotus *2. dist. 2. q. 2.* quod & probat idem Doctor *2. d: dist. 1. q. 4.* ex eo, quod detur

tur dependentia creaturæ ad DEUM ab intrinſeco inſeparabilis à creatura: Ergo identificatur creaturæ: & conſequenter datur Relatio Tranſcendentalis identificata ſuo fundamento. Tametſi autem ejuſmodi Relationes Tranſcendentales identificentur realiter ſuis fundamentis; formaliter tamen ab eis diſtingvuntur, ut habet *Doct. cit. 2. diſt. 2. q. 2.* & patet tum ex D. Auguſt. *7. de Trin. cap. 2.* dicente, *omne quod relativè dicitur, eſt aliquid excepta Relatione*; adeoque cenſet fundamentum quòd relativè tranſcendentaliter dicitur, eſſe entitatem formaliter diſtinctam à Relatione Tranſcendentali. Tum ex ratione; quia fundamenta Relationum tranſcendentalium plerumque ſunt entia abſoluta, quale eſt v. g. creatura fundans Relationem tranſcendentalem dependentiæ ad DEUM; & rationalitas fundans varias aptitudines hominis: Ergo ab his formaliter diſtingvi debent Relationes ejuſmodi tranſcendentales; aliàs quidditativè eſſent abſolutæ, & non abſolutæ. Hæ relationes non petunt terminum realiter exiſtentem; ſed ſufficit, ut exiſtat fundamentum, & ut terminus poſſit exiſtere.

5. *Quid mutua, & non mutua Relatio.*

Nota quintò: Relatio Prædicamentalis habet varias ſpecies; nam *primò* ſecundùm Scotum *q. 27. prædicam.* partitur ulteriùs in mutuam, & non mutuam. *Relatio Mutua* eſt, cui correſpondet alia correlatio in altero extremo; talis eſt ſimilitudo inter duos parietes albos; & æqualitas inter duas quantitates palmares, quarum utrique in altero albo, & Quantitate palmari correſpondet correlatio. *Non mutua* eſt è contra, cui non correſpondet alia correlatio; talis eſt relatio Unionis hypoſtaticæ ſubjectaræ in humanitate Chriſti, & terminata ad Verbum, cui ex parte Verbi nulla correſpondet realis Relatio Unionis.

6. *Æquiparãtiæ, & diſæquiparantiæ.*

Nota ſextò: Relatio prædicamentalis *ſecundò* ſecatur ſecundùm eundem Doctorem *1. diſt. 31. q. 2.* in relationem æquiparantiæ, & diſæquiparantiæ. *Relatio Æquiparantiæ* eſt illa, quæ eſt ejuſdem nominis, & rationis cum ſua correlatione talis eſt omnis ſimilitudo, æqualitas &c. *Diſæquiparantiæ* eſt quæ eſt diverſi nominis, & diverſæ rationis cum ſua correlatione; tales ſunt actio, & paſſio; item duæ diſſimilitudines; item relatio filij, & Patris, ac Domini & ſervi,

7. *Superpoſitionis, & Suppoſitionis.*

Nota ſeptimò: dividitur *tertiò* præfata Relatio ſecundùm Scotum *2. diſt. 1. q. 5.* in Relationem ſuperpoſitionis, & ſuppoſitionis. *Relatio ſuperpoſitionis* vocatur illa, quæ eſt majoris dignitatis; talis eſt relatio Præceptoris. *Relatio ſuppoſitionis* dicitur illa, quæ econtra eſt minoris dignitatis; talis eſt relatio diſcipuli.

8. *Secundùm eſſe, & ſecundùm dici.*

Nota octavò: *quartà* dividitur ab Ariſtotele *cap. de ad aliquid* in Relationem ſecundùm eſſe, & ſecundùm dici. *Relatio ſecundùm eſſe* eſt illa, quæ eſſentialiter includit reſpectum, & revera eſt Relatio; talis eſt ſimilitudo, paternitas, &c. *Relatia ſecundùm dici* ſunt entitates abſolutæ; quæ tamen explicari non poſſunt, niſi per ordinem ad aliud; tales ſunt actus vitales; ſcientia, & ſcibile, habitus omnes &c. quæ explicari non poſſunt, niſi per ordinem ad objectum. Scotus *quæſt. 26. prædicamentali* hanc diviſionem non recipit ut legitimam, cùm alterum membrum dividens ſcilicet Relatio ſecundùm dici, eſſentialiter Relatio non ſit; ſed quid involvens entitates abſolutas.

9. *Intrinſecùs, & extrinſecùs advenitus.*

Nota nonò: Relatio prædicamentalis tandem *quintà* ſolenniter partitur in Relationem intrinſecùs advenientem, & extrinſecùs advenientem. *Relatio intrinſecùs adveniens* eſt, quæ ex natura extremorum, etiam in quacunque diſtantia poſitorum, neceſſario, & inimpedibiliter inſurgit, ac reſultat, abſque ulla alia actione, præter eam, quæ ponit extrema; tales ſunt paternitas, filiatio, æqualitas, ſimilitudo, & hujuſmodi, quæ poſitis extremis in rerum natura, puta fundamentô, & terminô illico reſultant, nec per Divinam Potentiam impediri poſſunt, quin reſultent; quia hæc dicunt habitudinem actualem ad ſe invicem. *Relatio extrinſecùs adveniens* eſt, quæ non oritur ex natura extremorum in quacunq; diſtantia poſitorum; ſed requirit actionem approximationis eorundem, & concurſum Divinum, quô ſubtractô poteſt impediri; talis eſt Relatio agentis ad paſſum; & loci ad locatum; nam præter actionem, quâ ponuntur extrema, requiritur præterea etiam actio, quâ approximetur ignis materiæ combuſtibili, ut ignis dicatur actu agens, & materia combuſtibilis actu patiens: hæ relationes etiam poſſunt impediri ſaltē à Deo, ut patuit in tribus pueris poſitis in camino ignis ardentis, qui virtute Divina fuerunt præſervati à combuſtione; & con-

& consequenter nè exurgeret Relatio actionis, & passionis.

QUÆSTIO III.

An detur quarta Categoria Relationis prædicamentalis; & quod ejus genus Supremum.

1. *Datur Prædicamentum Relationum.*

Dico primò: Extat à parte rei quarta specialis Categoria Relationū, ab alijs realiter distincta, cujus supremum genus est Relatio prædicamentalis intrinsecùs adveniens. Ita colligitur ex Scoto 2 *dist. 1. q. 4.* Et tenet communis Scotist: ac Thomist. contra Averroem, Albert. plerosque RR. qui novissimè ambabus manibus amplexati Nominalismum, ex syllabo decem Categoriarum Aristotelicarum expunxerunt Prædicamentum distinctum Relationum prædicamentalium: & quando hoc ipsum tanquam inconveniens obtruditur Arriagæ, is irridendo respondet, *non tollitur idcircò ab Ecclesia aliquod Sacramentum, aut præceptum Decalogi; solùm eximretinetur Prædicamentum Relationis quoad modum loquendi.* Verùm huic dicto posset reponi, quòd etsi ab Ecclesia non tollatur aliquod Sacramentum per negationem prædicamentalium Relationum; ab ea tamen tollitur commune dogma Philosophorum, & Theolog. tot sæculis conservatum in Schola Peripatetica, Subtilium, & Angelica, quod olim asseruit Plato, Aristoteles, & ejus gravissimi Commentatores.

Probatur prima pars primò: extant secundùm Philosophum 5. *Met. cap. 15.* Et *hoc cap. de ad aliquid*; & alibi, Relationes reales prædicamentales: Ergo pro his statui debet quarta specialis Categoria. Consequentia tenet à paritate aliarum specierum Substantiæ, Quantitatis, & Qualitatis, pro quibus speciales Categoriæ sunt constitutæ. Confirmatur: Philosophus 5. *Met. tex. 14.* adstruit contra antiquos decadem Categoriarum, cujus etiam congruentia suprà *dist. 2. q. 1.* probata est: sed in hac reperitur specialis Categoria Relationum: Ergo talis reverà extat.

Probatur secundò omnibus rationibus Scoti suprà *quæst. 1. probat. 2. & 3.* allatis, quibus existentia variarum Relationum realium ordinis Universi, compositionis substantialis, & accidentalis, causalitatis causarum secundarum & aliarum probata est, quæ omnes Relationes quædam prædicamentales sunt: Ergo hæ redigendæ sunt in unam specialem classem, ex qua consurgat specialis Categoria Relationum prædicamentalium.

Probatur tertiò: ibi extat specialis Categoria rerum distincta ab alijs, ubi adest supremum aliquod genus prædicabile in quid de multis differentibus specie; sed adest hujusmodi genus, ut mox ostendam: Ergo extat specialis Categoria Relationum distincta realiter.

2. *Distinctum, alijs.*

Probatur secunda pars: ubi habentur genera suprema, species, & individua distincta realiter à generibus, speciebus, & individuis aliorum Prædicamentorum: ibi habetur Categoria realiter distincta ab aliis: sed habetur genus supremum Relationis intrinsecùs advenientis, & variæ ejus species; ut ostendit Scotus *cit. 2.* & ego plaulò post dicam: Ergo habetur Categoria Relationum realiter distincta ab alijs.

3. *Constatum ex Relationibus intrinsecus advenientibus.*

Probatur tertia pars: illud censeri debet genus supremum alicujus Categoriæ, quod essentialiter cōmperit multis specie differentibus; & de ipsis essentialiter in quid prædicatur: sed Relatio prædicamentalis intrinsecùs adveniens essentialiter competit multis Speciebus Relationum prædicamentalium, & de ipsis in quid prædicatur: Ergo ipsa est supremum genus hujus Categoriæ quartæ. Prob. Min. Relatio prædicamentalis intrinsecùs adveniens, competit Relationibus mutuis, superpositionis, suppositionis, æquiparantiæ, & disæquiparantiæ, quæ sunt species ejus, ac de ijsdem prædicatur in quid; veræ enim sunt istæ prædicationes, *Relatio mutua est Relatio intrinsecùs adveniens; Relatio superpositionis est Relatio intrinsecùs adveniens &c.* Ergo &c.

4. *Quædam objectio evacuatur.*

Objicies: Quævis Relatio prædicamentalis est tantùm duorum conceptuūm absolutorum, seu duarum entitatum absolutarum coexistentia: v. g. duorum parietum alborum simultanea existentia, à quo denominantur similes: Ergo pro eis

malè statuitur specialis Categoria. Respondeo Neg. Ant. nam duo conceptus absoluti, seu duæ entitates absolutæ quà tales non dicunt ullam habitudinem ad se invicem; absolutum enim est ad se, non ad aliud: adeoque Relatio prædicamentalis malè explicatur per solam coexistentiam duorum absolutorum. Itaque ut duo parietes absoluti albi dicantur formaliter similes, requiritur præter entitates eorum absolutas, forma aliqua relativa, seu Relatio prædicamentalis, quæ est habitudo earum, & explicatur per *sicut*; quod inde patet; quia ratio similis debet posse dici de utroque extremo; cùm hic paries albus A. sit similis parieti albo B. & vice versa; entitates autem absolutæ non sic possunt dici; non enim duo parietes albi coexistentes possunt enunciari de quolibet pariete albo distincto, dicendo *duo parietes albi coexistentes sunt hic paries Albus A.* aut è contra.

5. *Descriptio Relationis intrinsecùs advenientis.*

Dico secundò: ritè describitur Relatio prædicamentalis intrinsecùs adveniens, ut constituit supremum genus hujus quarti Prædicamenti, quòd *sit accidens reale essentialiter importans habitudinem unius entis prædicamentalis, ad aliud, ex natura extremorum necessariò consurgentem.* Deducitur ex Scoto *1. dist. 31. q. un.* Et *4. dist. q. 1.* & eruitur ex Philosopho *cap. ad aliquid.*

Probat. hæc descriptio bene elucidat naturam Relationis prædicamentalis intrinsecùs advenientis: Ergo &c. Ly *accidens* est genus: reliqua locantur pro differentia. Dicitur *accidens reale*, ad differentiam Relationum rationis: dicitur *essentialiter importans habitudinem*, ad differentiam prædicamentorum absolutorum, Substantiæ scilicet Quantitatis, & Qualitatis; ut exprimatur esse quasi genericum hujus Relationis, quod est ad aliud se habere, seu respicere aliud. Dicitur *unius entis prædicamentalis ad aliud*, ut ostendantur extrema, quæ nata est referre Relatio per suam habitudinem; cujusmodi sunt sola entia in Prædicamentis ponibilia v. g. substantiæ, quantitatis, & alia entia finita realia &c. Additur *ex natura extremorum necessariò consurgentem*, ad differentiam hujus Relationis à Relationibus extrinsecùs advenientibus.

Ex his infertur: ad Relationem prædicamentalem intrinsecùs advenientem tres requiri conditiones. *Prima* est, ut extrema ejus sint realia, ita ut in ratione fundandi & terminandi ab ullo opere intellectûs non dependeat. *Secunda* ut eadem extrema sint inter se realiter distincta; quia nihil ad seipsum realiter refertur. *Tertia* ut oriatur ex natura talium extremorum, & non per aliquem actum comparativum: has conditiones affert Scotus *1. dist. 31. q. un.* & ampliùs in progressu quæstionum explanabuntur, atque probabuntur.

6. *Corollariū prioris Doctrinæ.*

QUÆSTIO IV.

An Relatio prædicamentalis Intrinsecùs adveniens sit accidens ab extremis realiter distinctum?

Nota primò: juxta communem Realium sententiam *Extrema Relationis* esse fundamẽtum, & terminū; quæ suprà *q. 1. notab. 2.* sunt explicata. Primum extremum, quod dicitur fundamentum secundùm Scotum *1. dist. 19. q. un.* est duplex remotum, & proximum. *Remotum* (quod & materiale dicitur) est illud, quod fundat Relationem, puta substantia, quantitas, aut qualitas. *Proximum* (quòd & formale appellatur) est ipsa ratio fundandi, sine qua nō consurgeret ex fundamẽto remoto Relatio prædicamentalis intrinsecùs adveniens; v. g. Relatio paternitatis; fundamentum remotum est substantia Platonis; proximum verò potentia generativa.

1. *Quid fundamentū proximū, & remotū.*

Dico primò: Relatio prædicamentalis intrinsecùs adveniens (idem est de extrinsecùs adveniente) est accidens realiter ab extremis distinctum. Ita Scotus *2. dist. 1. q. 4.* Et *3. dist. 1. q. 1.* Et *Quodlib. 3.* Et sequuntur Lychet. Gad. Mastr. Ponc. Mouturf. Tartar. Bonet. Columb. & communis Scotist. item S. Thomas *1. part. q. 28.* & Thomistæ communiter, Boëtius, & alij gravissimi Philosophi, & TT. contra Nominales, & RR. docentes Relationes prædicamentales non distingvi realiter à fundamentis.

2. *Relatio intrinsecùs advenientś est accidens distinctum.*

Pro-

Probatur primò authoritate Philosophi, qui *cap. ad aliquid* Et *5. Met. text. 20.* ordinavit particularem distinctam Categoriam pro Relationibus prædicamentalibus intrinsecùs advenientibus; quod non fecisset, si hujusmodi Relationes non distingverentur realiter à suis extremis, scilicet vel substantia, vel quantitate, vel qualitate: Ergo &c.

Probatur secundò rationibus Scoti *cit. 2. primò:* Relationi prædicamentali intrinsecùs advenienti, & extremis convenit apertum signum distinctionis realis, puta separabilitas: Ergo &c. Prob. Ant. destructô unô pariete albô ut terminô, & remanente alterô albô ut fundamentô destruitur Relatio prædicamentalis similitudinis, quæ priùs inter ambos albos versabatur: item per recessum servi destruitur Relatio Domini in Petro, remanente fundamentô, id est Petrô: item mortuô filiô extingvitur paternitas, remanente fundamentô scilicet Platone, qui fundebat paternitatem: Ergo Relationi prædicamentali intrinsecùs advenienti convenit signum separabilitatis. *Secundò*, nihil finitum identificat sibi opposita formaliter; sed in eadē Quantitate possūt fundari oppositæ relationes æqualitatis, & inæqualitatis respectu diversorū: Ergo hæ nō identificantur Quantitati tanquā suo fundamento, ut extremu; sed ab eo realiter distingvuntur.

Probatur tertiò aliâ ratione, quam afferunt Complut. implicat quòd eadem res simul possit intendi, & remitti; quia intensio, & remissio sunt motus contrarij: sed Relatio prædicamentalis intrinsecùs adveniens potest intendi, & remitti; non verò fundamentum: Ergo non est eadem res cum suo fundamento; sed realiter distincta ab illo. Probat. Min. datâ hypothesi; quod Plato sit albior Plautô, remittatur albedo in Platone pro uno gradu, tunc Plato fit magis intensè similis Plauto in uno gradu; & tamen fundamentum seu entitas Platonis non intenditur, sed sola Relatio prædicamentalis intrinsecùs adveniens: Ergo &c. Præterea omnis denominatio nova debet provenire à forma nova reali: sed denominatio *similis* quâ paries albus denominatur similis alteri parieti albo de novo constructo est denominatio nova: Ergo provenit ab aliqua nova forma. Subsumo, sed illa forma nova est Relatio realiter distincta à fundamento; quia de novo accidit fundamento: Ergo Relatio distingvitur realiter à fundamento ut suo extremo. Tandem Relatio unionis hypostaticæ est distincta realiter à natura humana Christi, quia ab ea est separabilis, si Verbum vellet (sicut absolutè posset) dimittere illam naturam; item relatio compositionis est realiter distincta à partibus; quia compositum potest destrui, & consequenter Unio partium ejus, non destructis ipsis partibus v. g. animâ, & corpore humano; sed eadem est ratio de quacunque alia Relatione prædicamentali intrinsecùs adveniente: Ergo omnis talis Relatio distingvitur realiter ab extremis.

3. *Nominalium fundamenta.*

Objiciunt Nominales primò: Philosophus adversatur conclusioni; Ergo &c. Prob. Ant. Philosophus *5. Physic. tract. 10.* dicit, ad Relationem non est motus; quod dictum recipit Doctor Subtilis *2. dist. 1. q. 5.* sed si Relatio realiter distingveretur à suo extremo, quod dicitur fundamentum, daretur ad eam motus; quia fundamentum mutaretur motu reali per ejus accessum, vel recessum; v. g. Plato ex non patre fieret pater per filij generationem; & de patre evaderet non pater per obitum filij: Ergo &c. Respondeo cum Scoto *Quodlib. 11.* Et *2. dist. 1. q. 5.* glossando Philosophum, quòd ad Relationem non detur motus per se; bene tamen motus per accidens. Itaque cùm Relatio non possit esse terminus, seu effectus imediatè ab agente aliquo productus sicut albedo v.g. producitur in subjecto; ideo ad eam nō datur motus per se: datur tamē ad ipsā motus per accidens; quia ipsa resultat in subjecto, per positionem duorum extremorum.

Objiciunt secundò: positis duabus Quantitatibus palmaribus, & præcisò omni aliô habetur æqualitas; quia juxta Aristotelem, æqualia sunt, quæ sunt ejusdem mensuræ, & quæ partes totidem continēt: Ergo superfluit omnis Relatio realiter distincta ab extremis. Confirm. *primò:* Petrus dicitur essentialiter diversus à Brunello sine superaddita relatione diversitatis; quia talis faceret tantùm accidentalem diversitatem inter Petrum, & Brunellum. Confirm: *secundò*: non habemus ullum signum colligendi defacto dari in rebus hujusmodi formas superadditas: Ergo &c.

4. *Refelluntur.*

Respondeo *ad Primum* Dist. Ant. præcisô omni aliô habetur æqualitas fundamentalis Conc. Ant. æqualitas formalis

Neg.

Neg. Ant. Itaque sicut substantia sublatâ subsistentiâ est fundamentaliter, & radicaliter tantùm subsistens; & humanitas præcisâ risibilitate fundamentaliter tantùm risibilis; sic etiam duæ quantitates palmares præcisâ Relatione æqualitatis, essent fundamentaliter tantùm æquales. Quando verò Aristoteles æqualitatem definivit per unitatem eandem mensuræ, dedit tantùm definitionem per fundamenta; quia cùm Relatio in se sit minimæ entitatis, faciliùs per fundamenta cognoscitur, & definitur. *Ad primam Confirm.* dico, quòd illa Relatio diversitatis denominans Petrum essentialiter differre à Brunello, in se sit formaliter accidens; dicitur tamen essentialis, & substantialis; quia distingvit substantias essentialiter diversas; & ideo sumit suam denominationem ex natura extremorum, inter quæ versatur: sic etiam Philosophus *5. Physic. q. 9.* appellat actionem, quâ compositum substantiale producitur, substantialem, esto in entitate sua sit accidens. *Ad secundam Confirm:* Neg. Ant. quia sicut quando videmus effectus aliquos Quantitatis, vel Qualitatis, qui à substantia præstari non possunt, statim inde colligimus dari formas accidentales, à substantia distinctas; sic etiam quia videmus dari istum effectum, scilicet ordinari ad aliquod, & unum habere habitudinem ad aliud, qui præstari nequit ab entibus absolutis, statim colligo dari Relationes.

5. Aliæ oppositiones eorundem.

Objiciunt tertiò absurda, quæ putant sequi ex conclusione: *primò* sequeretur, inquiunt, quod Petro movente digitum, mutaretur totus orbis; quia meri novi respectus causantur in singulis entibus. *Secundò* idem accidens esset simul in pluribus subjectis distinctis, v. g. Relatio duplicitatis, à qua quaternarius numerus lapidum v. g. dicitur duplus binarius, insideret omnibus quatuor lapidibus: sed hæc sunt absurda; Ergo &c.

6. Expediuntur.

Respondeo *ad Primum* cum P. Mayronio; nullum esse absurdum, imò summè necessarium, fieri hujusmodi respectivas mutationes; quia omnia in mundo sunt aliquomodo connexa, & ordinata ad se invicem: unde cum Doctore *2. dist. 1. q. 5.* clamoribus, & admirationibus Neutrist. circa hoc objicio textum Philosophi *12. Met.* quod ipsi faciant inconnexam Mundi substantiam, tollendo Relationes: quamvis ergo totus Mundus mutaretur; tamē illa mutatio nō esset propriè dicta; & portare in dorso tot mutationes, inquit Mayr., nō erit onus. Respondet Aversa, esse onus, nō quidem humeris; sed intellectui intolerabile. Replicat Mayron. esse onus intellectui; sed grosso tantùm. *Ad secundum* Neg. Ant. ad ejus rationem dico, illam Relationem duplicitatis non esse accidens indivisibile, indivisibiliter quatuor illis lapidibus insidens; sed potiùs multitudo quædam Relationum, faciens Relationem per aggregationem, à qua numerus quaternarius dicitur duplus respectivè ad binarium.

7. Rursus aliud Argumentum dissolvitur.

Objiciunt quartò: nequit explicari modus productionis istarum Relationum: Ergo non debent admitti ut distinctæ realiter à rebus. Respondeo Neg. Ant. quia producuntur per resultantiam quandam, & sequelam naturalem, si sint Relationes intrinsecùs advenientes, ita nimirum ut subjectum, seu fundamentum exerceat respectu earum veram efficientiam causativam, & terminus habeat se per modum conditionis, ad quem Relatio dicit dependentiam, & coexigentiam necessariam; sicuti volitio objecti exigit tanquam conditionem ipsam præcognitionem objecti. Quòd autem terminus habeat se tantùm per modum conditionis, inde patet, quia nullum influxum physicum exercet in eam ponendam, unde in quacunque distantia etiam maxima termini, Relatio v. g. similitudinis exurgere potest; quod non currit de fundamento sustentante Relationem.

8. Modus P. Mayronii de efficientia Relat. repudiatur.

Hinc rejicitur modus à P. Maytonio assignatus pro efficientia Relationum, dum dicit; Relationem produci à termino in fundamento actione metaphoricâ, vel ut margo textûs vult, actiõne metaphysicâ, per pullulationem quandam naturalem: rejicitur inquam; quia effectus causalitatis metaphysicæ non distingvitur realiter à causa, sicut Relatio distingvitur realiter à fundamento, & termino. Deinde ad Relationem requiritur aliquomodo vera causalitas physica, qualis non est ista, aliàs si esset causalitas vera physica, tolleretur omnis via probandi aliquid esse physicè causatum per mutationem intrinsecam propriè dictam; quia semper dicam, quòd calor v.g. dicatur fieri per solā pullulationem ab igne, item compositū physicū oriri per pullulationem à natura, & forma

ma simul: imò totus mundus diei posset esse factus per pullulationem à DEO.

9. *Et alius Zerbij*

Reijcitur secundò modus Zerbij docentis, quòd Relatio exurgat per concomitantiam tantùm. *Contrà* est; ista concomitantia nullàm exerceret causalitatem in Relationem, nec metaphysicam, nec physicam; quia hæc si non contactum dimensionalem, saltèm virtualem causæ requirit; quia Relatio per veram efficientiam producitur: Ergo Relatio non producitur per concomitantiam.

10. *Instantiji obviatur.*

Dices quandoque terminus Relationis similitudinis existentis Pragæ est Romæ: Ergo in tali casu per veram efficientiam nequit ab eo produci Relatio. Respondeo Neg. Conseq. quia cùm hæc productio Relationis non sit proprijssimè, & rigorosè physica; sed per sequelam naturalem; vera tamen & realis; & cùm terminus tantùm habet rationem conditionis, ideo poterit intercedere quæcunque distantia termini.

Si Scotus, & Philosophus quandoq; dicant; quòd Relatio non possit conservari sine extremis, ex qua inseparabilitate inferri posset identitas realis Relationis cum extremis. Respondeo ipsos loqui de separabilitate proveniente ab extrinseco; & hoc verum est, quia hanc accipit à simultate durationis, cui ambo extrema coexistunt; non autem est ab intrinseco, quæ aliàs infert identitatem realem.

QUÆSTIO V.

De dependentia Relationis prædicamentalis ab extremis; ejusq; esse In, & Ad.

1. *Relatio est inseparabilis ab extremis actu existentibus, & perdurantibus.*

Dico primò: Relatio prædicamentalis intrinsecùs adveniens (idem est de extrinsecùs adveniente) ita dependet à suis extremis actu existentibus, & permanentibus, ut non possit etiam divinitùs ab eis avelli. Ita Scotus *Quodl. 1.* Et *2. dist. 1. q. 4.* Et *3. dist. 1. q. 1.* Et sequuntur Lychet. Gadius, Columb. Parisien. Et Suar. contra Mayron. Canonic. & quosdam alios Scotist.

Probatur primò authoritate Philosophi; qui in definitione relativorum *cap. ad aliquid* hujusmodi dependentiam Relationis prædicamentalis insinuat, dum ait: *relativa sunt, quorum totum suum esse est ad aliquid se habere*, quibus verbis docet Realtionem dicere essentialiter habitudinem ad sua extrema; adeóque censet eam ab eis existentibus, & remanentibus non posse avelli.

Probatur secundò ratione: ex opposita sententia sequuntur varia absurda: Ergo &c. Prob. Ant. *primò* quòd Plato pater posset esse simul pater & filius respectu ejusdem; posset enim Relatio prædicamentalis filiationis avelli à filio, & poni in Platone patre; sicq; Plato esset, Pater & filius simul respectu ejusdem; & diceretur generare, & generari, quod est absurdum. *Secundò* sequeretur ex eadem sententia, quòd Unio, quæ est Relatio quædam prædicamentalis, posset esse sine partibus unitis; quia divinitùs saltèm posset secundùm adversarios avelli ab extremis unitis: sed sequela est absurda: Ergo &c. *Tertiò* sequeretur, quòd productio, quæ quoque est Relatio prædicamentalis, posset esse absque producto: item motus localis sine termino, ob eandem prætensam separabilitatem Relationis ab extremis existentibus, & permanentibus: sed etiam istæ sequelæ sunt absurdæ: Ergo &c. Tandem opposita sententia nec ratione efficaci, nec authoritate ullâ stabilitur. Ergo non est admittenda: sed constanter tenendum commune dogma Scholasticorum, quòd Relatio quæcunque prædicamentalis dicat adeò indispensabilem, & arctam dependentiam à suis extremis actu existentibus, & permanentibus, ut nulla virtute etiam Divinâ possit avelli ab eis; etsi possit ab eis separari, & interire destructô unô eorum; ut *priori quæst.* dicebam.

2. *Scotistarū oppositorum rationes.*

Objiciunt oppositi Scotistæ *primò* quidquid potest DEUS cum causis secundis in genere causæ efficientis, potest etiam se solô: sed DEUS cum fundamento, & termino ot causis secundis potest conservare Relationem: Ergo etiam eandem sine illis potest conservare; & consequenter Relatio non ita fataliter dependet ab extremis existentibus, & permanentibus, quò minùs non possit divinitùs avelli ab eis. *Secundò*: quando inter aliqua vertit distinctio realis, & differentia essentialis, saltèm divinitùs possunt à se invicem avelli:

avelli: sed inter relationem prædicamentalem, & ejus extrema vertit distinctio realis, & differentia essentialis: Ergo &c.

8. *Dissipantur.*

Respondeo *ad Primum* Dist. Maj. quidquid potest DEUS cum causis secundis in genere causæ efficientis, potest etiam se solò circa entia absoluta Conc. Maj. circa entia relativa Neg. Maj. Itaque etsi DEUS possit se solò efficere entitates absolutas, & easdem conservare; non tamen potest entia relativa, seu Relationes se solò efficere, & conservare absq; fundamento, & termino, propter scilicet essentialem dependentiam secundùm Scotum *4. dist. 12. q. 2.* quam entia relativa, seu Relationes habent ad memorata duo extrema, & ex quorum positione consurgunt per resultantiam; non verò per transmutationem, aut rigorosam physicam efficientiam. *Ad secundum* est eadem responsio; nam illa Major verificatur tantùm in entibus absolutis; non verò in relativis, seu Relationibus, quarum dependentia ab extremis est dependentia essentialis ex *cit.* Scoto; ratione cujus proinde Relationes nullâ virtute possunt avelli, seu separari ab extremis, ut eruditè docet Scotus *in Report. 4. dist. 12. q. 1.* Circa alterum articulum quæst.

4. *Quid ratio In, & ratio Ad.*

Nota primò: cùm ex mox dictis Relatio prædicamentalis sit inseparabilis ab extremis scilicet fundamento, & termino actu existenibus, & perseverantibus, necessariò involvit rationem quamdam, quæ explicatur per *In*, & rationem quæ explicatur per *Ad*, id est, quòd petat esse *In* fundamento ut fundamento, & terminari *Ad* terminum: & in hoc conveniunt DD. omnes: sed controvertunt inter se, num utramq; istam rationem æquè essentialiter tanquã sui constitutivũ importet?

5. *Tam ratio In, quàm Ad pertinet ad essentiam specificã Relat.*

Dico secundò: utraq; ratio tam *In*, quam *Ad* spectat ad essentiã specificamRelationis prædicamentalis. Ita Scotus *1. dist. 28. q. 2.* Et *3. dist. 26. q. un.* Et *2. dist. 1. quæst. 5.* Et *4. distin. 12. quæst. 1.* Et *Quodlib. 3.* Et sequuntur Mastrius, Bellut. Montursf. Rada. & alij celebres Scotistæ contra Colum. Ant. Trombetam. Ant. Andream, & alios Scotistas, docentes rationem *In* aut esse duntaxat passionem Relationis, aut ad summum rationem genericam ejus, ut volunt etiam Thomistæ.

Probatur primò utraque pars simul textu Scoti; qui in *cit. 4.* ait; *respectus* (seu Relatio) *est essentialiter habitudo inter duo extrema; & ideo sicut tollere terminum ad quem respectûs, est tollere vel destruere respectum; ita tollere illud, cujus est respectus, est tollere respectum, & destruere rationem respectûs*: quibus verbis apertè docet Doctor, quòd respectus, seu Relatio prædicamentalis petat pro sua essentia specifica tam rationem *In*, seu esse in fundamento; quàm rationem *Ad*, id est esse ad terminum; cùm Relatio sit essentialiter habitudo inter utrumque; & sicut tollere terminum quem respicit ratio *Ad*, est tollere essentiam Relationis; ita etiam tollere fundamentum, quod respicit ratio *In*, est tollere essentiam Relationis: Ergo &c.

Probatur secundò specialiter prima pars *de ratione essendi In fundamento*: Tum qoia eadem sunt principia constitutiva specifica, & distinctiva: sed Philosophus *5. Met. cap. de ad aliquid* ponit rationem *In* fundamento pro principio distinctivo Relationum: Ergo ratio *In* fundamento est principium constitutivum specificum, seu de essentia specificaRelationis prædicamentalis. Tum quia Relatio prædicamentalis est essentialiter habitudo, ex Scoto *cit.* & Philosopho: *hoc cap.* adeoque petit tam essentialiter fundari, seu esse *In* fundamento; quàm terminari, seu esse *Ad* terminum: & consequenter tam ratio *In*, quàm ratio *Ad* ingreditur essentiam specificam Relationis. Tum quia non minùs implicat Relationem prædicamentalem esse sinè fundamento; quàm sinè termino: Ergo si esse *Ad* est de essentia specifica ejus, etiam esse *In* erit de ejusdem essentia specifica.

6. *Ratio essendi In subjecto est generica ratio.*

Dixi notanter; quòd *ratio essendi In fundamento spectet ad essentiam specificam Relationis*, ad distinctionem rationis essendi *In* velut in subjecto; quæ cùm universaliter conveniat omnibus accidentibus (omnia enim accidentia petunt esse actu, vel aptitudinaliter saltèm in subjecto) ideo talis ratio essendi *In* subjecto ad constitutionem Relationis concurrit tantùm ut ratio generica, ac communis; ut discurrunt hic Thomistæ: ratio verò essendi *In* velut in fundamento convenit præcisè Relationi prædicamentali, ut à cæteris accidentibus distinctæ.

Probat. secunda pars etiam specialiter: Tum quia Philosophus *hoc cap.* Et *5. Met. cap. ad aliquid* definit Relativa

tiva prædicamentalia in ordine ad aliud, scilicet ad terminum: Ergo conferratio nem *Ad* esse de essentia specifica Relationis prædicamentalis. Tum quia, ut discurrit Doctor *1. dist. 26. q. un.* Relatio ut relatio est, est ita *Ad* aliud; & si non sit ad aliud, Relatio non est; hæc enim est differentia specifica, quæ Relationem distingvit ab accidentibus absolutis: quod autem est differentia specifica, pertinet ad specificam essentiam: Ergo ratio *Ad* spectat ad essentiam specificam Relationis prædicamentalis.

7. *Scotistis oppositiones.*

Objiciunt Scotistæ contra primam partem *primò* authoritates: Philosophus ubique, & signanter *hoc cap.* definit, & explicat Relationem per rationem *Ad*: Ergo ratio *In* non pertinet ad essentiam specificam Relationis. *Secundò* Scotus *2. Report. dist. 1. q. 7. §. ad aliud* dicit, *dico igitur quod inesse, non est de quidditate Relationis*: Ergo &c. *Tertiò* Simplicius super prædicamenta conceptis terminis docet, esse *In* non constituere Relationem: Ergo &c.

8. *Satisfit.*

Respondeo *ad Primum*; Philosophum ideo in explanando naturâ Relationis prædicamentalis adhibere rationem *Ad*; quia hanc veteres ignorabant; supposuit autem rationem *In* tanquam omnibus notam, & communiter concessam pro ratione specifica constitutiva. *Ad secundum* interpretor Doctorem, & dico eum loqui de inesse, prout respicit subjectum in sensu Thomistarum; quo sensu haud dubiè esse *In* non est de quidditate specifica Relationis; cùm sit ratio generica accidentis ut sic; non verò loquitur de inesse prout respicit fundamentum, seu rationem essendi *In* fundamento, ut fundamento reduplicativè. *Ad Tertium* est eadem interpretatio in doctrinam Simplicij; cujus etiam authoritas parùm urget; cùm non sit classicus Doctor Scholæ nostræ Subtilis.

9. *Aliæ secundæ rationes.*

Objiciunt *Secundò* rationes: *primò* asserendo rationem *In* spectare quoque ad essentiam specificam Relationis, nullus daretur conceptus genericus Relationis prædicamentalis: Ergo non sic debet assignari. *Secundò*, si utraque ratio *In* & *Ad* spectarent ad essentiam specificam Relationis prædicamentalis, sequeretur talem Relationem importare duas habitudines specificas; & consequenter ipsam non esse ens per se, & simplex; sed per accidens: sed sequela est falsa: Ergo &c. *Tertiò*, esse *Ad* priùs naturâ convenit Relationi prædicamentali; quàm esse *In*: Ergo esse *In* non ingreditur ejus essentiam specificam.

10. *Expediuntur.*

Respondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam ut eruditè ex Doctore observat Bargius, duplex ostendi potest ratio essendi *In*, una quam dicit Relatio ad fundamentum sub ratione subjecti, in quantum Relatio est quoddam accidens, inhærens actu alicui subjecto: altera quam dicit ad fundamentum sub ratione fundamenti ut Relatio est: & istæ duæ rationes sunt inter se distinctæ; quia Relatio Divina unam includit, nempe rationem essendi *In* ut in fundamento; non tamen aliam scilicet essendi *In* ut in subjecto; cùm Relatio Divina non sit accidens de novo acquisibile, propter invariabilitatem DEI, ut docet Scotus, & communis Scotistarum. Ad propositum ergo dico, quòd etsi ratio *In* dicatur spectare ad essentiam specificam Relationis prædicamentalis in quantum respicit fundamentum sub ratione fundamenti; adhuc tamen eadem Relatio habebit conceptum genericum, in quantum scilicet dicit rationem *In* quæ respicit fundamentum sub ratione subjecti. *Ad secundum* Neg. Ant. quia ratio *In*, & ratio *Ad* in quantum constituunt essentiam specificam Relationis prædicamentalis non faciunt duas habitudines distinctas realiter; unde Relatio ex eis coalescens erit adhuc ens unum relativum per se, & simplex fundamentum *In* fundamento, & terminatum *Ad* terminum, cui æquè essentiale est fundari, ac terminari. *Ad Tertium* Neg. Ant. nam pro eodem indivisibili instanti naturæ Relatio est simul *In* fundamento, & terminata Ad terminum.

QUÆSTIO VI.

Utrùm terminus Relationis prædicamentalis sit entitas absoluta, necessariò actu existens, & realis?

1. *Status quæstionis.*

Nota primò: In Platone filio ut termino alicujus Relationis v. g. paternitatis Plauti posse admitti duo; substantiam scilicet genitam

tam Platonis filij, quæ est ratio quædam absoluta, seu entitas absoluta; & filiationem, quæ est ratio & entitas relativa. Sensus ergo primæ partis quæst: est an Plato terminet Relationem paternitatis Plauti sub ratione, & entitate absoluta, puta suâ Substantiâ: an sub ratione relativa, puta relatione filiationis, quæ est correlatio paternitatis. Et quæstio procedit maximè de mutuis Relationibus; nam in non mutuis terminus est semper ratio absoluta; cum nulla adsit correlatio in eo realis.

2. *Terminus Relationis mutuæ terminat sub ratione absoluta.*

Dico primò: terminus omnis Relationis prædicamentalis mutuæ terminat sub ratione absoluta; non verò sub relativa. Ita Scotus in *1. dist. 26. q. 1.* Et *dist. 30. q. 1.* Et *in Report. dist. 30.* Et sequuntur Bonetus, Colomb. Montursf. Lamaz. VanSichen, Mastrius, Frassen, & communis Scotist. ac Vasq. Hurtado, pluresque Thomistæ, Capreol. Soto, Soncin. &c. contra D. Thomam, Cajetan. Bannem, Zumel, Complut.

Prob. *primò:* si terminus Relationis prædicamentalis terminaret sub ratione relativa, illa ratio relativa, seu correlatio esset prior naturâ Relatione prædicamentali, cujus est terminus: quia terminus semper est prior naturâ Relatione, & præsupponitur ei aliquomodo; eô enim positô, & fundamentô resultat demum Relatio, ut habet receptus Canon Peripateticus; sed hoc est falsum; quia correlativa sunt simul naturâ ex Philosopho: Ergo terminus Relationis prædicamentalis non terminat sub ratione relativa, seu secundùm correlationem, quam dicit. Confirm. quia omnis Relatio prædicamentalis dependet à fundamento, & termino: Ergo præsupponit utrumq; ; quod enim ab alio dependet, est posterius illô aliô, adeoq; illud præsupponit: sed si terminus terminaret sub ratione relativa, seu secundũ correlationẽ, Relatio nõ sic dependeret quia deberet esse simul naturâ pro illo priori; cùm sit correlativũ quoddã: Ergo &c. *Secundò* quia palmus v. g. est æqualis alteri palmo; non autem æqualitati alterius palmi; quia palmus collatus cum æqualitate est dissimilis: Ergo illa Relatio prædicamentalis æqualitatis terminatur ab entitate absoluta palmi, & non à ratione relativa ejus, seu correlatione. *Tertiò* quia paternitas, & filiatio sunt Relationes mutuæ prædicamentales secundi modi (de quibus infrà) quæ fundantur super potentiam activam, & passivam: sed effectus potentiæ seu causæ generantis est entitas absoluta filij ut termini, id est substantia genita ejus, à qua proinde etiam vocatur generatio substantialis; cùm terminus ejus sit substantia: Ergo etiam ratio terminandi Relationem paternitatis erit entitas absoluta. *Quartò* tandem; quia ita patet ex communi loquendi modo; nam paternitas, quæ est Relatio prædicamentalis mutua, non constituit Platonem patrem filiationis, quæ est ratio relativa; sed ejusdem entitatis absolutæ scilicet, Plauti ut hominis geniti: Ergo illa entitas absoluta est quæ terminat paternitatem; non verò relativa, seu filiatio.

3. *Thomistarum evasio intercipitur.*

Thomistæ ut evadant vim harum rationum, distingvunt duplicem rationem terminandi; unam formalem, alteram radicalem seu materialem: & in proposito volunt, quòd entitas absoluta termini sit quidem ratio radicalis terminandi Relationẽ, relativa verò sit formalis terminandi eandem. *Contrà* gratis, & sinè necessitate multiplicatur, & distingvitur ista duplex ratio terminandi; nam eadem entitas absoluta est sufficientissima, ut sit non tantùm radicalis; sed & formalis terminus Relationis prædicamentalis; quia si à Plauto filio ut termino paternitatis Platonis per possibile vel impossibile auferretur ratio relativa, seu filiatio, is per suã substantiã genitam, & acceptam à Platone ut entitatem absolutam terminaret sufficientissimè dictam paternitatem Platonis.

4. *Cur Scotistæ ponant correlationem.*

Instant; ad quem finem ergo Scotistæ asserunt correlationem in termino præfato Plauto; si per ejus entitatem absolutam sufficientissimè terminatur paternitas Platonis? Respondeo ideo Scotistas superaddere hanc, & alias correlationes, ut terminus referatur intrinsecè ad alterum extremum; quemadmodum alterũ extremum scilicet fundamentum intrinsecè refertur ad terminum; & nè effectus causarum secundarum impediatur; quia positis duobus extremis tanquam causis sufficientibus productivis, seu potiùs emanativis, nõ est potior ratio, cur in fundamẽto resultet relatio, & nõ in termino correlatio.

5. *Quodd. argumentum Thomisticum enervatur.*

Objiciunt adversarij primò ab authoritate: Philosophus adversatur conclusioni: Ergo &c. Prob. Ant. Philosophus *hoc cap.* dicit, quòd *relativa dicantur ad convertentiam;* nam servus est Domini servus, & Dominus est servi Domi-

No 2

minus: Ergo intendit terminum terminare Relationem sub ratione relativa. Præterea *6. Top.* definit relativum per correlativum: Ergo &c. Respondeo primò Neg. Ant. ad cujus Probat. Neg. Conseq. quæ est fundata in fallacia consequentis: nam arguere, sic Relativa dicuntur ad convertentiam: Ergo terminus terminat sub ratione relativa, est fallacia consequentis; cùm dici ad convertentiam sit terminus tantùm consequens; convertentia enim non est semper realis; sed etiam aliquando quid rationis ex parte alterius extremi; uti fit in relativis tertij modi, id est non mutuis; terminatio verò semper est quid reale; unde bene sequitur, Relatio terminat Relationem: Ergo dicuntur ad convertentiam: non verò sic, dicuntur ad convertentiam: Ergo relatio terminat relationem. Respondeo secundò glossando Philosophum; & dico eum citatò dictò solùm velle insinuare, quòd relativa mutua reciprocentur propter mutuas Relationes, quæ ex earum extremis consurgunt, v.g. quòd sicut in Albo A consurgit relatio similitudinis, & terminatur ad album B. ita vice versâ in albo B. consurgit correlatio, quæ terminatur ad album A. *Ad secundam authoritatem* Philosophi dico, ipsum *loc. cit. Topic.* afferre solùm definitionem Relativi in sensu fundamentali; non verò in formali; cùm fundamentum æquè ingrediatur relativi definitionem ut additum.

6. *Variæ aliæ oppositionis Thomist. afferuntur.*

Objiciunt secundò à ratione *primò*: relativa mutua mutuò se respiciunt: sed mutuò se respicere, & respici (quod est proprium Relationi) est terminare aliud: Ergo Relatio est, quæ terminat. *Secundò*, una Relatio Divina immediatè terminat aliam, v. g. Filiatio Divina terminat Paternitatem Divinam: Ergo pariter una Relatio creata prædicamentalis terminat aliam. *Tertiò*, Relatio transcendentalis actûs immediatè terminat correlationem transcendentalem potentiæ: Ergo idem dicendum de Relatione prædicamentali. *Quartò*, illud est ratio terminans Relationis prædicamentalis mutuæ, quô positô ponitur talis Relatio; & quô ablatô aufertur: sed positâ correlatione ponitur Relatio prædicamentalis mutua, & eâ ablatâ aufertur: Ergo &c.

7. *Et resolvuntur.*

Respondeo *ad Primum* Neg. Min. quia unum mutuò respicere aliud est unum referri ad aliud per mutuas correlationes, & tendere in aliud; terminare verò aliud est sistere tendentiam alterius, quod proximum est entitatis absolutæ. *Ad secundum* dico primò; si sustineatur sententia vetus cujusdam Joannis à Ripa, de qua discurrit Scotus *1. dist. 26. q. un.* quòd Personæ Divinæ constituantur per absoluta; tunc Neg. Ant. quia Filiatio Divina non terminat in hac sententia Paternitatem; sed absolutum Filij, esto quod terminat eam. Si verò teneatur communis sententia Scoti, & aliorum TT. modernorum, quòd Personæ Divinæ constituantur per Relationes (quam & ego defendo *tom. 1. Schol. Theol. Scotist. tract. 3. dist. 2. q. 2. concl. 2.*) tunc Neg. Conseq. disparitas est; quia si in Divinis Filiatio Divina non terminaret Paternitatem, Paternitas nullum alium haberet terminum, quia nihil præterea adesset, quod realiter distingueretur à Patre, ad quem Filiatio refertur. At in creatis præter correlationem in termino adest etiam entitas absoluta realiter distincta à Relatione creata prædicamentali; quæ proinde immediatè potest terminare Relationem prædicamentalem. *Ad tertium* Neg. Ant. quia actus non secundùm relationem transcendentalem, sed secundùm suam rationem absolutam terminat Relationem transcendentalem potentiæ. *Ad Quartum* Neg. Maj. nam aliàs sequeretur etiam fundamentum esse rationem terminandi Relationem prædicamentalem mutuam, quam fundat; quia positô fundamentô ponitur talis Relatio; & eô ablatô aufertur. Circa alterum articulum quæst.

8. *Terminus Relationis præd. debet esse realis.*

Dico secundò: terminus Relationis prædicamentalis debet esse realis, & necessariò actu existens. Ita Scotus *1. dist. 31. q. un.* Et *4. dist. 6. q. 10.* Et *Quodlib. 6.* & alibi: & sequuntur Lychet. Columb. Mastr. & alij Scotistæ; contra Arimin. Soncin. Arriag. &c.

Probatur *primò*: Relatio prædicamentalis oritur ex positione fundamenti, & termini per resultantiã quamdam: item ejus extrema secundùm Philosophum sunt simul naturâ, & cognitione; debent esse simul coexistentia; dicitur ad convertentiam in Relationib⁹ mutuis: sed hæc omnia arguunt realitatem, & existentiam actualẽ in eis: Ergo terminus Relationis prædicamentalis debet esse realis, & necessariò actu existens. *Secundò* ex opposita sententia sequerentur varia absurda: Ergo non est tenenda. Prob. Ant. ex opposita sententia sequeretur, quòd Plato v. g. qui nunquam

quam generasset filios, posset dici formaliter pater plurium filiorū, qui essent termini tantùm possibiles paternitatis ejus: nam ad relationem, & consequenter paternitatem non requiritur actu existens terminus; sed sufficit possibilis: sed sequela est absurda: Ergo &c. Item Christus Dominus posset dici pater per Relationes prædicamentales ad terminos non actu existentes; sed duntaxat possibiles, scilicet ad filios, quos potuisset gignere; item B.V. MARIA pari ratione dici posset Mater multorum aliorum filiorum, qui essent possibiles generatū ab ea: & quævis Virgo innupta vocari posset nupta per Relationem ad maritum possibilem, quem sibi maritum assumere valeret: sed hæc quoque sunt absurda: Ergo non sufficit, ut terminus Relationis prædicamentalis sit possibilis: sed debet esse realis & actu existens.

9. *Objectiones.* Objicies *primò*: datur Relatio prædicamentalis ad negationes, & privationes; & inter duas negationes: sed hæ non sunt termini reales actu existentes: Ergo &c. *Secundò* Plato dicitur per veram Relationem prædicamentalem pater Plauti filij, etsi Plautus actu ampliùs non existat; sed mortuus sit: Ergo actualis existentia non requiritur in termino. *Tertiò* B V. MARIA in triduo mortis Christi dicebatur Mater Christi per veram Relationem prædicamentalem; & tamen non existebat Christus ut terminus hujus Relationis Maternitatis: Ergo &c. *Quartò* terminus Relationis transcendentalis non debet esse necessariò existens, ut habet Scotus *Quodl. 13.* & patet in aptitudine ridendi, quæ actualem risum ut terminum actualem non exposcit: Ergo idem dicendum de termino Relationis prædicamentalis.

10. *Dissolvuntur.* Respondeo *ad Primum* Neg. Min. nam negationes, & privationes reverà suô modô sunt reales, & actu existunt; unde etiam distinctio, quæ inter eas datur, realis dicitur. *Ad secundum* Neg. Ant. sed Plato dicitur tantùm pater Plauti per Relationem transcendentalem, quatenus dicit aptitudinem ad fieri iterum ejus pater in generali resurrectione, ubi resurgentibus filijs redibunt omnes Relationes filiationum, & paternitatum. *Ad Tertium* dico B.V. MARIAM in illo triduo adhuc potuisse dici Matrem Christi; quia adhuc existebat actu, & realiter physicum corpus Filij secundùm suam substantiam incorruptum, quod traxerat à B. V. MARIA ut Matre; & idem adhuc mansit unitum Verbo: Verbum enim quod semel assumpsit, nunquam dimisit, inquit Theologus. *Ad Quartum* Neg. Conseq. disparitas est; quia Relatio transcendentalis est realiter identificata suo fundamento, sicque non perit pereunte terminô, neque postulat ad sui positionem existentiam actualem termini, ut citè docet *cit.* Doctor: at prædicamentalis Relatio à fundamento realiter distinguitur, ideoque nisi adsit terminus actu existens, ipsa non advenit fundamento. Deinde inter cæteras differentias Relationis transcendentalis à prædicamentali etiam assignatur ista, quòd transcendentalis non perat terminum necessariò actu existentem; sed salvetur sub possibili; prædicamentalis verò postulat terminum actu existentem; ut directè docet Doctor *loc. cit.* & alibi.

QUÆSTIO VII.

Num una Relatio prædicamentalis possit immediatè fundare aliam; item DEUS, vel Substantia.

Dico primò: Una Relatio prædicamentalis potest fundare immediatè aliam Relationem. Ita Scotus *1. dist. 19. q. 1.* Et *2. dist. 1. q. 4.* Et *4. dist. 6. q. 10.* Et *Quodl. 6.* Et sequuntur Lychet. Colum. Mastr. Ponc. & communis Scotistarum ac ex RR. Ruvi. Suar. &c. contra D. Thomam, & Thomistas, ac Complut. Vasq. Molin. &c.

1. *Una Relatio præd. potest aliam fundare.*

Probatur *primò* ratione Scoti, quam elicit ex Euclide *5. Geom.* in principio: ubi Euclides dicit, proportionalitatem esse duarum proportionum similitudinem: sed una proportio ex his est verum fundamentum hujus similitudinis, quæ proportionalitas dicitur, & est Relatio: Ergo una Relatio potest immediatè fundare aliam Relationem. *Secundò*, unum accidens absolutum potest immediatè fundare, & subjectare aliud accidens absolutum;

tum; sic illa Quantitas, quæ superficies dicitur, fundat & subjectat nigredinem: Ergo etiam unum accidens relativum, cujusmodi est Relatio prædicamentalis, potest immediatè fundare aliud accidens relativum, seu Relationem prædicamentalem. Consequentia tenet à pari. *Tertiò*, inter duas æqualitates duorum palmorum, vel duarum ulnarum vertit distinctio realis, quæ est Relatio prædicamentalis: Ergo hujusmodi Relatio distinctionis fundatur immediatè in una dictarum æqualitatum, velut in fundamento immediato, & non ultimato.

Probatur præterea ratione P. Mayronis; duæ paternitates, quæ sunt Relationes prædicamentales, sunt ejusdem speciei, & sunt sibi similes non minùs, quàm duo alba; quia conveniunt in ratione paternitatis, sicut duo alba in ratione albedinis: Ergo dicunt ad se invicem Relationem similitudinis: hæc autem similitudo fundatur in una Relatione paternitatis ut fundamento immediato: Ergo una Relatio prædicamentalis potest fundare aliam.

3. *Thomistarū responsio refutatur.*

Respondent Thomistæ: duas paternitates esse fundamentaliter tantùm & negativè similes inter se, quatenus non sunt diversæ speciei; sed disparitas est de albedine; quia duæ albedines sunt similes positivè per Relationem superadditam. *Contrà* non est potior ratio de uno, quàm de altero. Replicant esse potiorem rationem; quia Relatio est minimæ, ac debilissimæ entitatis; & ideo non potest esse materialis causa per modum fundamenti sustentans aliam relationem; nec etiam causa effectiva alterius ut formæ, & sui effectûs. *Contrà* primum quantùm ad munùs sustentandi: Relatio una ut habet rationem fundamenti in serie Relationum poterit esse perfectior aliâ; licèt non respectivè ad accidentia absoluta. Deinde demus esse debiliorem, adhuc non est timendum alicui ruinæ; quia in virtute absoluti aliam Relationem suprà se fundatam sustentabit. Tandem licèt materia prima sit imperfectior formâ substantiali, adhuc tamen eam sinè periculo ruinæ sustentat. *Contrà* quantùm ad secundum munus efficiendi; quia cùm efficientia Relationum sit per modum simplicis resultantiæ, tanta virtus & entitas in causâ non requiritur.

Objicies primò: actio non fit per aliam actionem 5. *Met. 10.* Ergo nec Relatio refertur per aliam Relationem. Confirm. ex hac sententia sequeretur processus in infinitum in Relationibus; si enim Paternitas fundet Relationem similitudinis ad aliam paternitatem, hæc similitudo utique rursus aliam fundabit; & sic ulteriùs: Ergo &c. Nec valet responsio Scoti inquit Occam, quòd status fiat in secundis, quæ se ipsis referentur: quia implicat unam conservari sinè alia; cùm sint simul naturâ, quod signum est nullam ibi intercedere Relationem realiter distinctam: Ergo &c.

3. *Quibusdam objectionibus.*

4. *Respondetur.*

Respondeo *ad Primum* Dist. Consequens, Relatio non refertur per aliam, si illa alia consideretur ut fundamentum est Conc Conseq. si consideretur ut est ens quoddam disparatum fundans respectum, & non ut fundamentum referens Neg. Conseq. Itaque sicut actio creaturæ dicitur fieri per actionem DEI; quia respectu DEI non habet rationem actionis, sed cujusdam entis, & effectûs disparati; quia non est DEO ratio agendi, sed creaturæ; sic similiter licèt Relatio respectu termini sui non dicatur referri, sed referre; respectu tamen termini extranei, ac disparati potest dici referri: unde concedo Relationem ut sic consideratam non fundare aliam Relationem, quia ut sic consideratur in ordine ad proprium terminum. *Ad secundum* dico, quòd licèt Doctor admittat progressum in infinitum in Relationibus rationis; negat tamen in realibus: Ratio est; quia sicut in accidentibus per se ordinatis datur unum sic ultimum, ut ulterius subjectum alterius esse nequeat; ita etiam in Relationibus sentiendum erit, ubi dabitur status in ea Relatione, cum qua cæteræ, quæ concipiuntur consurgere; conveniunt in ratione fundandi, & in ratione referendi; v. g. duæ paternitates fundant relationem similitudinis inter se, si hæc similitudo conferatur cum alia, quæ reperitur inter alias duas paternitates, seipsâ dicetur similis illi, & non aliâ superadditâ; quia si ulteriùs pergas, eandem semper reperies rationem fundandi, scilicet convenientiam, & eandem semper rationem terminandi, ac referendi, scilicet simile. Breviter ergo nota; quando devenitur ad rationes *Quo* in denominationibus dandis, quæ ratio nequit esse *Quod* v. g. quantitas nequit esse quanta; sistendum est in illis Rela-

lationibus, quæ dicuntur ad aliud per denominationem ejusdem rationis cum illa quam intrinsecè secum adferunt: signum autem colligendi has rationes *Quo* erit quando ratio aliqua nec divinitùs separari poterit ab illa re, quæ dicitur *Quod*; ut patet de rationalitate in homine; hinc corruit illa Occami confutatio, facta contra Responsionem Scoti.

5. *Aversa opponit quædam.* Objicies secundò cum Aversa: Relatio est tantùm modus: Ergo denominat tantùm, seu refert suum subjectum, cui inest: Ergo non aliam Relationē in se fundatam. Respondeo transeundo Ant. & Neg Consequ. nam non tantùm forma subjecto dare potest denominationem; sed etiam subjectum ipsi formæ; sic non tantùm dicimus quantitas est alba; sed etiam albedo est quanta; & tamen quantitas est subjectum albedinis: sicut ergo quantitas, quæ mediat inter substantiam & qualitatem, utramque denominare potest quantam; sic in proposito Relatio similitudinis, quæ in coordinatione illarum Relationum veluti mediat inter paternitatem, in qua fundatur ista similitudo, & aliam similitudinem, quam ipsa fundat, sufficiens est ad utramque denominandam similem.

6. *Aliæ oppositiones.* Objicies tertiò: Philosophus videtur adversari cōclusioni; Ergo &c. Prob. Ant. Philosophus *5. Met. cap. 15.* mentionem facit de tribus duntaxat fundamentatis, fundantibus Relationem prædicamentalem, scilicet de Substantia, Quantitate, & Qualitate: Ergo &c. *Secundò* S. Augustinus *7. de Trinitate cap. 5.* dicit, quòd omne, quod relativè dicitur, sit aliquid, exceptā Relatione: sed illud aliud, quod discriminatur à Relatione, est quid absolutum: Ergo Relatio in absoluto duntaxat fundatur immediatè. *Tertiò* non datur unio unionis, ita ut unio A. uniretur per unionem B, Ergo nec Relatio fundata in Relatione.

7. *Eliduntur.* Respondeo *ad Primum*: etsi Philosophus *cit. locô* non faciat mentionem expressam Relationis tanquam fundamenti capacis fundandi aliam Relationem; attamen ibidem talem capacitatem; ei concedit tacitè, dum admittit unitatem essentiæ esse sufficientem rationem fundandi Relationem identitatis sive genericæ, sive specificæ inter res ejusdem generis, vel speciei. *Ad secundum* glossn D. Augustinum, & dico eum loqui de fundamento ultimato, quod semper est aliquid absolutum, nempe substantia: non verò loquitur de fundamento non ultimato seu proximo, quod quandoque potest esse etiam Relatio aliqua; sicut etsi substantia composita, seu compositum substantiale sit ultimatum subjectum omnium accidentium; attamen Quantitas potest etiam esse subjectum non ultimatum, & immediatum aliorum accidentium, puta qualitatum. *Ad Tertium* Neg. Consequ. disparitas est; quia unio est ratio formalis uniendi; unde non debet ipsa uniri per aliam similem; quia aliàs daretur processus in infinitum: at una Relatio fundans aliam non est ratio formalis referendi, seu ipsa referentia, & habitudo ad aliud; sed est fundamentum duntaxat talis referentiæ, & habitudinis; ac proinde sub hac ratione etiā aliā potest fundare. Circa secundum punctum quæst.

8. *DEUS nequit subjectare Relationes præd.* Dico secundò: DEUS nequit fundare, & subjectare ullas Relationes sive prædicamentales, sive transcendentales. Ita Scotus *1. dist. 30. q. 2.* & sequuntur Lychet. Mastr. Bellut. Viger. Barg. & communior Scotistarum. Prima pars est contra Arimin. & alios Nominales; secunda contra P. Mayron. & RR.

Probatur prima pars: DEUS est incapax sustentandi, & recipiendi de novo accidentia; utpote, quæ arguunt potentialitatem, & mutabilitatem in recipiente: sed Relationes prædicamentales arguunt potentialitatem, & mutabilitatem in fundamento, & subjecto eas recipiente: Ergo DEUS nequit fundare, & subjectare ullas Relationes prædicamentales Prob. Min. Relationes prædicamentales accedunt, & recedūt in suis fundamentis, & subjectis ad mutationem, & variationem terminorum: Ergo arguūt in eis potentialitatem, & mutabilitatem.

9. *DEUS denominatur extrinsecè Creator.* Objicies: DEUS denominatur de novo Creator, quando creat animam Platonis: Ergo fundat, & subjectat aliquam Relationem prædicamentalem. Respondeo Dist. Ant. DEUS denominatur de novo Creator extrinsecè Concedo Antecedens intrinsecè Neg. Antec. Itaque dum DEUS in tempore creat animam Platonis, recipit quidem denominationem novam Creatoris; sed extrinsecè duntaxat absque ulla subjectiva Relatione nova prædicamentali; unde se habet tantùm terminativè, quatenus terminat realiter crea-

creationem passivam in anima Platonis existentem.

10. *Nec etiã transcendētalis potest recipere.*

Probat: secunda pars Conclusionis: DEUS est ens summè & perfectè necessarium, ita ut non varietur ejus esse factâ quâcunque hypothesi sivè possibili, sive impossibili circa aliud à se: Ergo nulla debet admitti in eo Relatio, quæ exigat necessariò aliud à se. Subsumo; sed Relatio transcendentalis creaturæ etiam ut possibilis exigit creaturam possibilem necessariò tanquam aliud à se: Ergo talem nequit DEUS fundare, & subjectare.

Dices primò: creatura possibilis est æquè necessaria: Ergo Relatio transcendentalis ad eam stare potest cum necessitate DEI, imò debet. Respondeo Neg. Ant. quia in quocunque gradu necessitas ponatur creaturæ, adhuc semper ejus necessitas erit participata; unde non est tantùm impossibile dicere, creatura aliqua non est possibilis, quantum est hoc, aliqua realitas DEI non est possibilis; unde ex hoc.

Probatur secundò Conclusio: sicut necessariò esse non pendet à contingenti, coexigendo illud ad suum esse; ita neque magis necessarium pendet à minùs necessario: sed creatura est minùs necessaria, quàm DEUS: Ergo non coexigit creaturam per aliquam Relationem transcendentalem coexigentiæ.

11. *Implicantibus creaturis Deus diceretur adhuc omnipotens.*

Objicies contra hanc partem primò: DEUS ex natura sua dicitur omnipotens, & omniscius, quæ sunt attributa dicentia perfectionem in DEO simpliciter simplicem; sed ista dicunt necessariò Relationem transcendētalem potentiæ, & scientivitatis ad creaturas, ad minus possibiles; quia implicantibus illis creaturis DEUS non esset omnipotens, & omniscius; quia nil posset producere, & scire: Ergo &c. Respondeo cum Doct. has duas perfectiones absolutas, seu attributa posse dupliciter considerari, fundamentaliter & formaliter: fundamentaliter seu pro denominato sunt ipsæ perfectiones Divinæ absolutæ, DEUM denominantes fundamentaliter omnipotentem & omniscium: formaliter vero consideratæ habent superadditas Relationes rationis: unde in forma Neg. Min. cum ratione ejus, & dico, quòd implicantibus creaturis DEUS diceretur omnipotens ob perfectionem absolutam importantem fundamentalem omnipotentiam, natam fundare respectum rationis ad creaturas, si possibiles forent.

12. *Objectio enervatur.*

Objicies secundò: Omnipotentia DEI est factiva: Ergo necessariò respicit aliquem terminum factibilem: Ergo dicit Relationem veram transcendentalem. Confirmatur à pari de potentia visiva, quæ transcendentaliter semper respicit objectum visibile. Respondeo *ad Primum* Dist. Conseq. respicit terminum per Relationem rationis Conc. Conseq. transcendentalem Neg. Conseq. *Ad Confirm.* Nego paritatem, disparitas est; quia potentia visiva realiter dependet ab objecto visibili in esse visivi, ideoque dicere debet transcendentalem ordinem ad illud; at non sic potentia factiva DEI à suo termino factibili, v. g. à creatura hac, vel illa, propter rationem in Probatione datam; sed potiùs à formalitate absoluta, nata fundare respectum rationis, & terminare realem creaturarum dependentiam. Deinde de denominationibus relativis non est idem judicium in DEO, & creatura. Circa tertium punctum quæst.

13. *In substantia immediatè fūdari possunt Relationes.*

Dico tertiò: licèt pro majori parte Relationes prædicamentales fundentur immediatè in accidente; tamen aliquæ etiam in substantia fundari possunt. Est contra aliquos Thomistas, qui D. Thomam; malè pro se citant ex *4. contra Gentes cap. 14.* cùm tamen sentiat cum conclusione *opusculo 48. tract. 5. cap. 4.* Est etiam Scoti *5. Met. q. 15.* & Scotistarum.

Probatur *primò* ex Aristotele *5. Met. cap 15.* ubi ait, quòd unitas in substantia faciat identitatem sicut in qualitate similitudinem, & in quantitate æqualitatem: Ergo sicut similitudo propter proportionatam conformitatem, quam habent duæ qualitates, fundatur immediatè in accidente qualitatis, & dicitur accidentalis, sic pariformiter identitas propter proportionatam conformitatem, quam habent duæ substantiæ, duo homines v. g. fundabitur in substantijs, & dicetur substantialis. *Secundò*; quando ignis generat alium ignem, & homo hominem; generatio priùs terminatur ad ignis substantiam, quàm ad ullum accidens; Ergo in illo priori fundatur Relatio effectûs in substantia, & filiatio in Patre.

14. *Replica eliditur.*

Dices: paternitatem, & filiationem fundari in actione, & passione, quæ sunt quædam accidentia. Contra: illis transactis adhuc manent præfatæ Relationes: Ergo

Ergo fundabuntur illæ Relationes in substantia Patris, & filij; aut saltèm in potentia activa ac generativa, quæ non distingvitur realiter à substantia ut accidens superadditum.

QUÆSTIO VIII.

Qualem distinctionem postulent extrema Relationis ab invicem; & an idem ad plura extrema possit referri?

Dico primò: Extrema Relationis prædicamentalis debent seipsis esse ab invicem realiter distincta. Ita Scotus *1. dist. 13. Et Quodl. 6.* Et sequuntur Barg. Mastr. Belluc. Faber, Lychet. & communis Scotistarum, ac Thomistarum; contra Gregor. Arimin. Et Basiol. docentes, sufficere quandoque distinctionem formalem.

1. Extrema Relationis debent esse realiter distincta.

Probatur primò authoritate Philosophi; qui *4. Met.* ob defectum realis distinctionis extremorum docet, identitatem ejusdem ad seipsum non esse Relationem realem prædicamentalem; idem enim ad seipsum non est duo realiter; unde idem ad seipsum tantùm refertur Relatione rationis, idem ipsi sibi comparando, ac si essent duo extrema: Ergo &c.

Probatur secundò ratione: Tum quia fundamentum, & terminus nata sunt divisim fundare Relationes oppositas: Ergo sunt semper ab invicem realiter distincta. Consequentia patet; quia ex eo, quòd Angelus sit natus recipere in se aliquod accidens, quod lapis nequit recipere, bene arguitur, Angelum & lapidem esse realiter distincta: Ergo si fundamentum, & terminus nata sint divisim fundare Relationes oppositas, sequitur ea esse semper realiter ab invicem distincta. Tum quia assignari nequit ulla Relatio prædicamentalis, quæ resultaret ab extremis realiter non distinctis ab invicem: Ergo &c. Tum quia Relatio prædicamentalis est realiter distincta ab extremis, ut suprà *quæst. 4.* ostendi: Ergo ipsa quoque extrema erunt ab invicem distincta realiter. Consequentia patet, & tenet ex paritate, illius principij, quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se; ita quæ sunt distincta ab uno tertio, sunt distincta inter se.

Objicies fundamentum P. Basiolij: voluntas movens se ad actum, movet seipsam activè per veram Relationem prædicamentalem: & tamen non distingvitur realiter à seipsa ut mota: Ergo extrema Relationis prædicamentalis non sunt semper realiter distincta. Respondeo Neg. Ant. pro secunda parte, quia voluntas ut mota potest dici distingvi realiter accidentaliter à voluntate; quia ut mota habet formam accidentalem, ratione cujus distingvitur à seipsa, ut carente tali formâ; sicut secundùm Scotum Medicus in quantum sanans dicitur aliquid, & distinctum realiter accidentaliter à seipso in quantum sanatur. Potest etiam Neg. Ant. pro prima parte, quòd scilicet voluntas seipsam moveat per veram relationem, versantem inter voluntatem moventem, & motam: nam Relatio nova realis, quæ ibi intervenit inter voluntatē moventē, & effectum de novo productum in motu, ut inter aliqua realiter distincta non est Relatio versans inter voluntatem moventem, & motam. Circa secundum articulum quæst.

2. P. Basiolio respondetur.

Dico secundò: idem potest pluribus Relationibus in se existentibus referri ad plura realiter distincta. Ita Scotus *q. 29. prædicamentali;* & sequuntur Orbellus, Columb. Bonetus, Ant. Andreas, & alij Scotistæ.

3. Possūt esse plures Relationes in eadem re ad diversa.

Probatur authoritate Philosophi; qui *4. Top. cap. 1.* unà cum Porphyrio *cap. de specie*, docet, quòd eadem species v. g. homo referatur ad suum genus, v. g. animal; & simul etiam ad sua inferiora, id est singularia Platonis, Socratis &c. de quibus prædicatur, sed hoc fit mediantibus pluribus Relationibus, in eadem specie existentibus: Ergo &c.

Probatur secundò ratione: idem Plato refertur pluribus Relationibus numerò distinctis ad plures filios à se genitos, realiter distinctos: item eadem scientia refertur ad idem scibile realiter distinctum, quatenus ab eo distingvitur, & tunc causatur Relatio de primo, & secundo modo; similiter ut ab eodem scibili mensuratur, Relatio de tertio modo: item unus palmus per unam Relationem æqualitatis refertur ad alium palmum, & per aliam quoque Relationem inæqualitatis ad semipalmum: Ergo idem potest pluribus Relationibus in se existentibus referri ad plura realiter distincta.

Oo QUÆ-

QUÆSTIO IX.

A quo desumatur distinctio, & unitas Relationum prædicamentalium?

1. *Quid sit distinctio intrinseca, & extrinseca.*

SUppono cum Scoto variis in locis inter Relationes prædicamentales, sicut inter cætera entia, verti distinctionem aliquam; quæ potest esse duplex, intrinseca scilicet, & extrinseca. *Distinctio intrinseca* est illa, quæ desumitur ab aliquo intrinseco. *Extrinseca* est, quæ desumitur ab aliquo, quod non est intrinsecum Relationibus, necessarium tamen ad eorum constitutionem: per hanc, quando latent nos differentiæ intrinsecæ essentiales distinctæ, à quibus desumi possit distinctio intrinseca (sicut in proposito nos latent propter exiguam entitatem Relationis prædicamentalis) innotescunt nobis distinctæ differentiæ: unde vocatur *Distinctio declarativa.*

2. *Distinctio intrinseca generica & specifica Relationū petitur à differentiis constitutivis.*

Dico primò: Distinctio intrinseca Relationum prædicamentalium sive generica, sive specifica desumenda est ab intrinsecis, & propriis earum differentiis constitutivis; idem dicendum de unitate generica, & specifica earundem. Ita Scotus *5. Met. q. 12.* Et *2. dist. 1. q. 5.* Et sequuntur Joan. de Magistris, Mastr. Bellut. Frassen, Montursius ac alii Scotistæ; & plures RR. contra Thomist. Nazar. Fland. Zumel. &c.

Probat. prima pars: distinctio tam generica, quàm specifica intrinseca aliorum Prædicamentorum desumitur ab intrinsecis, & propriis eorum differentiis; sic v. g. distinctio substantiæ à quantitate desumitur à perseitate: Ergo idem dicendum de distinctione intrinseca tam generica, quàm specifica Relationum prædicamentalium. Præterea distinctio intrinseca necessariò sumi debet à principiis intrinsecis; quia qualia sunt principia, talia sunt principiata, juxta Philosophum *1. Met. text. com 43. & 44.* principia constitutiva intrinseca sunt differentiæ intrinsecæ, & propriæ Relationum prædicamentalium: Ergo ab his desumenda est distinctio intrinseca, tam generica, quàm specifica Relationum prædicamentalium.

Dices: hujusmodi distinctionem in Relationibus prædicamentalibus posse sumi ab extremis: Ergo &c. Respondeo Neg. Ant. quia extrema sæpe sunt diversorum prædicamentorum, & insuper realiter distincta à Relationibus prædicamentalibus; adeoque intrinsecè eas constituere, & distingvere nequeunt.

3. *Ubi & unitas earundem.*

Probat. secunda pars: aliorum prædicamentorum unitas intrinseca tam generica, quàm specifica oritur ex intrinsecis earum differentiis; sic v. g. animal in homine est unum unitate intrinseca generica cum animali in bruto; quia utriusque est eadem differentia generica constitutiva, scilicet sensitivitas; similiter ideo Plato est unus unitate intrinseca specifica cum Socrate, quia utriusque est differentia eadem constitutiva specifica, scilicet rationalitas: Ergo etiam unitas intrinseca tam generica, quàm specifica Relationum prædicamentalium desumi debet ab intrinsecis, & propriis earum differentiis constitutivis.

4. *Numerica verò à differentiis individualibus.*

Dico secundò: Distinctio verò intrinseca numerica Relationum prædicamentalium desumenda est à propriis differentiis individualibus earundem; idem dic de unitate numerica ipsarum. Ita Scotus *2. dist. 3. q. 4. & 5. Met. q. 2.* Et sequuntur Montursius, ac alii Scotistæ.

Probatur prima pars: in serie Relationum prædicamentalium extant naturæ communes à parte rei, sicut in substantiis & aliis entibus universalibus: sed talium distinctio intrinseca numerica desumenda est à differentiis individualibus: Ergo & Relationum prædicamentalium. Præterea ex Philosopho *1. Post. text. com. 34.* eadem sunt principia constitutiva, & distinctiva: sed principia constitutiva Relationum prædicamentalium in esse individuali intrinseca sunt differentiæ individuales: Ergo hæ eædem erunt etiam principia distinctiva numerica intrinseca earundem.

5. *Similiter unitas.*

Secunda pars etiam patet: quia illæ res censentur esse intrinsecè unum numerò, quæ gaudent eisdem principiis constitutivis individualibus, ut Marcus, Tullius, & Cicero, quæ tria designant eundem numerò hominem: Ergo à differentiis individualibus petenda est intrinseca unitas

tas numerica Relationum prædicamentalium.

6. *Distinctio extrinseca Relat. oritur ab extremis.*

Dico tertiò: Distinctio extrinseca Relationum prædicamentalium oritur ab extremis; non quidem remotis, sed proximis. Ita Scotus *2. dist. 1. q. 5.* Et est communis Scotistarum, atque RR.

Probatur prima pars authoritate Philosophi, qui ideo ponit *5. Met. cap. 15.* diversitatem, & distinctionem trium generum Relationum, quia fundantur super fundamentis tanquam extremis diversis, & distinctis: & de Relatione paternitatis in Platone, patet eam distingvi à paternitate Socratis, quia uterque habet terminum, seu filium distinctum tanquam extremum: Ergo distinctio extrinseca Relationum prædicamentalium oritur ab extremis.

7. *Non remotis.*

Probat. secunda pars: super eadem extrema remota fundari possunt, & terminari distinctæ specie Relationes prædicamentales; sic v. g. similitudo, & dissimilitudo fundantur, & terminantur super eandem albedinem, & nigredinem: Ergo hujusmodi extrema remota sunt indifferentia ad specificandas Relationes; & consequenter etiam ad easdem distingvendas.

8. *Sed proximis.*

Tertia pars sequitur ex secunda; nam cùm ab extremis remotis non oriatur distinctio extrinseca Relationum prædicamentaliũ; remanet, quòd ab extremis proximis proficiscatur: unde paternitas est distincta extrinsecè à similitudine; quia paternitas fundatur in actione generativa tanquã in fundamento proximo distincto à fundamento duorum alborum proximo.

Sed hìc consurgit lis inter AA num ejusmodi distinctio extrinseca necessariò ab utroque extremo simul; an verò ab alterutro seorsim oriatur: Ego

9. *Et quidẽ generica præcipuè à fundamẽto.*

Dico quartò: Distinctio extrinseca generica Relationum prædicamentaliũ oritur præcipuè à fundamento: specifica verò oritur quandoque à fundamento, quandoque à termino, & utrumque sufficit. Prima pars est Scoti *5. Met. q. 12.* Et sequuntur Monturs. Frassen, & alij Scotistæ contra Soncin. & alios Thomistas: secundam tenet Frassen, Joan de Magistris &c. contra D. Thomam, Fland, Nazar. & alios Thomistas.

Probatur prima pars: Philosophus *5. Met. cap. 15. de ad aliquid*, colligit tria genera Relationum prædicamentalium diversa, & distincta exinde, quia fundantur super fundamentis proximis diversis, & distinctis, quæ infrà *quæst. 11.* explicabuntur: Ergo censet, quod distinctio extrinseca generica oriatur præcipuè ex fundamentis proximis.

10. *Specifica verò ab uno, & altero oriri potest.*

Probat. secunda pars in communi tam de fundamento quàm de termino: secundùm Scotum *2. dist. 1. q. 6.* (& statuitur pro regula generali) *quæcunque differentia sufficit ad distingvendum*: sed alia est differentia fundamenti, & alia termini in quantum sunt extrema Relationum prædicamentalium: Ergo utriusque differentia seorsim sufficit ad distingvendum præfatas relationes.

Probat. secundò specialiter *de fundamento*: quando nix v. g. generat sua albedine Relationes prædicamentales, quibus cygnus, & corvus ad eam referuntur ut Relationibus specie distinctis, scilicet similitudine, & dissimilitudine; illarum Relationum distinctio specifica non oritur à termino; cùm sit idem scilicet eadem specie, & numerò albedo, terminans utramque illam Relationem: Ergo oritur à fundamentis earum; & consequenter fundamentum sufficit ad distinctionem extrinsecam specificam inferendam.

Probat. eadem pars specialiter *de termino*: quando nix refertur ad cygnum & corvum per diversas Relationes specie distinctas, scilicet similitudinis ad cygnum & dissimilitudinis ad corvum distinctio specifica istarum Relationum oritur à terminis distinctis earum, scilicet ab albedine in cygno, & nigredine in corvo, qui sunt duo colores specie distincti; & consequenter sufficientes causare distinctionem extrinsecam specificam Relationum: Ergo Distinctio extrinseca specifica quandoque oritur etiam à termino; & consequenter hic sufficit ad eam inferendam. Et in hoc fundatur communis illa sententia Scotistarum, quòd *Relationes specificentur à terminis* etsi non solis.

11. *Numerica autem à solo termino.*

Dico quintò. Distinctio extrinseca numerica Relationum prædicamentalium non desumitur bene à fundamentis; sed depromenda est à terminis numerò diversis. Ita Scotus *3. dist. 8. q. un.* Et sequuntur Monturs. Colnmb. ac alij Scotistæ contra P. Frassen, & Thomistas communiter.

Probat. prima pars *primò*: in eodem fundamento sæpiùs reperiuntur plures

res numerò distinctæ Relationes prædicamentales; v. g. in eodem Platone patre sunt plures Relationes paternitatum ad plures filios à se genitos; item in eodem palmo unius mensuræ plures æqualitates numerò distinctæ ad plures alios palmos, repertos in alijs mensuris: Ergo distinctio extrinseca numerica Relationum prædicamentalium non desumitur bene à fundamentis. *Secundò* multiplicatâ ratione fundandi consurgunt Relationes prædicamentales distinctæ: sed in eodem numerò fundamento potest multiplicari ratio fundandi ad diversos terminos: Ergo in eodem consurgent Relationes distinctæ; & consequenter distinctio numerica non bene desumitur à fundamentis. Maj. patet ex Philosopho *5. Met. text. com. 20.* ubi ex diversa ratione fundandi colligit Relationes æquiparantiæ, esse distinctas ab illis, quæ vocantur disquiparantiæ. Prob. Min. in eadem potentia generativa possunt esse plures generationes activæ ad plures filios numerò distinctæ, ut fatentur etiam Thomistæ præsertim Ruvius: sed generatio activa est ratio fundandi paternitatem in patre, & passiva filiationem in filio, ut colligitur ex Philosopho *loc. cit.* Ergo in eodem numerò fundamento potest multiplicari ratio fundandi ad diversos terminos.

Secunda pars sequitur ex prima mox probata: nam cùm distinctio extrinseca numerica Relationum prædicamentalium non ritè desumatur à fundamento: relinquitur, quòd desumenda sit ab altero extremo, scilicet termino: & sic videmus, quòd multiplicentur, & distingvantur numerò Relationes similitudinis in pariete albo ob pluralitatem, & distinctionem plurium aliorum parietum alborum.

QUÆSTIO X.

Num plurificetur Relatio prædicamentalis ad plurificationem terminorum?

1. *Multiplicatis terminis diversis multiplicatur Relatio.*

Dico primò: ad plurificationem terminorum diversæ rationis, seu specie distinctorum plurificatur Relatio prædicamentalis specie distincta. Ita Scotus *3. dist. 8. quæst. un.* Et *Quodl. 11.* & alibi. Et sequitur communis Scotistarum, & ex RR. Suar. Fonsec. Molin. &c.

Probat. Tum quia ut dixi *priori quæst.* distinctio specifica resultat in Relationib⁹ ex distinctione specifica terminorum: Ergo etiam plurificatio earundem ex distinctione specifica terminorũ resultabit. Tum quia constat in Platone ad generationem filij ut filij sequi unam Relationem prædicamentalem paternitatis; & aliam ad generationem filij albi, quæ duæ Relationes sunt specie distinctæ; non aliam ob causam, quàm quia substantia filij, & albedo filij sunt duo termini diversæ rationis, & specie distincti: Ergo ad plurificationem terminorum diversæ rationis, & specie distinctorum plurificatur Relatio prædicamentalis specie distincta.

2. *Etiã multiplicatis terminis ejusdẽ rationis multiplicatur numerò Relat.*

Dico secundò: ad plurificationem quoque terminorum ejusdem rationis seu numerò duntaxat distinctorum plurificatur Relatio prædicamentalis numerò distincta. Ita Scotus *3. dist. 8. q. un. §. contra istam rationem.* Et *5. Met. q. 7.* Et sequuntur Ponc. Lychet. Fuentes, Colum. Basiol. Montursf. Tartar. Frassen, & alij Scotistæ. Et ex alienis Suar. Hurtad. Amicus, Molin. Fonsec. &c. contra Mastr. Bellut. & quosdam alios Scotistas; item contra Medinam, Capreol. Ferrar. Complut. Joan. à S. Thoma, & Thomistas communiter.

Probat. primò: plurificatis terminis novis ejusdem rationis, seu numerò tantùm distinctis simul plurificatur ratio fundandi, & terminandi: sed ad plurificationem rationis fundandi, & terminandi plurificatur Relatio prædicamentalis numerò distincta: Ergo ad plurificationem terminorum ejusdem rationis, seu numerò duntaxat distinctorum plurificatur Relatio prædicamentalis numerò distincta. Probat. Maj. plurificatis v. g. tribus filijs à Platone patre genitis, qui sunt termini novi ejusdem rationis, seu numerò duntaxat distincti, plurificatur in Platone ratio fundandi; quia habentur tres generationes activæ Platonis; & similiter plurificatio ratio terminandi, quia habentur tres generationes passivæ, & tres substantiæ generatæ trium filiorum: Ergo plurificatis terminis novis ejusdem rationis, seu numerò duntaxat distinctis,

ctis, plurificatur ratio fundandi & terminandi.

Probat. secundò: ad plurificationem terminorum diversæ rationis, seu specie distinctorum plurificatur Relatio prædicamentalis specie distincta: Ergo à pari etiam ad plurificationem terminorum ejusdem rationis seu numerò distinctorum plurificabitur Relatio prædicamentalis numerò distincta.

Probat. tertiò: Plato pater generans tres filios nequit prima Relatione paternitatis ad duos posteriùs natos referri; quia relativa petunt simultaneam coexistentiam; juxta illud Philosophi *relativa sunt simul naturâ*: duo autem posteriores filij needum existunt, quando resultat prima Relatio paternitatis in Platone, à qua dicitur relativus: Ergo debent multiplicari in eo duæ aliæ paternitates numerò distinctæ, quibus referatur ad alios duos filios ut terminos novos numerò distinctos.

3. *Quadrū respōsio super Scotisticū argumentū refutatur.*

Huic argumento Scotistarum varias adhibent adversarij responsiones, primò negant Ant. & dicunt, quòd illa prima paternitas Platonis se se extendat ad alios duos terminos seu filios posteriùs natos sine mutatione intrinseca per solam denominationem extrinsecam, desumptam ex nova terminorum novorum, id est filiorum duorum posteriorum existentia; sicut v. g. habitus scientificus de una conclusione acquisitus extendit se, quando habetur nova demonstratio per aliam conclusionem ejusdem objecti; & una visio crescente numerò hominum occurrentium eidem oculo; & consequenter Plato pater potest per talem extensam paternitatem referri ad duos posteriùs natos filios. Ex his ad rationem Ant. & Philosophum dicunt, quòd relativa petant simultaneam coexistentiam, & sint simul naturâ, vel secundùm substantiam, vel secundùm extensionem duntaxat accidentalem; uti contingit in Platone generante plures filios, ad quorum primum secundùm substantiam paternitatis est relativus; ad reliquos verò secundùm extensionem tantùm accidentalem. *Contrà* primò: illa nova extensio paternitatis primæ in Platone debet provenire ab aliqua forma nova: sed non ab alia, quàm ab aliqua Relatione nova resultante ex positione novi termini seu filij noviter nati: Ergo revera resultat, & multiplicatur Relatio multiplicatò numericè terminò novò. *Contrà* secundò: demus mori primum filium, ad quem referebatur Plato per paternitatem secundùm substantiam; quæro, an desinat tunc paternitas secundùm substantiam, vel transmigret ad secundò genitum: si dicant Thomistæ, quòd desinat: *Contrà* Ergo Plato non erit ampliùs verus Pater reliquorum duorum filiorum; quod est falsum: si dicant, quòd transmigret ad secundò genitum. *Contrà*; non est potior ratio, cur ad ipsum potius, quàm ad tertiò genitum transmigret: Ergo illa asserta extensio est mera evasio argumenti. Unde alij juniores.

4. *Alia responsio ad idem explicatur.*

Respondent aliter secundò: quòd duplex sit terminus Relationis, formalis, & materialis. *Formalem* vocant illum, qui per se primò terminat Relationem. *Materialem* verò qui per accidens, & ratione formalis duntaxat eam terminat: dicunt, quando plurificatur tantùm terminus materialis, non debet plurificari Relatio prædicamentalis; bene tamen quando plurificatur terminus formalis: ad propositum itaque argumentum ajunt illos tres filios Platonis esse tantùm terminos materiales Paternitatis in Platone; formalem verò esse rationem filij ut sic; quæ cum eadem repetiatur in omnibus tribus filijs; idcirco ipsa non plurificatur; & consequenter nec paternitas debet plurificari; atque ita Plato unica Relatione paternitatis ad omnes tres filios potest referri. *Contra* admissâ gratis tali duplici usurpatione termini formalis, & materialis, adhuc penes terminum formalem, id est rationem communem filij nequit desumi unitas, vel pluralitas numerica Relationis paternitatis; quia ab eodem termino formali, id est ratione communi filij, desumitur unitas specifica Relationis: ab eodem autem principio nequit unitas specifica, & numerica desumi. Itaque ex peculiari ratione talis filij unitas, & pluralitas talis filij depromi debet; adeoq; cùm tres sint tales filij sufficientissimi termini, tres quoque numerò distinctæ Relationes concedi debent.

5. *Thomistarū rationes opposita.*

Objiciunt Thomistæ *primò*: in casu, quò una Mater simul generet gemellos, unica Relatione maternitatis refertur ad ipsos; tamen sunt plurificati termini talis Relationis: Ergo ad plurificationem terminorum numerò distinctorum non plurificatur Relatio prædicamentalis. *Secundò*

eundè unicus filius per unicam Relationem filiationis refertur ad patrem, & matrem suam; qui sunt duo termini numerò distincti: Ergo &c. *Tertiò* multi colores in imagine aliqua unicâ visione à Petro videntur: item multi trahentes unam navim, unicâ Relatione respiciuntur à navi: item unus intellectus fertur ad plura intelligibilia: Ergo etiam unus pater referri potest unâ Relatione ad plures filios; & consequenter Relationes non debent multiplicari ad multiplicationem terminorum. *Quartò* formalis effectus Relationis paternitatis est constituere Platonem patrem: sed hic ponitur per positionem primi filij, nam eô positô consurgit Relatio completa paternitatis constituens patrem: Ergo per positionem reliquorum filiorum ut terminorum novorum nulla alia Relatio paternitatis consurgit.

6. *Dissolvuntur.*

Respondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam in illo casu habetur duplex generatio activa, ut ratio proxima fundandi, & duplex passiva, ac duplex substantia filiorum, adeoque resultare debet duplex Relatio maternitatis, per quas ad illos gemellos ut plurificatos terminos referatur. *Ad secundum* Neg. ant. Nam in probabiliori sententia Galeni, & Doct. Subt. mater etiam concurrit activè ad generationem prolis, ut *tom. 2. Schol. Philosoph. in tract. de gen. & corrup.* dicetur; adeoque filius ab ea; & patre ut duabus causis efficientibus partialibus genitus per duplicem Relationem ad utrumq; debet referri: & hoc magis ex eo relucet, quòd mortuô unô genitore, & extinctâ consequenter unâ Relatione, quâ filius ad eum referebatur, adhuc remaneat altera Relatio, quâ ad superstitem refertur. *Ad tertium* Neg. Conseq: disparitas est; quia multi colores in imagine, & multi trahentes unam navim; & plura objecta intelligibilia sunt termini tantùm inadæquati, ad quorum unum Relatio referri nequit sinè eo, quòd ad alium etiam referatur: at terminus cujuslibet generationis activæ est terminus adæquatus; nam ad unum pater potest referri, & non ad alterum suppositô quòd alterum non generet, aut genitus moriatur; adeoque eis multiplicatis, debet etiam multiplicari Relatio paternitatis. Negari etiam potest Ant. quoad omnia tria exempla: nam probabiliter sunt plures visiones partiales illorum colorum, plurésque relationes trahentium, & intellectûs. *Ad Quartum* Neg. Maj. sed formalis effectus Relationis paternitatis est denominare, & referre patrem ad hunc numerô filium; qui effectus multiplicatur multiplicatô filiô; & consequenter etiam debet multiplicari Relatio nova paternitatis.

7. *Achilles Thomistarum dejicitur.*

Objiciunt secundò commune suum principium, quod putant irrefragabile: in eodem subjecto nequeunt subjectari, & recipi plura accidentia numerô distincta; quia accidentia individuantur per subjecta; & consequenter distinctio numerica ab eisdem depromenda est: Ergo ad plurificationem terminorum numerô distinctorum non plurificatur Relatio prædicamentalis; quia aliàs in eodem subjecto, seu fundamento v. g. Platone patre reciperentur plura accidentia paternitatum numerô distincta. Respondeo Neg. Antec. cum ratione ejusdem, quæ est principium falsum Scholæ Thomisticæ, & alibi reijcitur fusè; nam formæ accidentales seu accidentia non per subjecta, quæ ipsis sunt extrinseca; sed per intrinsecas proprias differentias individuales, quæ hæcceitates dicuntur, formaliter individuantur; & consequenter etiam distingvuntur. Itaque tunc tantùm repugnant plura accidentia necessariò distincta in eodem, quando omnia tribuunt eundem prorsus effectum formalem; quod non fit in proposito; quia hæc numerò Relatio paternitatis refert Platonem ut subjectum, & fundamentum ad hunc numerô filium primogenitum, & alia ad secundò genitum &c. sicut hæc numerò species repræsentat Franciscum, & altera Antonium.

QUÆSTIO XI.

De tribus modis Relativorum, à Philosopho assignatorum.

Nota primò: Philosophus 5. *Met. cap. 15.* assignat tres modos Relativorum, veluti classes & genera, ad quæ Relationes omnes prædicamentales intrinsecùs advenientes; imò

imò & multæ transcendentales reduci possunt; quas explanat, & recipit Scotus *in Com.* ad eundē locum Philosophi, & *1. dist. 30. q. 2.* Relationes primi modi, seu primi generis fundantur in unitate, & multitudine: Relationes secundi modi in potentia activa, & passiva: Relationes tertij in mensura, & mensurabili.

1. Tres Modi Relativorū Aristotelis admittuntur.

Dico primò: aptè assignati sunt tres Modi relativorum, seu Relationum omnium prædicamentalium intrinsecùs advenientium, tanquam genera ejusdem. Ita Scotus *loc. cit.* & sequuntur Frassen, ac alij Scotistæ.

Probatur: Tum Authoritate Philosophi *loc. cit.* præfatos tres modos relativorum, seu Relationum prædicamentalium assignantis, ut quædam genera: Ergo &c. Tum ratione; ad hos tres Modos commodè reduci possunt omnes Relationes prædicamentales intrinsecùs advenientes, tanquam ad quædam genera: Ergo &c. Prob. Ant. in fundamentis proximis horum trium Modorum veluti generum fundantur omnes Relationes prædicamentales intrinsecùs advenientes: Ergo &c. Probat. Ant. fundamentum proximum Relationum primi Modi est unitas, & multitudo; & in hoc fundantur omnes illæ Relationes, quæ dicunt convenientiam, vel disconvenientiam, ut similitudo, æqualitas, dissimilitudo, inæqualitas &c. Fundamentum proximum Relationum secundi Modi est potentia activa, & passiva; & in hoc fundantur Relationes mutuæ producentis, & producti; causæ & causati; moventis, & mobilis; cujusmodi sunt calefacientis ad calefactum, generantis ad genitum, & aliæ complures, de quibus infrà. Fundamentum proximum tertij Modi est mensura perfectionis ad mensurabile, & in hoc fundantur omnes Relationes non mutuæ, scientiæ ad scibile; intellectûs ad intelligibile; visûs ad visibile, & aliæ: nec assignari possunt alia fundamenta proxima, fundantia alias Relationes, ad hos tres Modos non reducibiles: Ergo in fundamentis proximis horum trium Modorum, veluti generum fundantur omnes Relationes prædicamentales intrinsecùs advenientes; & consequenter ad eos reduci possunt omnes Relationes prædicamentales præfatæ; & sic aptè à Philosopho assignantur, tanquam genera. Cape singulorum Modorum explanationes.

2. Quæ Relationes continentur sub primo modo.

Nota secundò: In primo itaq; Modo, classe, & genere continentur omnes illæ Relationes mutuæ, quarum fundamentum proximum est vel unitas, vel multitudo, seu numerus: remota verò potissima sunt vel substantia, vel quantitas, vel qualitas: unitas & multitudo alia est generica, alia specifica, alia numerica. Intelligitur autem nomine *unitatis* hic solùm convenientia aliquorum; & nomine *multitudinis* seu *numeri* disconvenientia aliquorum. Ad primum ergo Modum, & genus tanquam species reducibiles sunt omnes Relationes identitatum, diversitatum, æqualitatum, inæqualitatum, similitudinum, dissimilitudinum: nam si aliqua entia sint unum, id est conveniant in substantia, seu prædicatis essentialibus, uti conveniunt Plato, & Cicero, resultat inter ea Relatio *identitatis*, seu convenientiæ in essentialibus: si sint unum, id est conveniant in quantitate molis, uti palmus & palmus, resultat inter ea Relatio *æqualitatis*: si sint unum, id est conveniant in qualitate, ut duo parietes albi, resultat inter ea Relatio *similitudinis*. Si autem aliqua entia sint multa, id est si distingvantur in substantia, seu in prædicamentis essentialibus, ut homo, & brunellus, consurgit inter ea Relatio *diversitatis*. Si distingvantur in quantitate, ut palmus, & semipalmus, consurgit Relatio inæqualitatis: si tandem distingvantur in qualitate ut cygnus, & corvus consurgit inter ea Relatio dissimilitudinis.

3. Extenditur etiam ad Relationes transcendentales.

Nota tertiò cum Scoto *1. dist. 19. q. 1.* quòd etsi præfatæ Relationes hujus Modi potissimè, & principaliter fundentur in unitate trium primorum prædicamentorum substantiæ, quantitatis, & qualitatis, ut fundamentorum remotorum; attamen etiam in alijs prædicamentis suô modô reperiuntur; imò & in gradibus transcendentalibus. Ratio est; quia quodlibet ens alterius Prædicamenti, etiam transcendentale habet suam essentiam, in cujus unitate fundatur Relatio identitatis: item habet suam quantitatem perfectionis, in cujus unitate fundatur Relatio æqualitatis: item habet suam differentiam seu qualitatem, in cujus unitate fundatur Relatio similitudinis.

4. Et proportionalitatum.

Nota quartò: ad hanc eandem classem revocantur omnes Relationes proportionalitatum, & improportionalitatum,

tum, cujusmodi sunt omnes proportionalitates, & disproportionalitates geometricæ triangulorum, quadrangulorum, cuborum &c. nam & hæ fundantur super unitatem aliquam, vel multitudinem, scilicet super convenientiam duarum proportionum, vel disconvenientiam earundem.

5. Relationes secundi modi registrantur.

Nota quintò: in secundo modo, classe, seu genere continentur omnes Relationes mutuæ, quæ fundantur in potentia activa, & passiva veluti fundamento proximo; non verò in actione, & passione ut malè discurrunt Thomistæ, & quidam Scotistæ: nam actione, & passione pereunte adhuc manet relatio; quæ tamen absque fundamento esse nequit, v. g. peractâ ratione generativâ Platonis, adhuc manet in eo paternitas; unde actio se habet tantùm ut conditio, & dispositio prævia. Itaque Ralationes hujusmodi proximè fundantur in sola potentia activa, & passiva, ut jam in actum redactâ per actionem, & passionem, veluti quasdam dispositiones, & conditiones; v. g. Relatio paternitatis fundatur proximè in potentia generativa Platonis ut actione generativâ, jam in actum reductâ. Ad hanc classem, & genus pertinent omnes Relationes intrinsecùs advenientes producentis, & producti; causæ & causati; moventis & mobilis; v. g. Relationes quæ resultant inter calefaciens, & calefactum; inter generans, & generatum, quæ sunt plurimæ juxta pluralitatem generantium hujus Universi; item inter corpus locans, & locum.

6. Quibus adde transcendentales quosdā.

Nota sextò: imò ad eundem Modum Relationum secundùm quosdam DD. reduci possunt suô modô non tantùm omnes Relationes præfatæ, & similes prædicamentales; sed etiam transcendentales fundatæ super potentiam activam, & passivam; cujusmodi est Relatio productivi ad producibile, & similes, quæ dicunt naturalem aptitudinem ad producere, & dicuntur fundari in potentia, ut est non in actu secundo, sed sub actu primo.

7. Relationes tertij modi specificantur.

Nota septimò: In tertio demum Modo, seu classe reponuntur Relationes non mutuæ, quæ fundantur proximè in mensura & mensurabili, eò quòd objecta quæ sunt eorum termini, mensurent nobis perfectionē actuum, ad quos sequuntur: ex eo enī quod actus potentiæ intellectivæ possit versari circa Deum, & actus potentiæ visivæ non, certificamus, quòd actus potentiæ intellectivæ sit perfectior, quàm actus potentiæ visivæ; quare objecta hac ratione dicuntur mensurare, id est certificare perfectionem actuum. Ad hoc genus, & Modum pertinent omnes Relationes intellectûs ad intelligibile; scientiæ ad suum objectum scibile; cognitionis ad objectum cognoscibile, calefacientis ad calefactibile; sensûs ad sensibile, ut visûs ad objectum visibile, & aliæ hujusmodi complures non mutuæ, id est quæ nullam habent correlationem sibi correspondentem in terminis, quos respiciunt.

8. Unde oriatur non mutuitas Relat.

Nota octavò: hanc non mutuitatem in hisce Relationibus tertij generis, ut contradistinctis ab alijs primi, & secundi modi, seu generis, oriri juxta Scotum *q. 12. Met*: ex difformi extremorum assignatione; hoc est; quia unum extremum est in actu, ut scientia; alterum verò in potentia, ut scibile: sicut ex opposito mutuitas Relationum primi, & secundi modi oritur ex uniformitate; quia scilicet utrumque extremū est in actu, vel utrumque simul in potentia; inter quæ proinde illicò oritur dependentia; ut patet de calefaciente in actu, & calefacto in actu; item de calefactivo in potentia, & calefactibili in potentia.

9. Pertinent huc etiā transcendentales quædam.

Nota nonò: ad hanc classem secundùm DD. etiam revocari posse Relationes transcendentales non mutuas, quarum termini non existunt; aut quæ identificantur suis fundamentis; cujusmodi sunt dependentiæ omnes creaturarum adDEUM.

QUÆSTIO XII.

De Affectionibus, & Proprietatibus Relativorum.

10. Prima proprietas Relationū.

Nota primò: Philosophus in prædicamentis *cap. ad aliquid* quinque recenset affectiones, proprietates, seu attributa; quarum tamen primæ duæ ex sententia vulgi Philosophorum, non verò ex propria illi attribuuntur. Prima est, *habere contrarium.* Hæc Relationi convenit tantùm ratione fundamenti; nam una Relatio alteri for-

ma-

maliter non contrariatur, expellendo ratione sui alteram ab eodem subjecto, v.g. similitudo A. non expellit similitudinem B. formaliter ab eodem subjecto; unde dixit ipsemet Philosophus *cap. ad aliquid n. 6 in omnibus, quæ sunt ad aliquid, contrarietas non inest* (scilicet formalis) *nihil enim contrarium est duplo, nec triplo, nec alijs ejusmodi.* Ista proprietas convenit tam prædicamentalibus, quàm transcendentalibus Relationibus ratione fundamenti, ut habet Scotus *q. 26 prædicam.* patet de prædicamentalibus; quia æqualitas contrariatur inæqualitati ratione fundamenti: patet etiam de transcendentalibus; quia scientia transcendentaliter considerata contrariatur ignorantiæ secundùm absolutum.

2. Secunda. Secunda affectio est, *suscipere magis, & minus.* hæc etiam convenit tantùm ratione fundamenti; nam Plato dicitur magis vel minùs similis Socrati ideo, quia participat magis, vel minùs qualitatem albedinis v. g. Ex se ergo Relatio nõ potest intendi, vel remitti.

3. Tertia. Tertia proprietas est, *dici ad convertentiam* id est, ut sicut unum relativum dicitur ad alterum, ita alterum dicatur ad ipsum; v. g. si pater dicatur filij pater, & filius dici debet patris filius: potest autem hoc contingere tam per Relationem realem, uti contingit inter duo prædicta relativa mutua patris, & filij; quàm per relationem rationis, qua ratione creatura, & Creator dicuntur ad convertentiam, ubi ex parte DEI non nisi Relatio rationis correspondet, per quam DEUS dicitur Creator creaturæ.

4. Quarta. Quarta est, *esse simul naturâ*; nam ut verbis Philosophi *cit. cap. num: 17.* utar, *simul non est duplum, & dimidium; & cum est dimidium est etiam duplum; & cùm est Dominus, est servus; & cùm est servus, est Dominus.* Itaque mutuò se ponunt Relativa, simultaneam existentiam simultate naturæ habendo; sicut etiam mutuò se se tollunt, ut dicit idem Philosophus *citat. loc: & num. 17.* Hæc porro simultas Relativorum non est secundùm entitatem physicam specificam; secundùm hanc enim pater v. g. non est simul naturâ cum filio; sed multis annis prior: est ergo tantùm secundùm denominationes relativas, id est quatenus pater substat denominationi patris, & filius denominationi filij sunt simul naturâ. Oritur autem ista simultas sic sic explicata ex intrinseca natura Relativorum; quia ut docet Scotus hìc, unum Relativum quà tale sinè alio relativo sinè contradictione existere non potest; aliàs esset ad se, & nõ ad aliud, seu relativum. Radix hujus naturalis simultatis, & necessariæ connexionis Relativorum est ipsamet concomitantia causarum concurrentium ad utramque Relationem, quæ sunt terminus, & fundamentum, quibus positis illicò exsurgit opposita Relatio correspondens; & hinc scientia respectu rosæ in hyeme, vel cujuscunque objecti scibilis non est relativum secundùm *Esse*, sed secundùm *Dici* tantùm; quia non est adhuc simul naturâ cum rosa correlativa, nascenda in vere, vel objecto sciendo in instanti B. vel C.

5. Quinta. Circa quintam proprietatem *esse simul cognitione, & definitione* nota; non sic esse intelligendum, quasi Relatio paternitatis distinctè attingi nequeat sinè cognitione Relationis oppositæ in filio; nec pater definiri, nisi in definitione filij assignetur, quia ut cognoscatur paternitas, sufficit cognitio absoluti illius, in quod tendit, etiam ignotatâ mutuâ correlatione; & ut aliquid definiatur in esse relativi, sufficit similiter assumere entitatem absolutam relativi. Igitur hæc affectio sic est intelligenda; quòd cùm fundamentum, & terminus cognita necessariò pariant cognitionem Relationis; quia sunt causæ merè naturales, à quibus pendet cognitio Relationis; hinc definitè cognoscens patrem, definitè etiam cognoscit filium, ideoque Pater, & Filius dicuntur simul cognitione: dicuntur etiam simul definitione non formaliter; sed materialiter, quatenus relativum definitur per correlativum id est fundamentum sui correlativi; & sic etiam Aristoteles *1. Poster. cap. 3.* definit servum dicendo, *est homo qui est alterius juris*, ubi non dafinit ipsum formaliter, id est per ordinem ad Dominum ut correlativum; sed materialiter.

Dices: Personæ divinæ relativæ formaliter definiuntur per se invicem; quia relationes Originis tantùm terminantur ad correlativum: Ergo &c. Respondeo hanc definitionem non esse rigorósam, & proprijssimè dictam; quia non solemus dicere definiendo, Pater est, qui filiationem habet sibi correspondentem; hoc enim est quædam tantùm circumscri-

ptio; sed Pater est substantia humana generans.

6\. *In resurrectione generali redibunt Relationes paternitatis & filiationis.*

Quæres: an post generalem resurrectionem homines futuri sint patres, & filij, sicut priùs? Respondeo affirmativè: DEUS enim intuitu prioris productionis in reproductione hominum iterum illas Relationes reproducet, unde sicut ob primam generationem manet per totam vitam Relatio Paternitatis, & filiationis; licèt generatio illa dudum desierit; quia entitas filij semper conservatur intuitu illius; ita etiam in reproductione intuitu primæ illius generationis, filius saltèm mediatè reproducetur. Confirm. B.V. MARIA nunc est proprijssima Mater Christi, non minùs, quàm ante Christi aut suam mortem: Ergo idem erit in alijs matribus respectu suorum filiorum. Utrùm autem eadem Relatio resultaverit in B. V. quæ fuit ante mortem Christi (& idem est de alijs respectu suorũ filiorum) dubitari potest: si dicatur DEUM unà cum substantia simul reproducere in resurrectione omnia illa accidentia præteritè habita, affirmari poterit, si non; negari poterit.

DISTINCTIO VIII.

De sex ultimis Prædicamentis.

PRÆNOTATIO.

PHilosophus de sex ultimis Prædicamentis parùm disseruit; nam nam unico capite omnia recenset: cujus ratio forsitan est, vel quia alibi, signanter in lib. physic. plura dicit de Actione, & Passione, Ubi, & Quando: vel quia in Categoria Relationis prædicamentalis intrinsecùs advenientis, multa huc spectantia proposuit: vel tandem quia ejus perspicaci intellectui videbatur clara, & manifesta notitia horum Prædicamentorum. Verùm Gilbertus Porretanus Peripateticus aliorum ingeniorum imbecillium consulens utilitati, peculiarem componit tractatum de his Categorijs, quem intitulat de sex principijs; unde & sex principiorum author appellatur; in quibus Relationum extrinsecùs advenientium sex classes, seu categorias examinat, & elucidat: cum quo, & Doctore subtili ego quoq; subijcio hanc distinctionem.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Num dentur Relationes extrinſecùs advenientes; & an per eas conſtituantur ſex ultima Prædicamenta?

1. *Quid ſit Relatio extrinſecùs adveniens.*

NOta primò: jam ſuprà *diſt.7.quæſt.2. not.9.* dixi, Relationem extrinſecùs advenientem eſſe illam quæ nō oritur ex natura extremorum, ſeu poſitis extremis in quacunque diſtantia; ſed requirit præterea conditionem extrinſecam, id eſt actionem approximationis eorundem, ſicut ſequatur Relatio extrinſeca actionis combuſtivæ requiritur ſtupæ approximatio ad ignem, & concurſus Divinus, quem ſi DEUS ſubtrahat impeditur, ne exurgat; quemadmodum in fornace babilonica etiam jam facta approximatione non exurgebat Relatio actionis combuſtivæ trium Sanctorum puerorum, ob denegatum concurſum DEI neceſſarium, ad illam actionē ponendam. Hæc Relatio dicitur *extrinſecùs adveniens* ob datam jam rationem; quia ſcilicet non ſequitur immediatè poſitis extremis; ſed poſtulat adhuc aliquid extrinſecum ad ſui poſitionem, ſcilicet approximationem, & DEI concurſum. Ex his:

2. *Ejuſdē deſcriptio.*

Nota ſecundò: ſic aptè poſſet deſcribi Relatio extrinſecùs adveniens, *eſt forma accidentalis relativa realiter ab extremis diſtincta, non neceſſariò reſultans ad poſitionem extremorum, niſi ad eam detur aliqua actio.* Ly *forma* eſt genus: reliqua habent rationem differentiæ. Dicitur *accidentalis*, quia Relatio extrinſecùs adveniens eſt accidens ſuperadditum extremis, ſicut Relatio intrinſecùs adveniens. Dicitur *relativa*; quia reverà Relationes iſtæ ſunt de genere Relativorum, & non abſolutorum, ut infrà oſtendam. Dicitur *realiter ab extremis diſtincta*; quia omnis Relatio prædicamentalis eſt ſic diſtincta ab extremis; & conſequenter iſta in ſpecie, quæ verè in Prædicamento eſt. Apponitur *non neceſſariò reſultans &c.* quæ eſt differentia Relationis extrinſecùs advenientis, ab intrinſecùs adveniente.

3. *Et exiſtentia.*

Dico primò: dantur Relationes extrinſecùs advenientes, diſtinctæ ab intrinſecùs advenientibus. Ita Scotus *3. diſt. 1. q. 1.* Et *4. diſt. 13. q. 1.* Et *Quodlib. 11.* Et ſequuntur Lamazar. Poncius, Maſtr. Villaverde, & alij Scotiſtæ; contra Thomiſtas, & RR.

Probatur primò authoritate Philoſophi; qui hujuſmodi Relationes commemorat, & exemplificat per ſex ultima Prædicamenta: Ergo &c.

Probat. ſecundò ratione: dantur plures Relationes, quæ non neceſſariò reſultant ad poſitionem ſuorum extremorum: ſed iſtæ ſunt Relationes extrinſecùs advenientes, diſtinctæ ab intrinſecùs advenientibus: Ergo tales dantur. Probat. Maj. datur unio, per quam corpus phyſicum, & anima uniuntur; item Relatio ubicationis, per quam res dicitur locata ſeu ubicata in tali loco; item Relatio actionis, per quam agens dicitur agere &c. & harum omnium extrema poſſunt eſſe ſinè eo quòd exurgant hujuſmodi Relationes: Ergo dantur plures Relationes quæ non neceſſariò reſultant ad poſitionem extremorum; & quæ conſequenter ſunt diſtinctæ ab intrinſecùs advenientibus.

4. *Replicæ Thomiſtarum eliduntur.*

Replicant Thomiſtæ dicendo: animam uniri corpori per aliquem modum abſolutum; ſimiliter rem eſſe locatam per entitatem ſui, intimâ præſentiâ modificatam; & agens dici agere per ſuam formam abſolutam, vel modum abſolutum, abſque ullis ſuperadditis Relationibus extrinſecùs advenientibus: Ergo &c. *Contrà* primò: illud quod unit animam cum corpore; quod locat, ſeu ubicat; & quod agit nec eſſe, nec concipi poteſt niſi per modum actu referentis unū ad aliud: Ergo nequit importare aliquē modum abſolutum, vel entitatem abſolutam: nam ens abſolutum habet alium conceptum, quàm conceptum referentis actu unum ad aliud. *Contrà* Secundò: Relationes intrinſecùs advenientes non important aliquem modum abſolutum, vel entitatem abſolutam rei: Ergo neque Relationes extrinſecùs advenientes.

5. *Rationes in oppoſitum.*

Objicies *primò*: Philoſophus adverſatur Concluſioni: Ergo &c. Prob. Ant. Philoſophus *5. Phyſic. cap. 3.* docet, ad Relationem non dari motum; ſed ſi ad-

adstruantur Relationes extrinsecùs advenientes; ad eas dabitur motus; nam producentur per actionem; cùm ex natura extremorum non resultent: Ergo non debent asseri. *Secundò* Relatio extrinsecùs adveniens positis extremis pariter necessariò resultat: Ergo nō extat ut quid distinctū ab intrinsecùs adveniente. Probat. Aot. posito Platone in loco hujus cellæ, necessariò resultat Relatio locati ad locum: item unio necessariò consurgit positis extremis, & ratione fundandi, sicut in Relatione intrinsecùs adveniente: Ergo &c.

6. Diluuntur.

Respondeo *ad Primum* Neg: Ant. ad ejus Probat: glosso Philosophum, & dico eum loqui de Relatione intrinsecùs adveniente, ad quam non est necessariò actio, seu motus; quia talis Relatio sequitur ad positionem ipsorum extremorum. *Ad secundum* Neg. Ant. ad ejus Probationis primam rationem dico, etsi resultet Relatio locati ad locum, quando Plato jam actu est in loco hujus cellæ; quia tamen absolutè potest esse sinè isto loco cellæ, & ipse locus cellæ sinè Platone, si Plato transiret ad aliam cellam; ideo censetur Relatio locati ad locum non necessariò resultare ad positionem horum extremorum, nisi accedat actio, seu motus translativus Platonis ad hunc locum cellæ. Ad alteram rationem Ant. dico cum distinctione, unio necessariò consurgit positis extremis, & ratione fundandi, quæ non sit actio productiva Nego; quæ sit actio productiva, Concedo. Itaque ut unio necessariò resultet inter partes aliquas unibiles, debet adesse actio unitiva productiva unionis: quod non requiritur in Relationibus intrinsecùs advenientibus, quæ positis extremis, & ratione fundandi illico resultant, sinè actione alia productiva, præter illam, quæ ponit extrema.

7. Sex ultima Prædicamenta nō sunt modi absoluti.

Dico secundò: sex ultima Prædicamenta Actio, Passio, Ubi, Situs, Habitus, & Quando non constituuntur per aliquos modos absolutos, nec per puras denominationes extrinsecas; sed per Relationes extrinsecùs advenientes. Prima pars est Scoti *Quodlib. 11.* Secunda deducitur ex eodem Scoto *loc. cit.* Tertia est Doctoris in *3. dist. 1. q. 1.* Et sequuntur Gadius, Ant. Andreas, Columb. Frassen, Poncius, & alij Scotistæ; estque contra Complurenses, constituentes sex ultimas Categorias in modis absolutis; & contra Hervæ. Javell. Marium & alios, facientes ea puras denominationes extrinsecas.

Probatur prima pars: Tum quia sex ultima Prædicamenta sunt quædam coordinationes prædicamentales rerum secundùm subjicibilitatem, & prædicabilitatem, & veræ Categoriæ, distinctæ à Categorijs substantiæ, quantitatis, & qualitatis secundùm Philosophum hic, & Authorem sex principiorum: Ergo non constituuntur per aliquos modos absolutos. Tum quia totum esse horum sex Prædicamentorum est ad aliud se habere, sicut esse similitudinis in pariete albo A. subjectatæ, & terminatæ ad parietem album B. Ergo hujusmodi Prædicamenta non constituuntur per modos aliquos absolutos. Tum quia positô quocunque modô absolutô in corpore Platonis, & etiam locô aliquô, non idcirco habetur Prædicamentum, Ubi, quod est unum ex sex ultimis Prædicamentis; nisi præterea ponatur approximatio: similiter nec positô agente igne v. g. & passô stuppâ, habetur Prædicamentum Actionis, quod pariter est unum ex illis; nisi adhibeatur approximatio: Ergo non constituuntur sex ultima Prædicamenta in aliquibus modis absolutis. Tum tandem Prædicamentum Relationum intrinsecùs advenientium non constituitur per aliquem modum absolutum: Ergo neque Prædicamenta Relationum extrinsecùs advenientium.

8. Nec puræ denominationes extrinsecæ.

Probat. secunda pars: non videtur, quâ ratione aliqua Categoria possit constitui ex solis denominationibus extrinsecis, v. g. Categoria Ubi ex sola denominatione corporis locati, quæ proveniret à superficie ipsum continente, seu circumscribente; cùm Categoriæ construantur secundùm Philosophum ex generibus, speciebus, & individuis primò intentionaliter sumptis, quæ sunt vel entia substantialia; ut sunt ea, quæ construunt Categoriam substantiæ; vel entia accidentalia, uti sunt ea, quæ componunt Categorias novem accidentium Quantitatis, Qualitatis, & Relationum, de quarum numero sunt quoque sex ultima Prædicamenta: Ergo sex ultima Prædicamenta non constituuntur per aliquas puras denominationes extrinsecas. Præterea si sex ultima Prædicamenta constituerentur per puras denominationes extrinsecas, sequeretur DEUM posse poni in Prædicamento; quia ha-

habet denominationes extrinsecas Domini, Creatoris: sed sequela est falsa, ut supra *dist. 3. q. 3 concl. 1.* ostensum est: Ergo &c. Tandem denominatio pura extrinseca nil ponit reale subjectivè in re denominata: sed illa quæ constituunt sex ultima Prædicamenta, ponunt aliquid reale subjectivè in re, quam afficiunt; sic v. g. Actio ponit realem formam relativam in suo subjecto; quia illud immutat, & intrinsecè denominat: idem dic de Passione, Situ, & aliis: Ergo per puras denominationes extrinsecas non constituuntur sex ultima Prædicamenta: quod totum ampliùs patebit in progressu quæstionum, quibus quodvis Prædicamentum in particulari examinabitor.

9. *Sed Relationes extrinsecus advenientes.*

Probat. tertia pars conclusionis: Tum quia si sex ultima Prædicamenta nō constituantur per aliquid absolutum, vel denominationem extrinsecam; relinquitur quòd constituantur per solas relationes extrinsecùs advenientes. Tum quia sex ultimæ Categoriæ coalescunt ex talibus entibus, quorum totum esse consistit in actuali ordinatione unius ad aliud, non necessariò resultante ex natura extremorum; uti patet ex variis Relationibus situationum actualium, quibus ordinantur, & una pars ad alteram situatur; item ex Relationibus variarum actionum, quibus agentia referuntur, & ordinantur ad passa; & sic de cæteris: Ergo sex ultima Prædicamenta constituuntur per Relationes extrinsecùs advenientes. Tum tandem, dantur Relationes extrinsecùs advenientes, ut suprà *concl. 1.* ostendi: sed hæ alia Prædicamenta constituere nequeunt, quàm hæc ultima sex, scilicet Actionem, Passionē, Ubi, Situm, Habitum, & Quando: Ergo hæc constituunt.

10. *Rovius refutatur.*

Ex his infertur: præfata Prædicamenta ultima sex etiam malè à Capreolo, & Rovio constitui per absolutum, & relativum simul. Ratio est; quia ratio præfatorum Pædicamentorum est ad aliud se habere; adeoque nil absoluti in suo conceptu essentiali importat, per quod constituantur memorata Prædicamenta. Ratio est secundò; quia sex ultima Prædicamenta sunt entia per se, & unumquodque eorum est incomplexum, ac univocum respectu suorum inferiorum: si autem constituerentur per absolutum, & relativum simul, evaderent entia per accidens, complexa, & æquivoca, quia diversas essentias absoluti, & relativi sortientur: Ergo &c.

11. *Cuidam objecti occurritur.*

Objicies: si sex ultima Prædicamenta constituerentur per Relationes extrinsecùs advenientes, utique ratio eorum esset *ad aliud*: sed hoc est falsum: Ergo &c. Probat. Min. ratio prædicamenti *Ubi* facit rem duntaxat esse *In* loco; ratio *Quando* facit eam esse *In* tempore; ratio *Situs* disponit partes in loco: ratio *Actionis* est esse *Ab* agente; ratio *Passionis* est esse *In* passo; ratio *Habitûs* est adjacentia vestium *In* corpore: Ergo ratio sex ultimorum Prædicamentorum nō est ad aliud. Respondeo Neg. Min. ad ejus Probat. dico, sex ultima Prædicamenta, uti & quamcunque aliam Relationem duo præseferre, nempe esse *In*, & esse *Ad*; v. g. Ubi facit rem esse In loco, & etiam ordinari Ad locum; & sic dicendum de aliis; quare utrumque ex æquo important sex ultima Prædicamenta; atque ita constitui possunt per Relationes extrinsecùs advenientes.

QUÆSTIO II.

De Prædicamento Actionis.

1. *Variè accipitur Actio.*

Nota primò: hoc nomen *Actio* secundùm Scotum *4. dist. 13. q. 1.* est æquivocum, & consequenter varias habens usurpationes. *Primò* enim usurpatur pro vitali operatione intellectûs, & voluntatis, & cujuscunq; alterius potentiæ vitalis, puta visûs auditûs &c.; quare hoc sensu intellectio, volitio, visio, auditio &c. vocantur actiones. Actio in hac usurpatione est qualitas, & spectat ad Categoriam qualitatis. *Secundò* accipitur pro re acta, seu forma acquisita per actionem; hoc sensu calor ab igne productus in aqua dici potest illius actio. Actio in hac usurpatione est in illo Prædicamento, in quo est forma acquisita, seu res acta. *Tertiò* sumitur prout dicit respectum ad aliud; quod tripliciter fieri potest; nam agens creatum vel respicit terminum totalem, quale est compositum aliquod substantiale; & sic consurgit ad illud relatio producentis ad productum, quæ actio quædam dicitur in tertia usur-

usurpatione; talis est in patre, dum producit filium; & in igne dum generat aliū ignem. Actio in hac acceptione pertinet ad Prædicamentum Relationis intrinsecùs advenientis. Vel agens respicit terminum formalem seu formam; & tunc consurgit relatio inducentis ad formam inductam, vel educentis ad formam eductam, quæ quoque Actio dicitur in usurpatione tertia; talis est in igne inducente suam formam in ligno; vel educente eam de lapide. Actio in hac acceptione pariter spectat ad Prædicamentum Relationis intrinsecùs advenientis. Vel tandem agens respicit subjectum aliquod seu passum; & sic consurgit respectus transmutantis ad transmutatum; habetúrque Actio in eadem tertia usurpatione; talis est in igne ut transmutante lignum de ejus forma ad formam ignis; item in igne transmutante aquam de frigore ad calorem: unde Actionis terminus in hoc sensu est subjectum quatenus immutatum, ut aqua quatenus calefacta; non autem calor quatenus productus. Et hæc est genuina, & propria acceptio Actionis, ut de ea hìc agitur; & dicitur *Actio de genere Actionis*; quam sic definit Gilbertus Author *libelli sex princip.* (cujus authoritas hìc æstimatur) quòd *sit illa, secundùm quam in id, quod subijcitur, agere dicimur*; id est, est respectus ipsius agentis, quô agens agere dicitur; sed distinctivè.

8. *Definitio Actionis.*

Dico primò: Actio, ut constituit hoc speciale Prædicamentum, rectè definitur, quòd *sit relatio extrinsecùs adveniens agentis transmutantis ad transmutatum.* Elicitur ex doctrina Scoti *Quodlib. 13.*

Probat. hæc definitio constat genere, & differentiâ, cæterisque requisitis Dialecticis ad exactam definitionem: Ergo &c. Ly *relatio* est genus: reliqua subeunt rationem differentiæ; & facilè intelliguntur ex dictis in præmisso *notab. 1.*

9. *Distinguitur à Passione.*

Dico secundò: Actio constituit distinctum Prædicamentum à Passione. Ita colligitur ex Scoto *4. dist. 13. q. 1.* Et tenet communis Scotistarum.

Probat. Tum quia Actio est quoddam supremum genus prædicabile de pluribus specie differentibus in quid diversum â Passione, & passio est quoque supremum quoddam genus prædicabile de suis inferioribus specie differentibus in quid: sed hujusmodi ratio supremi generis facit Prædicamentum distinctum: Ergo Actio constituit distinctum Prædicamentum â Passione. Probat. Maj. Actio sub se continet species varias, puta Actionem substantialem, & accidentalem; materialem, & immaterialem; de quibus verè enunciatur dicendo, Actio substantialis est vera Actio; & Actio accidentalis est vera Actio; &c. Ergo Actio est quoddam supremum genus prædicabile de pluribus differentibus specie in quid, diversum à passione. Tum quia Philosophus Actionis Prædicamentum ut distinctum à Categoria Passionis assignavit; & cum eo Gilbertus Porret: Ergo &c.

4. *Est quid relativum.*

Dico tertiò: Actio non est quid absolutum; sed relativum, seu Relatio extrinsecùs adveniens. Est Scoti *Quodlib. 11.* & communis Scotist. contra Complut.

Probatur *primò* illis rationibus, quibus suprà *quæst. 1. concl. 2.* ostendi in communi, Prædicamenta ultima sex non consistere in modis absolutis; & consequenter nec hoc Prædicamentum Actionis est aliquid absolutum. *Secundò*, quia si Actio esset quid absolutum, deberet produci per aliam Actionem; non enim esset à se; sed ab alio per actionem productum: & de hac alia Actione quæro, an sit quid absolutum? si dicatur quod non; habetur intentum, quòd Actio sit quid relativum; si dicatur, quòd sit pariter aliquid absolutum; hoc rursus quà tale debet ab alia Actione produci; & sic dabitur processus in infinitum: Ergo &c. *Tertiò* Actio revera dicit actualem ordinationem agentis ad passum: Ergo non potest esse aliquid absolutum; sed relativum.

5. *Subjectatur in Agente.*

Dico quartò: Actio, de qua hìc, subjectatur in agente; & non in passo seu subjecto transmutato. Ita Scotus *4. dist. 13. q. 5.* Et *2. dist. 3. q. 5.* Et sequuntur Ant. Andreas, Columbus, Poncius, & communis Scotist. ac ex Thomistis Cajetan. contra Henricum, Capreol. & communem Thomistarum.

Probatur *primò*: Id subjectatur in agente, â quo agens denominatur formaliter agens, & transmutans; ut patet de nigredine, quæ subjectivè inhæret Mauro, â qua Maurus denominatur formaliter niger: sed agens denominatur formaliter agens, & transmutans actione, *v. g.* ignis denominatur formaliter calefaciens calefactione, quæ est Actio: Ergo Actio subjecta-

jectatur in agente. *Secundò* in quo reperitur aliquod fundamentum alicujus Relationis, in eodem reperitur formaliter Relatio; sic quia in Platone est fundamentum paternitatis, scilicet potentia activa generandi, ideo in eodem reperitur Relatio paternitatis: sed in agente reperitur fundamentum Actionis, puta potentia activa transmutativa: Ergo in eodem reperitur Relatio Actionis subjectivè. *Tertiò* duæ formæ oppositæ nequeunt esse simul in eodem subjecto; ut pater de calore, & frigore, quæ nequeunt inesse eidem manui: sed Actio, & Passio sunt duæ formæ oppositæ: Ergo Actio nequit esse simul cum Passione in passo. *Quartò* si Actio esset in passo, idem passum v. g. manus denominaretur simul calefaciens, & calefactum; calefaciens scilicet ab Actione, & calefactum à Passione: sed hoc dici nequit: Ergo &c.

6. *Varij textus Philosophi reconciliantur.*

Objicies: Philosophus *3. Physic. text. 20.* ait, doctionem, & disciplinam esse in discente seu discipulo: doctio autem est Actio docentis, & discipulus discens est patiens, quia est disciplinam seu doctrinam recipiens: Ergo Actio subjectatur in passo. Et *text. 12.* ait, Actionem, & Passionem esse unum motum: motus autem est in mobili; ut habet idem Philosophus *cit. loc. tex. 22.* quod est patiens: Ergo &c. Respondeo interpretando primum passum Philosophi, & dico eum *loc. cit.* non usurpare Actionem ut est de genere actionis; & prout de ea hìc, id est pro Relatione transmutantis ad transmutatum; sed pro re acta, seu forma producta, quæ est de genere qualitatis, prout patet ex *text. 22.* *Ad secundum* textum ejusdem Philosophi objectum dico, ipsum solùm velle, quòd Actio, & Passio sint unus motus materialiter; non autem formaliter; dicit namque ibidem Actionem, & Passionem esse veluti motus ascendentis, & descendentis: constat autem, quòd motus ascendentis, & descendentis; non sint unum formaliter; cùm sint motus oppositi; sed materialiter tantùm, scilicet ratione spacij interjecti & interpositi.

7. *Actio nō mediat inter agens, & passum.*

Dico quintò: Actio non est medium Quô, id est quo mediante agens transmutaret passum, seu subjectum. Ita colligitur ex Scoto *2. dist. 1. q. 2.* ubi docet, quòd causalitas non mediet inter causam, & effectum; & consequenter idem sustinet de Actione, quæ est causalitas agentis. Doctorem sequuntur Mouturs. Colum. Poncius, &c. contra plures Scotistas.

Probat. Tum quia Relatio non est de genere activorum: Ergo non est medium Quô, seu via ad transmutandum passum seu subjectum. Tum quia Actio ex dictis est formaliter Relatio: Ergo non est ratio media transmutandi subjectum seu passum; sed aliquod resultans primò postquam est positum fundamentum, & subjectum transmutatum: Relatio enim resultat primò positis extremis. Tum tandem quia causalitas ut sic formaliter considerata non est medium Quô causandi effectum; ut ampliùs ostendam *tom. 2. Schol. Philosop. dist. 9. q. 2. notab. 4.* Ergo etiam Actio, quæ est formaliter causalitas agentis, non est medium Quô immutandi subjectum, seu passum.

8. *Quid sit Actio increata, creata, immanens, & transiens.*

Nota deinde secundò: Actionem ut sic multifariàm dividi juxta terminorum varietatē: quare primò partitur in increatā & creatā. *Increata* est, quæ residet in DEO; estque vel ad intra, ut generatio Filij, & originatio Spiritus Sancti; vel ad extra, ut creatio Mundi, Angelorum, animarum &c. de quibus in Theologia. *Creata* est quæ convenit enti creato: & est primò vel immanens, vel transiens. *Actio immanens* est, quæ manet in agente, id est cujus terminus non est extra agens; sed est subjectivè in ipsomet agente; talis est intellectio, quâ intellectus seipsum immutat, dum de non intelligente fit intelligens: hæc Actio est de genere qualitatis, & actio impropriè; ac ab alijs dicitur Actio vitalis; quæ dismembratur in sensitivam externam, & internam &c. *Transiens* est illa, quæ transit in passum, id est terminatur ad passum distinctum realiter ab agente; talis est calefactio, quæ transit ad passum, v. g. ad aquam calefactam, id est terminatur ad aquam calefactam: & de hac hìc potissimùm agitur. Circa cujus species.

9. *Quid materialis, & immaterialis.*

Nota tertiò: Actio transiens alia est materialis, alia immaterialis, quæ sunt species subalternæ hujus Prædicamenti Actionis. *Actio transiens materialis* est transmutativa subjecti materialis, v. g. transmutatio aquæ de frigiditate in caliditatem. *Immaterialis* est, quæ est transmutativa subjecti immaterialis, v. g. transmutatio Angeli de non motu ad

tu ad motum; vel de non intellectione ad intellectionem.

10. Quid substantialis, & accidentalis.

Nota quartò: rursus Actio materialis subdividitur in substantialem, & accidentalem. *Substantialis* est, cujus terminus est substantia acquisita de novo; talis est generatio, & nutritio, per quam acquiritur nova entitas substantiæ in Platone genito, & nutrito. *Accidentalis* est, cujus terminus est accidens novum; talis est augmentatio, & diminutio, in quibus acquiritur, vel deperditur accidens quantitatis; item alteratio, in qua acquiritur, vel deperditur accidens qualitatis; item mutatio loci, in qua acquiritur, vel deperditur Relatio Ubi; & dicitur *latio*.

11. Artificialis naturalis &c.

Nota quintò: Actio pariter partitur ratione principiorum, & fundamentorũ: unde alia est actio *artificialis*, cujus principiũ est Ars cum natura, v. g. citharizatio: Alia *naturalis*, cujus principium solùm est natura; v. g. attractio ferri ad magnetem. Alia *supernaturalis*, cujus principium est aliquod ens supernaturale, ut visio DEI, quæ fit mediante lumine gloriæ, ut principio supernaturali. Ratione fundamenti verò dividitur in *Actionem productivam*, qualis est generatio, & *creativam*, qualis est creatio animæ rationalis; & *inductivam*, qualis est calefactio; quæ tamen ad alias Categorias spectant.

QUÆSTIO III.

De Prædicamento Passionis.

1. Acceptiones Passionis.

NOta primò: hoc vocabulum *Passio* est etiam æquivocum, & multiplici sensu, ac acceptione refertum: quare *Primò* usurpatur pro illa correlatione, quæ correspondet Divinæ Actioni productivæ; & est ipsa dependentia essentialis creaturarum à DEO, realiter identificata creaturis. Et in hac acceptione Passio est Relatio transcendentalis; non verò prædicamentalis: talis est v. g. dependentia Platonis à Deo ut Creatore. *Secundò* capitur pro proprietate metaphysica, vel Physica rerum; quo sensu risibilitas, & flebilitas dicuntur passiones hominis, id est proprietates ejus. Et in hoc sensu Passio pertinet ad Prædicamentum qualitatis. *Tertiò* sumitur pro aliqua relatione extrinsecùs adveniente, quæ resultat in subjecto transmutato, & refertur ad agens transmutans; unde est correlativum actionis: & hæc est propria acceptio Passionis prout de ea hic; definitúrque à Gilberto Porretano, *Passio est illatio, effectúsque Actionis*: Sed clariùs, & exactiùs.

2. Definitio Passionis.

Dico primò: Passio, ut constituit speciale prædicamentum, rectè definitur quòd *sit Relatio extrinsecùs adveniens transmutati ad agens transmutans.* Ità Scotus *4. dist. 13. q. 1.* Et *dist. 43. q. 5.*

Probat. hæc definitio continet omnia requisita probæ definitionis: Ergo &c. Ly *relatio* est genus: reliqua statuuntur pro differentia: talis relatio est in aqua calefacta, seu per calorem transmutata, quâ refertur ad ignem calefacientem, seu transmutantem.

3. Passio facit prædicamentũ distinctum.

Dico secundò: Passio constituit specialem Categoriam, à Categoria Actionis distinctam. Ita Scotus *4. dist. 12. q. 1.* & communis Scotistarum.

Probat. Tum ex dictis *priori quæst. concl. 2.* Tum quia illa debet censeri specialis Categoria, quæ continet sub se species subalternas, infimas, & individua diversa: sed talia continet Passio ut sic, quia continet sub se passionem materialem, & immaterialem, ut species subalternas; substantialem verò, & accidentalem ut species infimas; & harum individua: Ergo &c.

4. Est quid relativum.

Dico tertiò: Passio non est formaliter aliquid absolutum, sed Relatio extrinsecùs adveniens. Ita Scotus *4. dist. 43. q. 5. §. de tertiò.* Et sequitur communis Scotistarum.

Probat. Tum quia Actio non est formaliter aliquid absolutum; uti *priori quæst. concl. 3.* ostensum est: Ergo nec Passio ipsi correlativa. Tum quia Passio dicit essentialiter ordinem ad agens immutans: Ergo non consistit formaliter in aliquo absoluto; sed in relatione extrinsecùs adveniente. Tum quia ita constat ex Philosopho, Passionem numerante inter Relationes: Ergo &c.

5. Ejus inferiora.

Nota autem secundò: cùm Passio immediatè opponatur Actioni, eique adæquetur; idcirco dividenda est in tot species Subalternas, ac infimas, in quot distribuitur Actio ut sic transiens; nam secundùm commune Philosophorum effatum,

tum,

tum, quot modis dicitur unum Oppositorum, tot & reliquum. Unde linea prædicamentalis hujus Categoriæ eâdem prorsus ratione debet institui, & construi, quâ construitur linea Actionis: v. g. sicut sub genere generalissimo Actionis transeuntis immediatè collocantur Actio materialis, & immaterialis tanquam species subalternæ: sic deinceps.

6. Et proprietates. Nota tertiò: Aristoteles duas recenset proprietates, seu affectiones tam Actionis, quam Passionis. Prima est *habere contraria*: nam calefactio, quæ est Actio, contrariatur frigefactioni. Secunda est, *suscipere magis, & minùs*, quod non de abstractis; sed de concretis Actionis, & Passionis videtur esse intelligendum: nam unum agens dicitur magis agere, quàm aliud; sicut etiam unum patiens dicitur magis pati, quàm aliud: hæ duæ proprietates conveniunt Actioni, & Passioni tantùm ratione fundamentorum.

QUÆSTIO IV.

De Prædicamentis Ubi; & Situ.

1. Usurpatio vocis Ubi. Nota primò: secundùm Scotum *4. dist. 10. q. 1.* Ly *Ubi* duplicem habet acceptionem. *Primò* capitur pro aliquo interrogativo; ut si dicas, ubi moratur Cicero? cui respondetur, Romæ. *Secundò* pro esse in loco; v. g. esse Pragæ in cella: & hæc est propria usurpatio Ubi, prout de eo hìc. Ubi in hoc sensu describit Author sex principiorum Gilbertus Porret. sic, *Ubi est circumscriptio passiva à circumscriptione loci, vel spatij proveniens.* Sed ut observat Scotus *loc. cit.* hæc definitio non est exacta, quia non est communis omni; nam convenit soli Ubi passivo non verò Ubi activo, nec definitivo. Quare

2. Definitio ejusdem. Dico primò: bene describitur Ubi in communi, ut constituit hoc Prædicamentum, quòd *sit relatio extrinsecùs adveniens præsentiæ alicujus rei in loco*: tale Ubi est relatio Platonis, quâ dicitur locatus in loco Athenarum; & Angeli, quâ dicitur locatus in Ecclesia Romana. Ita Scotus *Quodlib. 11.* Et eandem amplectitur Gadius, Lychet. Columb. &c.

Probat. Hæc descriptio convenit omni omnino Ubi; ejusque naturam ritè explicat: Ergo &c. Ly *relatio* est genus; reliqua collocantur pro differentia: nec eget aliquâ explanatione.

3. Et distinctio ab aliis. Dico secundò: Ubi constituit speciale Prædicamentum, distinctum à Prædicamento Sitûs. Ita Scotus in *4. dist. 10. q. 1.* Et sequuntur Montors. Villaver. Meriner. OrLel. & alij Scotistæ; contra Bonet. Mastr. Bellut. &c.

Probat. Tum quia Philosophus Ubi enumerat ut unum ex decem Prædicamentis, distinctum ab alijs: Ergo &c. Tum quia Ubi, & Situs sunt duo genera generalissima; cùm non habeant aliud genus supra se; habéntque species sibi subjectas differentes; Ubi enim continet sub se Ubi definitivum, & Ubi circumscriptivum ut suas species subalternas: item sub his continentur Ubi activum, & passivum; item Ubi deorsum, sursum, dextrorsum, sinistrorsum &c. tanquam species infimæ: Situs verò continet Situm activum, & Situm Passivum, ut species subalternas; Situm verò sursum, deorsum &c. item stationem, cubationem, sessionem ut species infimas: Ergo Ubi constituit speciale Prædicamentum, distinctum à prædicamento Sitûs.

4. Ubi est relatio realis. Dico tertiò: Ubi non est tantùm extrinseca quædam denominatio; sed vera relatio extrinsecùs adveniens. Ita Scotus *cit. 4.* Et *cit. Quodlib. 11.* Et sequitur S. Thomas, Scotistæ, ac Thomistæ, contra nonnullos RR.

Probat. Tum quia alia Prædicamenta relativa non important tantùm denominationem quamdam extrinsecam: Ergo neque hoc. Tum quia ut suprà *q. 1. in probat. secundæ partis 2. concl.* dixi, non videtur, quâ ratione Categoria aliqua constitui possit ex solis denominationibus extrinsecis; cùm in ea collocentur genera, species, & individua primò intentionaliter sumpta, cujusmodi in hac Categoria sunt Ubi activum, passivum; definitivum, & circumscriptivum; Ubi deorsum, sursum &c. Ergo Ubi non est tantùm denominatio aliqua extrinseca. Tum quia Philosophus *cap. de sex ultimis Prædicamentis*, recenset Ubi tanquam formam relativam, & veram relationem: Ergo non est mera denominatio ex-

extrinseca. Tum tandem quia omnis actio nova, & realis debet habere terminum novum, & realem: sed Plato ponitur in loco A. nova reali actione: Ergo talis actio habet terminum novum, & realem. Subsumo: sed non alium, quàm Ubi passivum: Ergo Ubi est quid reale novum; & non tantùm mera denominatio extrinseca.

5. Quid objectio satisfit.

Objicies primò: Non sunt multiplicanda entia sine necessitate: sed nulla est necessitas multiplicandi aliquam relationem realem pro Ubi, quando res aliqua dicitur ubicari: Ergo &c. Probat. Min. ut Petrus dicatur ubicari in loco hujus cellæ, sufficit sola indistantia ejus à loco hujus cellæ: Ergo &c. Respondeo Neg. Min. ad ejus Probat: quæro, quid adversarij intelligant per talem indistantiam; si intelligant aliquid negativum: *Contrà*, nulla negatio ponitur in re, nisi præsupponatur prius aliquod positivum præcedens, ratione cujus negatio rei conveniat; Ergo dum Petrus fit indistans à loco hujus cellæ per negativum illud, pariter debet præsupponere aliquod positivum: sed nõ aliud, quàm relationem realem Ubicationis, seu Ubi: Ergo &c. si autem intelligant per indistantiam aliquod positivum; certè aliud assignare nequeunt cum veritate, quàm relationem Ubicationis superadditam: Ergo &c.

6. Aliud quod enervatur.

Objicies secundò: non percipimus sensu corpus aliquod ubicari in loco per relationem: Ergo Ubi non est quid reale; sed mera denominatio. Respondeo Neg. Conseq. nam etiam motum navis non percipimus, quando in interiori camera ejusdem subsistimus: & tamen est aliquid reale: Ergo idem dicendum de Ubi.

7. Variæ divisiones Ubi.

Nota deinde secundò: varias esse divisiones, & species Ubi juxta varios modos, quibus aliqua corpora dicuntur esse in loco expressos *tom. 2. Schola Philosophica tract. 1. dist. 14. q. 1.* nam Ubi activum; & locus formaliter coincidunt, estque relatio continentiæ, quæ resultat inter corpus ambiens, locans, ubicans, seu continens, & corpus ambitum, locatum, ubicatum, seu contentum. Quare primò tot species Ubi, seu ubicationum assignari possunt, quot sunt species locorum: *cit. loc. Schola Philosoph.* assignatorum. Deinde

Nota tertiò: in ordine ad construendam hanc Categoriam Ubi assignari possunt pro speciebus subalternis prædicamenti Ubi, Ubi definitivum, & circumscriptivum. *Ubi definitivum* est illud, quod convenit rebus, nullas partes extensas habentibus, ut Angelo, & corporibus penetrantibus alia corpora; quale habet Christus in Eucharistia. *Circumscriptivum* est, quod convenit rebus, partes extensas habentibus; hujusmodi sunt lapis lignum, equus &c. quæ ita circumscribuntur locô, ut una pars correspondeat uni parti loci, & altera alteri.

8. Quid Ubi diffinitivũ & circumscriptivũ.

Nota quartò: Ubi circumscriptivum subdividitur in activũ, & passivũ. *Ubi activũ* est relatio extrinsecùs adveniens, fundata in re ubicante, seu locante v. g. in superficie aëris hujus aulæ, & terminata ad rem ubicatam, v. g. Platonem locatum sub superficie aëris hujus aulæ. *Passivum* est respectus extrinsecùs adveniens, subjectatus in re ubicata v. g. Platone locato in hac aula, & terminatus ad rem ubicantem v. g. ad superficiem aëris hujus aulæ ambientis. Utrumque dismembrari potest in naturale, violentum, & neutrum. *Ubi naturale* est relatio resultans inter rem ubicantem, & locum, ad quem res habet naturalem inclinationem ex natura sua, ut lapis projectus ad locum deorsum. *Violentum* est relatio consurgens inter rem ubicantem, & locum, ad quem res non habet inclinationem naturalem, ut lapis projectus ad locum sursum. *Neutrum* est relatio exurgens inter rem ubicantem, & locum, quem natura nec exigit, nec respicit; sed est indifferens, ut albedo ad esse in pariete, vel homine. Hæc rursus distribui possunt in varia Ubi sursum, deorsum, dextrorsum sinistrorsum &c.

9. Activum, passivũ, naturale, violentum, & neutrum.

10. Locale, & præsentiale.

Nota quintò: solet etiam ab AA. specialis divisio Ubi fieri in locale, & præsentiale. *Ubi locale* attenditur in ordine ad superficiem ambientem, quæ propriè est locus pro materiali, ut dicam *tom. 2. loc. cit.* & hoc est terminus per se motûs localis; quia hic motus quatenus talis fit in pleno. *Ubi præsentiale* attenditur in ordine ad diversas partes; non quidem formales; sed virtuales Divinæ Substantiæ, ubique diffusæ: cùm enim hæc sit virtualiter divisibilis; ideo habet virtutem terminandi diversas præsentias: dicitur autem *præsentiale*, & non locale; quia Divina substantia propriè non est locus corporum; cùm intimè illabatur omnibus: tale Ubi haberet Angelus, si poneretur

retur in spatio imaginario. Circa alterum prædicamentum Sitûs.

Nota sextò: *Situm* (qui alio nomine dicitur *Positio*) secundùm Scotum in *4. dist. 10. q. 1.* dupliciter posse considerari: *primò* ut dicit ordinem partium ad invicem, & in toto; & est quædam extensio ordinata partium alicujus totius, v. g. hominis; ut quòd caput ejus teneat eminentiorem locum super collum; & collum sit situatum super humeros; humeri verò super thoracem, & sic deinceps: & Situs in hac consideratione non pertinet ad hoc speciale prædicamentum, sed est differentia quantitatis: & eam habere possunt res, etsi non sint in loco; aut etsi sint in puncto tantùm; talem habet corpus Christi in quavis hostiæ minima parte. *Secundò* prout dicit ordinem partium totius ad partes loci alicujus, ut quod caput hominis v. g. correspondeat uni parti aëris ut loci ambientis ipsum, & non alteri; brachia pariter correspondeant partibus ejusdem aëris, quibus alia membra non correspondent, & sic deinceps: & de Situ in hac consideratione, quæ propria est, hìc agitur, quem Author *sex princip: cap. 6.* describit, quòd *sit positio partium in ordine ad locum.* Et Philosophus *5. Met. cap. 19.* quòd *sit dispositio partium in loco.* Ego

11. *Descriptio Sitûs.*

Dico primò: Situs ut specialem constituit Categoriam, rectè describitur, quòd *sit relatio extrinsecus adveniens inter partes rei locatæ, & partes loci, ad invicem speciali modo dispositas;* talis est inter partes corporis Ciceronis v. g. locati in loco curiæ Romanæ, ita ut sedeat, aut stet ibidem. Est ad principia Scoti *4. dist. 10. q. 1.* ubi sic describit Situm, *est coextensio partium ad partes loci.*

Probat. hæc descriptio convenit omni, & soli; habetque residuas conditiones rectæ descriptionis: Ergo &c. Ly *relatio* est genus: reliqua adaptantur pro differentia; per illas particulas *ad invicem speciali modo dispositas,* scilicet sub modo vel sessionis, vel ambulationis, vel cubationis, vel stationis &c. differt Situs ab Ubi; quod quidem dicit habitudinem totius circumscriptivi ad partes loci circumscribentis; sed præscindit à quovis modo se habendi in ipso loco, v. g. à modo stationis, vel sessionis, quem Plato haberet in suo loco. Situs verò importat specialem modum se habendi in loco, seu specialem dispositionem aliquam, secundùm quam dicatur Plato in loco aulæ stare, cubare, vel sedere; unde Situs modificat specialiter coexistentiam totius locati ad totū locum: & Ubi est fundamentū Sitûs: quæ doctrina, & discrimen Sitûs ab Ubi est bene notandum, contra plures RR. qui Ubi, & Situm faciunt unam Categoriam: cùm tamen Ubi invariatò interdum varietur Situs; quando v. g. homo in hoc loco cubiculi de sedente fit stans, mutando Situm priorem, scilicet sessionis in Situm Stationis, retentô primô Ubi ejusdem cubiculi.

12. *Ejus species.*

Ex dictis infertur: Situm omninò constituere specialem Categoriam; cujus species subalternæ erunt Situs innatus, seu naturalis; & accidentalis, seu acquisitus. *Situs naturalis* est, quem res sortiuntur ab authore naturæ, & à natura; talis est Situs elementorum, & cælorum. *Accidentalis*, seu *acquisitus* est, qui inest rei locatæ, & situatæ ab arte; talis est Situs hujus Ecclesiæ, Palatij &c. Utraque ista species subdividitur in Situm activum, & passivum. *Activus* est, qui fundatur in partibus loci, & terminatur ad partes corporis sic speciali modô situatis, seu locatis, puta cum modo sessionis, vel cubationis. *Passivus* verò est, qui fundatur vice versâ in partibus corporis sic situati, & terminatur ad partes loci. Uterque rursus partitur velut in species specialissimas in sessionem, stationem, cubationem &c.

Nota septimò Utriusque hujus prædicamenti proprietates sunt duæ: prima est *non habere contraria.* Secunda est *non suscipere magis & minus.*

QUÆSTIO V.

De Prædicamentis Habitûs; & Quando.

1. *Acceptiones Habitûs.*

Nota primò: hoc vocabulum *Habitus* variè sumi. *Primò* pro uno ex primis duobus modis qualitatis, quem explanavi suprà *dist. 6. q. 3. notab. 1.* *Secundò* capitur pro quolibet genere indumenti, quô corpus tegitur; v. g. pro tunica, indusio, thorace &c. *Tertiò* pro relatione consurgente inter rem vestitam, & vestem; & hæc est propria acceptio Habitûs, prout de eo hìc agitur.

Nomine *vestis* hìc venit non tantùm tegumentum hominis, v.g. tunica, calceus &c. sed quodcunque ornamentum, vel armatura artè confecta, quâ quis ornatur, vel armatur; ut annulus digiti, galea, lorica, gladius; unde gladiô præcinctus, galeatus, loricatus, annulô ornatus, seu annulatus, tunicatus, indusiatus, calceatus &c. hìc vestitus dicitur; & inter ipsum quà talem, & ejus vestes enumeratas dicitur intercedere relatio Habitûs. Habitum sic usurpatum describit Gilbertus Porret. *cap. 7. sui libelli de sex princip.* sequentibus verbis, *Habitus est corporum, & eorum quæ circa corpus sunt, adjacentia.* Ego

2. *Descriptio Habitûs.*

Dico primò: bene describitur Habitus, ut constituit speciale Prædicamentum, quòd *sit relatio extrinsecùs adveniens intercedens inter rem vestitam, & vestes, à quibus res dicitur vestiri.* Est ad principia Scoti *q. 36. prædicam.*

Probat. hæc descriptio ritè explicat naturam Habitûs, ut constituit speciale Prædicamentum: Ergo &c. Ly *Relatio* est genus; reliqua ponuntur pro differentia, & patet ex *notab. præmisso* explicativo vestis, & vestiti.

3. *Habitus facit verum prædicamentum.*

Dico secundò: Habitus constituit verum prædicamentū distinctum ab alijs. Ita Scotus *cit.* & communis Scotistarum.

Probat. prima pars: Tum quia Philosophus, & Porretanus Habitum ponunt verum Prædicamentum, & unum ex decem Categorijs: Ergo &c. Tum quia Habitus est verum genus generalissimum, continens sub se veras species, de quibus est in quid prædicabile; nam prædicatur de Habitu activo, & passivo, de Habitu totius, & Habitu partis; de esse tunicato, loricato &c. Ergo Habitus constituit verum Prædicamentum.

4. *Ab alijs distinctum.*

Probat. secunda pars: Habitus habet species subalternas, & infimas, differentes à speciebus aliorum Prædicamentorum, scilicet Habitum activum, & passivum, & alios mox enumeratos, ordinatos prædicamentaliter, id est secundùm rationes superioris, inferioris in linea prædicamentali: Ergo est Prædicamentum distinctum ab alijs Categorijs.

Ad hoc referūtur omnes uniones.

Nota secundò: ad Prædicamentum Habitûs arbitratur Mastrius, & Bassolius spectare omnes uniones accidentales subjecti ad quamcunq; formam; imo & substantiales materiæ ad formam substantialem quamcunque etiam inanimatam: cùm alia congruentior Categoria pro ipsis assignari non possit: non enim tales uniones videntur posse reduci ad Prædicamentum Substantiæ, cùm sint puræ relationes; non ad Prædicamentum Relationum intrinsecùs advenientium; quia uniones non exurgunt illicò, ac ponuntur ejus extrema: nec ad Prædicamentum Actionis; quia unio non est actio; transactâ enim actione remanet unio, v.g. transacta actione generativâ remanet compositum generatum; & consequenter unio partium ejusdem: neque ad Prædicamentum Passionis; nam transactâ etiam Passione, adhuc remaneat unio: nec ad Prædicamentum Ubi; cùm unio aliquid ampliùs importet, quàm solam ubicationem, seu præsentialitatem; unde etsi Angelus sit intimè præsens huic homini, quem custodit; tamen non habet unionem cum illo: nec ad Prædicamentum Sitûs; quia Situs est corporum; Habitus autem etiam reperiri potest in rebus, quæ non sunt corpora: Adeòque relinquitur quòd Uniones omnes ordinentur in ista Categoria Habitûs.

6. *Species Habitûs.*

Nota tertiò: species Habitûs pro Construenda Categoria esse sequentes primo Habitus activus, & passivus sunt species subalternæ primæ Habitûs. *Habitus activus* est relatio extrinsecùs adveniens, subjectata in veste, id est ornamento, vestimēto, armatura &c. v.g. calceo, gladio &c. & terminata ad corpus vestitum, id est ornatum, indutum calceô, armatum gladiô &c. *Passivus* è contra est relatio extrinsecùs adveniens, fundata in vestito, ornato &c. & terminata ad vestes. Uterque iste Habitus habet sub se rursus duas species subalternas, Habitum scilicet totius, & Habitum partis: *Habitûs totius* est relatio respiciens totum corpus, seu totam rem vestitam, & totam vestem; talis est relatio respiciens tunicam, totum corpus tegentem seu esse tunicatum. *Habitûs partis* est relatio quæ respicit partem corporis duntaxat vestitam, & ejus vestem; talis est esse calceatum, chyrotecatum. Habitus deinde uterque partitur ulteriùs variè juxta varietatem vestium, ornamentorum, armaturarum &c. quare alius est Habitus esse tunicatum, alius esse loricatum; esse gladiatum; esse annulô, vel monili, vel gemmis ornatum, esse calceô indutum, esse chyrothecâ indutum &c. similiter in ipsa specie vestis ut indumenti corporei, alius est Habitus re-

respiciens varias personas Religiosas, & eorum varios vestes; ut habitus respiciens Franciscanos, eorum vestitum cinericeum grossum; item Habitus Dominicanus, & eorum vestes regulares consvetas &c. Alius respiciens personas sæculares, & varias sortes, ac modos vestimentorum eorundem; qui duo Habitus Religiosus, & sæcularis erunt species specialissimæ hujus Categoriæ.

7. Quibus rebus conveniat Habitus.

Nota quartò: Etsi principaliter, & propriè ratio Habitûs, ut dicit relationem ornamenti, conveniat solis rebus animatis, ut hominibus, & animalibus artificiatè indutis, & ornatis, ut observat Scotus *1. dist. 13. q. 2.* attamen ut subjungit idem Doctor *cit. loc.* secundariò, & minùs propriè etiam convenire potest rebus inanimatis; unde arbores floribus, foliisque tectæ, item Palatia peristromatibus exornata, & templa varijs picturis atque tapetibus ornata, dici possunt esse vestita, induta, & habituata. Circa Prædicamentum Quando.

8. Usurpationes Quando.

Nota quintò: hoc vocabulū *Quando* dupliciter posse usurpari. *Primo* pro voce interrogativa, & inquisitiva temporis; ut Quando coronabitur Cæsar? cui respondetur per aliquam differentiam temporis futuri, v. g. coronabitur postridie. *Secundò* capitur pro eo, quod significat tempus v. g. horam, diem, mensem, annum, lustrum &c. & hæc est acceptio Quando propria, ac ad propositum: & importat relationem temporis ad rem temporalem, quæ fit in eodem, vel è converso rei temporalis ad tempus, v. g. esse in hora, esse in mense, in lustro &c. Quando in ista usurpatione describitur à Gilberto Porretano *cap. 4. sui libelli, Quando est, quod ex adjacentia temporis in re temporanea derelinquitur.* Sed hæc descriptio convenit soli Quando activo; non verò passivo. Unde universaliùs.

9. Quando describitur.

Dico tertiò: aptè describitur Quando, ut constituit speciale Prædicamentum, *est relatio extrinsecùs adveniens, intercedens inter tempus, & rem temporalem.* Est ad principia Scoti. Et

Probat. hæc descriptio convenit omni, & soli Quando. Ergo &c. Ly *relatio* est genus: reliqua statuuntur pro differentia: & patet ex *notab. 5. præmisso.*

10. Facit specialē Categoriam.

Dico quartò: Quando constituit verum Prædicamentum, ab alijs novem Aristotelicis distinctum. Ita colligitur ex Scoto *2. dist. 2. q. 2.* Et *1. dist. 8. q. 3.* ubi aliquas, etsi paucas concedat species Prædicamenti Quando; & sequuntur Montursius, Columb. Ant. Andreas, Tartar. &c.

Probat. prima pars: Quando est quoddam supremum genus; & sub eo ordinatur varia species, est insuper prædicabile de eis in quid, sicut aliæ Categoriæ ordinantur per species; & prædicantur in quid de suis speciebus: Ergo Quando est verum prædicamentum. Probat. Ant. Quando non habet supra se aliquod aliud genus prædicamentale assignabile; & ejus species sunt Quando activum, & passivum; divisibile, & indivisibile, &c. ut dicetur infrà; & de his verè enunciatur quidditativè, nam quidditativa est prædicatio ista, *Quando activum est verum Quando*; & ista *Quando divisibile est verum Quando &c.* Ergo &c.

11. Distinctio ab aliis.

Probat. secunda pars: genus, species, & individua in linea prædicamentali hujus Categoriæ dispositæ, atque ordinatæ sunt distincta â genere, speciebus, & individuis aliarum Categoriarum: ut patet de Quando divisibili, indivisibili activo, passivo, hora, lustro, mense &c. Ergo Prædicamentum Quando est distinctum â reliquis novem Prædicamentis.

12. Est relatio.

Dico quintò: Quando non est mera denominatio extrinseca, desumpta â tempore, cui res coexistit; sed est relatio extrinsecùs adveniens, suprà *concl. 3.* explicata. Ita colligitur ex Scoto *1. dist. 8. q. 3.* ubi concedit Quando species: adeoque censet, quòd sit plus quàm denominatio extrinseca. Et *2. dist, 2. q. 2.* & sequuntur Joan. de Magistris, Tartar. Columb. Ant. Andre. Monturs. & cohærent Thomistæ; contra P. Mastr. & Bellut. Ruv. & Conimbricenses.

Probat. Tum quia Philosophus, & Porretanus sex ultima Prædicamenta ponunt esse entia realia positiva Relativa, subjectivè in rebus existentia à parte rei; Ergo non sunt denominationes aliquæ extrinsecæ. Tum quia hoc Prædicamentum est congeries quædam generum, specierum, & individuorum primò intentionaliter sumptorum: Ergo non est pura denominatio extrinseca. Tum quia tempus, ut dicam *tom. 2. Scholæ Philosoph. tract. 1. dist. 16. q. 1. concl. 2.* non est pu-

ra

ta denominatio extrinseca: Ergo nec Quando, quod est esse in tempore.

13. Species Quando.

Nota quintò: species pro construenda hac Categoria assignari sequentes: primò Quando divisibile, & indivisibile. *Quando divisibile* est relatio temporis divisibilis ad rem temporalem; vel è converso; talis est respectus mensis, vel lustri ad Platonem, durantem per mensem, vel per lustrum. *Quando indivisibile* est relatio instantis indivisibilis temporis ad rem instantaneam; vel è converso; talis est respectus instantis A. ad fulgurationem, quæ uno instanti tantùm durat. Utraque ista species subalterna partitur in Quando activum, & passivum. *Quando activum* est relatio subjectata in tempore, & terminata ad rem temporalem in tempore durantem. *Passivum* est è contra ille respectus, qui fundatur in re temporali, & terminatur ad tempus. Utrumque rursus varium est juxta temporis differentiam, præsentis scilicet præteriti; & futuri; item horæ, diei, mensis, anni, lustri &c. quæ sunt species infimæ; individua verò sunt hæc hora, hæc dies, hic annus &c.

14. Quid veniat hic nomine Temporis.

Nota sextò: per *tempus* hic potissimè intelligitur tempus universale, quod est motus Primi Mobilis; qui cùm sit regulatissimus, & ordinatissimus, mensurat durationem omnium rerum, quæ ipsi subsunt, & coexistunt eidem motui, & dicitur tempus extrinsecum. Secundariò verò intelligitur etiam tempus particulare motûs horologij, quod in conformitate Primi Mobilis mensurat quoque extrinsecè per quadrantes, & horas durationes rerum coexistentium illi.

DISTINCTIO IX.

De Postprædicamentis.

PROOEMIUN.

Philosophus post explanatam doctrinam de decem Prædicamentis, subjungit tractationem de Postprædicamentis, scilicet de modis oppositionis; de modis prioris, & posterioris; de modis simul; de motu; & modis habere; quæ Postprædicamenta sunt quædam documenta magis explicativa Prædicamentorum: nam sæpe fecerat mentionem de contrarietate, seu oppositione, prioritate & posterioritate &c. ad quæ proinde meliùs intelligenda subjunxit hæc Postprædicamenta, quæ ego in hac distinctione elucidabo. Unde sit

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Quid; & quotuplex sit Oppositio?

1. Quid oppositio complexa, & incomplexa.

NOta primò: Oppositio generalissimè sumpta est *repugnãtia duorum*, seu *incompossibilitas duorum*: & alia est complexa, alia incomplexa. *Complexa* est repugnantia duarum propositionum, affirmativæ scilicet, & negativæ, habentium idem prædicatum, & idem subjectum; sed diversam vel qualitatem, vel quantitatem dialecticam; de hac, ejusque speciebus satis dictum est in *Dialect. disp. 2. q. 4. Incomplexa* est repugnantia, & incompossibilitas duarum rerum, quæ non se compatiuntur in eodem subjecto; & de hac procedet ista quæstio postprædicamentalis; talis Oppositio est inter Platonem producentem, & filium productum; inter causantem, & causatum. Oppositio ponitur communiter esse quædam relatio.

2. Descriptio Oppositionis incomplexæ.

Dico primò: bene describitur Oppositio incomplexa ut sic *est repugnantia duorum se se mutuò excludentium ab eodem subjecto*. Hæc depromitur ex Philosopho *5. Met.*

Probat. Hæc descriptio rectè exprimit naturam Oppositionis incomplexæ ut sic: Ergo &c. Ly *repugnantia* est genus; reliqua collocantur pro differentia. Dicitur *duorum*; nam Oppositio non potest esse nisi inter duo, quæ si sint ambo realia erit Oppositio realis; si unum tantùm reale, aliud verò non; tunc erit secundùm quid tantùm realis; si extrema sint tantum formalitates, Oppositio erit relatio quædam transcendentalis; si sint prædicamentalia, erit relatio prædicamentalis. Additur *se se mutuò excludentium ab eodem subjecto*; nam illæ res, quæ habent Oppositionem, sunt incompossibiles in eodem subjecto, v.g. calor, & frigus in eadem aqua. Et intelligitur nomine subjecti hic non tantùm subjectum inhæsionis, quale est aqua v.g. respectu accidentium albedinis, nigredinis &c. Aliàs formæ substantiales, negationes &c. non opponerentur; cùm non habeant subjectum inhæsionis, & tamen istiusmodi res reverà opponuntur: intelligitur ergo nomine subjecti omne id, quod natum est respicere aliud quomodocunque.

3. Oppositio alia est positiva, alia privativa.

Nota secundò: Oppositio sic descripta primò dividitur in positivam, & privativam, seu negativam. *Positiva* est, cujus utrumque extremum est positivum; talis est inter calorem, & frigus; item inter albedinem, & nigredinem &c. *Privativa* est, cujus alterum extremum est privativum; talis est inter calorem, & ejus negationem.

4. Alia relativa, alia contraria, alia privativa, alia contradictoria.

Nota tertiò: Philosophus verò *5. Met. cap. 10. text. 16.* quadruplicem assignat Oppositionem, scilicet relativam contrariam, privativam, & contradictoriam: cujus rationem affert Scotus *5. Met. in com. text. 15.* quia Opposita vel se mutuò ponunt, seque mutuò perimunt; & tunc inter ea resultat *Oppositio relativa*; talis est inter patrem ut patrem, & filium: aut expellunt se ab eodem subjecto, & consurgit inter ea Oppositio *contraria*; talis est inter calorem, & frigus respectu ejusdem manûs: aut unum designat carentiam alienius formæ existentis in eodem subjecto; & consurgit Oppositio *privativa*; talis est inter lucem, & tenebras: vel unum dicit negationem alterius; & habetur *contradictoria*; talis est inter esse rationalem, & non esse rationalem.

5. Rursus his addenda est oppositio disparata.

Nota quartò: Doctor Subtilis *1. dist. 11. q. 2.* ait, hanc divisionem non esse sufficientem; cùm non evacuet totum divisum, seu Oppositionem in communi: unde dicit ei addendum esse quintũ membrum, scilicet Oppositionem disparatam; quæ est inter aliqua duo, quæ vel habent rationes formales diversas, vel subjectationem diversam, & nullô dictorum 4. modorum opponuntur; talis est inter albedinem, & dulcedinem, habentes rationes formales disparatas, seu quarum una non est ratio formalis alterius; item inter duas relationes disparatas similitudinis v. g. & æqualitatis, vel filiationis, & Spirationis passivæ in Divinis; hæ non opponuntur imprimis oppositione relativâ; quia non dicunt mutuam respicientiam; nec mutuò se ponunt, & destruunt; sed manent simul in eodem subjecto; sic albedo, & dulcedo manent in eodem lacte; & similitudo ac æqualitas manent in eadem quan-

quantitate alba palmari, comparata ad aliã quantitatem albam palmarẽ, ubi consurgit relatio similitudinis ratione albedinum, & relatio æqualitatis ratione palmaris extensionis: nec opponuntur Oppositione contrariâ; cùm nõ excludant se ab eodem subjecto; sed maneant simul, ut mox dixi: nec opponuntur oppositione privativâ; aut contradictoriâ quia alterum extremum eorum non est aliqua privatio, vel negatio: Ergo relinquitur, quòd opponantur quintâ aliquâ specie oppositionis, scilicet disparatæ.

6. Disparata oppositio alia est formalis alia substantiva.

Nota quinto: Ex Scoto *loc. cit.* est duplex Oppositio, disparata scilicet formalis, & substantiva. *Formalis* est inter illa, quæ repugnant ad invicem ob rationes formales in identitate formali, quando scilicet ratio formalis unius, non est ratio formalis alterius; talis est inter albedinem, & dulcedinem, quæ etsi possit esse simul in tertio, scilicet in saccaro; opponuntur tamen sibi invicem ob suas rationes formales diversas: horum repugnantia semper est in ordine ad se invicem. *Substantiva* est inter illa, quæ repugnant esse in eodem subjecto, vel supposito; talis est inter duas formas substantiales v. g. duas animas, quæ in ratione formali quidem conveniunt; sed in eodem subjecto simul esse nequeunt; cùm una naturaliter expleat ejus capacitatem naturalem; talis etiam est inter duas relationes constitutivas Divinas, v. g. Filialionem, & Spirationem passivam, quæ non sunt compossibiles in uno eodemque supposito Divino; sed necessariò causant distinctionem realem suppositorum. Horum repugnantia est in ordine ad subjectum.

7. Res repugnant vel formaliter vel virtualiter.

Nota sextò: Secundùm Scotum *4. dist. 49, q. 16.* Res aliquas sibi opponi, & repugnari quandoque formaliter; quandoque virtualiter, seu effectivè. *Formaliter* sibi opponuntur, quando sibi repugnant secundùm se, & effectus suos formales; taliter sibi opponuntur calor, & frigus; nam ratio, & effectum unius excludit actu rationem, & effectum alterius; ut effectus frigoris, qui est actu frigefacere, excludit effectum caloris, qui est actu calefacere. *Virtualiter*, seu effectivè sibi dicuntur opponi illa, quorum unum potest producere effectum contrariũ alteri; hôc modô sol opponitur cum frigore; quia potest producere calorem sibi contrarium.

QUÆSTIO II.

Expenduntur in particulari omnes species Oppositionis.

1. Descriptio Oppositionis relativæ.

Nota primò: prima species Oppositionis est eorum, quæ repugnãt *Relativè*. Oppositio Relativa sic bene potest describi, *est repugnantia duarum correlationum respectu ejusdem mutuò se expellentium ab eodem subjecto*: talis est inter patrem, & filium; nam idem subjectum v. g. Plato nequit simul esse affectus paternitate Socratis, & filiatione Socratis tali paternitati immediatè correspondenti, & mutuò eam respicienti, aliàs esset pater Socratis, & non esset pater Socratis, tanquam termini; quod implicat. Dixi respectu *ejusdem termini*; quia respectu diversorum terminorum non repugnant in eodem subjecto plures relationes paternitatis, & filiationis; nam Plato, qui hodie est per relationem paternitatis pater Socratis à se geniti, est etiam per relationem filiationis filius Plauti, à quo ipsemet est genitus. Extrema hujus Oppositionis sunt Relativa mutua, seu correlativa, ut affecta relationibus mutuis, seu correlationibus incompossibilibus; & dicuntur *Opposita Relativa*.

2. Et contraria.

Nota secundò: secunda species Oppositionis est eorùm, qui *contrariè* opponuntur. Contraria autem Oppositio describitur, quòd *sit repugnantia duarum formarum positivarum absolutarum in eodem subjecto*; talis est inter calorem, & frigus, item inter habitum virtutis, & habitum vitij; item inter duas formas substantiales, v. g. animam rationalem, & leoninam, quæ sunt incomponibiles in eadem materia; definit autem Philosophus *10. Met. text. 14.* extrema hujus Oppositionis, scilicet contraria sic; *contraria sunt, quæ sub eodem genere posita, maximè à se invicem distant, seq. mutuò ab eodem subjecto expellunt.* Evolvo breviter singulas particulas; per Iv *sub eodem genere posita*, intelligit non tantùm genus physicum, quale est materia prima; sed etiam logicum, quale est accidens ut

sic

sic v. g. in quo color, & frigus conveniunt; tam proximum, quale est color v. g. quod participant v. g. albedo, & nigredo ut duo contraria; quàm remotum, quale est *v. gr* Habitus respectu vitij, & virtutis: vult ergo Philosophus, quòd contraria seu contrariè opposita debeant esse ejusdem prædicamenti, seu generis prædicamentalis. Et per hoc differunt contraria Opposita ab Oppositis privativis, & contradictorijs, quæ per se, & directè non ponuntur in aliquo genere, seu prædicamento ob negationem, & privationem alterius eorum; sed reductivè tantùm in illo prædicamento, cujus res prædicamentales afficiunt illa negatio, & privatio: per idem videntur differre etiam ab Oppositis disparatis, quæ necessariò non debent esse sub eodem genere; ut patet de quantitate, qualitate, ac alijs disparatis. Per ly *maximè à se invicem distant* non intelligitur, quòd maximè disconveniant; quia licèt lapis, & nigrum magis disconveniant, quam album, & nigrum; tamen homo, & nigrum non dicuntur contraria: intelligitur ergo per illas particulas incompossibilitas naturalis duorum absolutorum in eodem subjecto; ut notat Scotus *1. dist. 7. q. un.* v. g. albi, & nigri in eodem corvo: oritur autem ista incompassibilitas, seu maxima distantia ex nativa antipathia eorum; eò quòd unum vel producat effectum contrarium alteri, vel habeat rationem formalem, seu effectum formalem incompossibilem cum altero; ut dixi suprà *not. 6.* Oritur etiam quandóque ex Divino Decreto, quô DEUS statuit, se hanc formam nolle conservare cum altera introducta in genere causæ moralis; hôc modô est incompossibilis gratia sanctificans cum forma peccati mortalis. Per illas tandem particulas *seq. mutuò ab eodem subjecto expellunt* intelligitur tam expulsio actualis, quàm aptitudinalis, quando videlicet res ipsæ non sunt natæ esse simul in eodem subjecto: item quando expulsio est actualis, non est necesse ut semper fit violentia, qualis est in calefactione expulsiva frigoris ex aqua; sed sufficit simplex cessio; ut Titelm. exemplificat de coloribus, odoribus, & saporibus contrarijs, se se pellentibus ab eodem subjecto.

3. *Quid contraria mediata, & immediata.*

Nota tertiò: Scotum *q. 38. prædicament.* ponere duplicem classem Contrariorum, inter quæ ut opposita versatur hæc species secunda Oppositionis: alia enim sunt mediata, alia immediata. Contraria mediata sunt, quæ habent medium, & quorum alterum non necessariò inest subjecto capaci; talia sunt calor, & frigus; quia inter hæc mediat tepiditas seu tepor; & subjectum eorum v. g aqua non necessariò debet esse calida, vel frigida; sed potest esse tepida. *Immediata* sunt, quæ non habent aliquod medium, & unum eorum necessariò inest subjecto capaci; talia secundùm Philosophum sunt sanitas, & ægritudo respectu hominis; qui aut est sanus, aut est æger: sed Galenus inficiatur hoc exemplum *lib. de spermate*; nam inquit convalescentia mediat inter hæc duo: Galeno in hoc ut magis experto adstipulatur Scotus *3. dist: 4. q. un.* quare exactius exemplum horum contrariorum assignari potest numerus par, & impar; nam non potest dari aliquis numerus, qui non sit par, vel impar; unde paritas, & imparitas censeri debent contraria imediata.

4. *Quid cõtraria per participatione extremorũ, & per abnegationẽ extremorum.*

Nota quartò: Contraria mediata partiuntur ulteriùs in mediata per participationem extremorum; & mediata per abnegationem extremorum. *Prima* sunt, quæ participant aliquid utriusque extremi, quod potest fieri vel per veram mixtionem cum permanentia entitatum utriusque extremi; sic tepidum participat calorem, & frigus, & dicitur mediatum contrarium per participationem: vel per quamdam naturalem convenientiam cum extremis, non quod medium componatur ex extremis, tanquam ex suis partibus; cùm medium sit ita simplex, sicut extrema; sed quia medium magis convenit cum extremis, quàm extrema inter se; exemplum est in coloribus medijs; ubi rubedo est qualitas media inter albedinem, & nigredinem, & convenit magis cum albedine, & nigredine; quàm albedo, & nigredo inter se; quæ doctrina fundatur in Scoto *1. dist. 7. q. un.* hôc modô etiam liberalitas est media inter avaritiam & prodigalitatem. *Secunda* sunt, quando nihil de extremis participant; talia sunt amicus, & inimicus; inter quæ mediat non amicus: item temperans, & intemperans, inter quæ mediat infans non temperans.

5. *Mediata unius, & plurium mediorum.*

Nota quintò ex eodem Doctore *q. 38. prædicament.* inter Contraria mediata quædam reperiri, quæ plura habent media; sic inter album, & nigrum sunt media, rubrum, flavum, pallidum &c.

Rr quæ-

quædam verò habent unicum duntaxat medium; sic inter callidum, & frigidum mediat solum tepidum. Præterea extant media quædam quæ pollent proprijs nominibus impositis ab homine; cujusmodi sunt prærecensiti colores medij: quædam verò non gaudent propriò nomine; sed ea circumloquimur; tale est inter amicum, & inimicum, esse non amicum; & inter justum, & injustum est esse non justum, & alia similia, quæ à Scoto dicuntur neutra, & indifferentia.

6. *Descriptio privativa opposi tionis.*

Nota sextò: tertia species Oppositionis est eorum, quæ *privativè* opponuntur. Describitur autem privativa Oppositio, quòd *sit repugnantia, quæ reperitur inter privationem, & formam quâ privat;* talis est inter visum, & privationem visûs, seu cæcitatem; quia non potest subjectum aliquod habere formam, & carentiam formæ simul. Extrema hujus Oppositionis, scilicet Opposita privativa definiri possunt ad mentem Philosophi *cap. de oppositis*, sic *sunt illa quorum unum est privatio alterius, & alterum est Habitus, seu forma, & habent fieri circa idem subjectum tempore à natura determinatô.* Ex hac descriptione, quæ ex se clara est, sequitur visum, & surditatem in homine non opponi privativè; quia unum non est privatio alterius, nec habent fieri circa idem subjectum: similiter auditus, & negatio auditûs in ligno aliquo non opponuntur privativè; quia licet unum dicat alterius carentiam non tamen habent fieri circa idem subjectum, id est non respiciunt idem commune subjectum, quòd sit capax utriusque. Item visio, & ejus negatio in catulo ante nonum diem non opponuntur privativè; quia tametsi subjectum sit ex se capax; non adest tamen tempus determinatum à natura; quia ante nonum diem non debetur secundùm cursum naturæ visio catulo.

7. *Conditiones oppositorum privativa.*

Ex dictis infertur primò cum Scoto *4. dist. 28. q. 2.* ad esse aliqua privativa opposita requiri tres conditiones: *prima* est ut sint circa idem subjectum: *Secunda* ut subjectum sit utriusque capax: *Tertia* & quidem in tempore à natura determinatô. Infertur secundò, contradictoria à privativè oppositis differre connotatô, scilicet subjectô aptô. Tertiò inter privativè Opposita dari posse medium, scilicet in subjectô nô apto; ut habet Doctor *2. dist. 41.* de quo nentrum affirmari possit, sic v. g. lignû nec est surdum, nec audiens,

Nota septimò pro exactiori cognitione privatorum: privationem (à qua Opposita privativa denominantur) distingvi à negatione; nam minùs latè patet, quàm negatio; omnis enim privatio est quædam negatio; non tamen è contra omnis negatio est privatio. Rursus datur negatio extra genus, & intra genus; non sic privatio. Est autem *Negatio extra genus* illa, quæ omnem negat entitatem, nihilque positivi prorsus ponit; potestq; prædicari tam de ente, quàm non ente; unde & negatio extra genus nominatur, & nullum ponit subjectum; talis est non ens; & non homo *Negatio intra genus*, est quæ aliquid ponit in illo, in quo fundatur: dicitur negatio in genere; quia intrà metas alicujus generis aliquid negat; v. g. cæcitas negat visum intra genus animalis, unde hæc negatio postulat aliquod subjectû. Privatio verò datur intra genus tantû, & postulat semper subjectum aptum; sicque definitur rectè à Scoto *1. dist. 5. q. 2. est carentia formæ in subjecto apto nato.* De hac circumfertur commune dictum Philosophi, & aliorum, quod *à privatione ad habitum non datur regressus:* quod non verificatur universaliter; ut bene observat Scotus *4. dist 40. §. 3.* cùm non videns hac die, v. g. fiat videns alterâ die; & aër tenebrosus hâc horâ, fiat lucidus sequenti horâ. Itaque verificatur tantùm in ordine generationis naturalis; ubi post privationem non datur regressus ad habitum, seu non redit habitus, si natura ordinatè procedat; quia ibi non redit forma immediatè præcedens illum habitum secundum ordinem generationis; ex eo, quòd dari debeant aliquæ generationes, quæ ordinatim multas alias formas prærequirunt; sic v. g. quando corrumpitur caro ex sangvine generata, non potest de novo forma carnis immediatè redire; quia neque forma sangvinis redit, quæ immediatè præcesserat ad carnem; sed necessariò debet fieri resolutio usque ad materiam primam; & deinde rursus per varias formas prærequisitas quasi per quosdâ gradus varijs intermedijs generationibus oportet ascendere ad formâ carnis finaliter reintroducendam. Vide plura de privatione *tom. 2. Schol. Philosoph. tract. 1. dist. 4. q. 1.* & sequentibus per totum.

8. *Varia circa opposita privativè.*

9. *Descriptio oppositionis contradictoria.*

Nota octavò quartam speciem Oppositionis esse eorum, quæ *contradictoriè* opponuntur. Rectè autem describitur Oppositio contradictoria, quòd *sit repugnan-*

guantia, quæ reperitur inter formam, & ejus negationem; talis est inter hominem, & non hominem. Opposita contradictoria, quæ sunt extrema hujus Oppositionis nullum admittunt medium juxta Aristotelem *1. Post. c. 2.* & Scotum ibidem & *q. 39. prædicamentali*; nam inter esse hominem, & non esse hominem non apparet quid mediet. Deinde illud medium vel esset per participationem extremorum, vel per abnegationem utriusque extremi: sed neutrô modô potest esse medium: Ergo &c. Prob. Min. non primô; quia nullum positivum componitur propriè ex ente, & non ente; unum autem extremorum est ens, & alterum non ens: Ergo nullum potest inter Opposita contradictoria statui medium per participationem extremorum. Non etiam secundô; quia contradictio absorbet omnia, ita ut necesse sit omnem rem esse ens, vel non ens: Ergo nequit dari inter contradictoriè opposita aliquod medium per abnegationem horum extremorum, esse ens, & non ens.

10. *Quis ordo inter oppositiones 4.*

Nota nonô: Oppositio contradictoria censetur esse omnium maxima; cùm ex mox dictis nullum admittat medium: & quia nec de absoluta potentia reconciliari potest; nam DEUS efficere nequit, ut homo sit homo, & simul non homo: item quia eadem oppositio in omnibus tam supremis, quàm infimis, & medijs reponitur; nam effici potest circa suprema scilicet DEUM sic; *DEUS non DEUS*; circa infima sic; *terra non terra*; circa media sic; *aër non aër*: Oppositio verò privativa, & contraria non possunt effici circa suprema scilicet DEUM. Post hanc sequitur Oppositio privativa; non verò contraria; magis enim repugnant affirmatio, & negatio in subjecto apto, quas præseferunt Opposita privativa, quàm duæ affirmationes, & duæ positiones, quas præseferunt Opposita contraria, & relativa. Post Privativam sequitur Contraria, non verò relativa; quia duo contraria nec respectu ejusdem, nec respectu diversorum naturaliter possunt esse simul in eodem subjecto; relativa autem possunt respectu diversorum; nam idem homo dici potest pater, & filius respectu diversorum terminorum. Tandem sequitur minima Oppositio scilicet relativa.

Circa quintam speciem Oppositionis disparatorum judico satis dictum esse suprà *quæst. 1. not. 4. & 5.*

QUÆSTIO III.
De Modis Prioris; & Posterioris.

1. *Quinque modi prioritatis eorumque assignantur.*

Nota primò: Philosophus *5. Met.* & hìc *capit. 11.* quinque assignat Modos: (& totidem supponit esse Modos oppositos Posterioris) quibus aliquid potest dici alterô prius; scilicet prius tempore, prius naturâ, prius ordine, prius honore, & prius causâ, & exprimuntur vulgatis illis versibus.

Tempore, naturâ, prius ordine, dici & honore,
Et causa effectu dicitur esse prior.

Etsi autem ex eodem Philosopho, & aliunde constet, mutuò plures dari Modos Prioris, & Posterioris, ut dicam infrà; attamen præfati quinque ex professo, & principaliter *loc. cit.* recensentur, ac eventilantur; cùm potissimè inserviat, & sufficiat eorum notitia ad cognoscendum, quomodo Prædicamenta se habeant ad invicem; & similiter ea quæ ponuntur in uno, & pluribus Prædicamentis, quem ordinem servare teneantur: v. g. quòd substantia sit prior tempore, naturâ, ordine, dignitate, & causalitate alijs novem Prædicamentis; ut habet Philosophus *7. Met. tex. 4.* Item quòd quodlibet superius sit prius naturâ suis inferioribus, & genus speciebus; quòd substantia sit honorabilior accidentibus, & eorū causa &c.

2. *Quid prioritas temporis.*

Nota secundò circa *prioritatem temporis*: eam in hoc consistere, quòd una res prædicamentalis aliam præcedat temporali duratione; v. g. quòd Plato præcedat Aristotelem; & pater filium à se genitum præcedat secundùm entitatem physicam, quâ pluribus annis priùs duraverit, quàm filium genuerit.

3. *Naturæ.*

Nota tertiò: circa *prioritatem naturæ*: eam esse duplicem secundùm Scotum *2. dist. 1. q. 2.* privativam scilicet, & positivam. *Privativâ prioritate naturæ* aliquid dicitur esse priùs, quod secundùm se non convenit alicui secundùm suam entitatem in aliquo priori; conveniret tamen, nisi impediretur; hôc modô privatio in materia dicitur esse prius naturâ, quàm forma introducenda; quia ma-

materia intelligitur priùs esse sub privatione, quàm sub forma & ipsi inesset; nisi ab aliquo agente impediretur. *Positivâ prioritate naturæ* dicitur aliquid esse priùs, quando ejus entitas intelligitur priùs inesse alicui positivè, quàm entitas alterius, quod dicitur posterius; hôc modô in homine dicitur animal esse prius naturâ rationali; & in aliquo composito substantia dicitur esse prior naturâ accidentibus. Positiva ex Scoto *1. dist. 7. q. un.* rursus alia dicitur inconvertibilitatis seu consequentiæ, alia causalitatis. *Prioritas inconvertibilitatis* est inter illa, in quibus non convertitur subsistendi consequentia; quare si unum sit talis naturæ, ut ab ipso non valeat consequentia ad alterum, dicetur esse prius alterô naturâ prioritate inconvertibilitatis; ita animal dicitur prius homine; nam non valet arguere sic, *animal est: Ergo homo est.* *Prioritas causalitatis* est inter causam, & effectum; & hoc vel inter causam, & effectum physicum, ubi causæ physicæ entitas præexigitur ad effectum, & est eô prior; talis est inter calorem, & ignem; vel inter causam, & effectum metaphysicum; qualis est inter subjectum seu essentiam, & ejus passiones; ubi subjectum seu essentia est prior passionibus. Prioritas causalitatis ab alijs vocatur *prioritas naturalis præsuppositionis:* ambæ etiam vocantur ab alijs *instantia*, & *signa naturæ*, seu *instantia in quibus non.*

4. Ordinis. Nota quartò: circa *prioritatem ordinis*: eam in hoc consistere, quòd unum debeat priùs ordinari, & collocari in aliquo ordine, quàm alterum, sive sit priùs tempore, sive non; hôc modô in Oratione Rhetorica priùs ordinari debet Exordium, quàm Propositio, Confirmatio, & Epilogus, & in facultate Phylosophica addiscenda priùs debent tradi Dialectica Sumulistica, quàm Logica, & Physica.

5. Honoris. Nota quintò circa *Proprietatem honoris*: eam consistere in dignitate majori unius præ alio: hac ratione honore est prior Papa Cardinalibus, & Provincialis Guardianis, & aurum est dignius ferrô: hoc sensu etiam DEUS dicitur prior creaturâ, substantia accidente, subditus Prælatô: hæc prioritas est valde impropria, & & pendet ex hominum apprehensione, ac impositione morali.

6. Et causæ. Nota sextò circa *proprietatem causæ*, eam consistere in hoc, quòd una res alia sit prior causatione, quatenus illam aliam causat; etsi aliàs simul tempore existant; ut sol & ejus illuminatio primæva; Conformiter ad explicatos quinque Modos Prioritatis, statui possunt quinque Modi posterioritatis, seu Posterioris, qui per oppositum debent explicari.

7. Alij Modi prioritatis afferuntur. Nota septimò: prærecensitis quinq; Modis Aristotelicis Prioris addi possunt sequentes pro intellectu variorum dictorum in Philosophia, & Theologia. Primò *prioritas cognoscibilitatis;* hâc dicitur una res prior alterâ, quia priùs cognosci, & concipi potest, quàm altera; sic priùs sensibilia, & singularia cognoscuntur, quàm insensibilia, & universalia & priùs absoluta, quàm relativa in eis fundata. Secundò *prioritas secundùm quantitatem;* hâc substantia redditur priùs quanta, quàm qualis. Tertiò *prioritas secundùm quidditatem, seu substantiam;* hâc dicitur homo priùs habere prædicata essentialia constitutiva naturæ; quàm alia posteriùs eidem advenientia. Quartò *prioritas secundum rationem;* hâc ly *homo* in ista propositione *homo est homo* concipitur à ratione, seu intellectu citius, ut stat ex parte subjecti; quàm ut stat ex parte prædicati. Quinta *prioritas originis*; hanc ignoravit Aristoteles; quia in creatis non reperitur absque causalitate; quod enim verò est prius origine, est etiam ipsius causa; unde in sententia Aristotelis reducitur ad prioritatem causæ suprà explicatam. Verùm quia juxta veritatem datur productio absque imperfectione, & dependentia; ideo Theologi præter ordinem naturæ, aliam quoque originis ponunt, qui in hoc consistit, quòd plura dentur inter se ordinata, ita ut unû sit ab alio tanquam à principio producente; sic Filius Divinus dicitur originatus à Patre Divino; & Spiritus S. à Patre, & Filio; quare consequenter Pater est prior prioritate originis Filio, & uterque Spiritu Sancto. Hujusmodi prioritas vocatur à Scoto *1. dist. 10. quæst. unic.* prioritas *à Quo*; ad distinctionem proprietatis naturæ, quæ est prioritas *in Quo*, & cum causatione connexa.

QUÆSTIO IV.

De Modis simul; speciebus Motûs & Modis Habendi.

Nota

4. Tres modi simultatis.

Nota primò: Philosophus quoque hic *cap. 12.* ponit tres Modos simultatis, quibus aliqua dicuntur esse simul; scilicet simultas temporis, simultas naturæ, & simultas divisionis: Etsi multò plures assignari possint; sed hi tres maximè conducunt, & necessarij sunt ad cognitionem prædicamentorum habendam; quoad simultatem tum passionum cum subjectis, tum relativorum inter se, tum differentiarum in unoquoque Prædicamento: & exprimuntur sequentibus versibus.

Tempore dico simul, quorum generatio nunc est;
Quæ convertuntur, dicimus esse simul,
Sintq́, simul species, genus unum distribuentes.

2. Quid simultas temporis.

Nota secundò: *Simultas temporis* in hoc consistit, quòd aliqua prædicamentalia dicantur eô tempore incipere, & durare, v. g. subjectum, & ejus passiones. *Simultas naturæ* est inter duo, quorum unum non est causa alterius; sed dicuntur ad convertentiam; talia sunt duo correlativa patris, & filij; nam pater est filij pater; & filius est patris filius. *Simultas divisionis*: est inter ea, quæ non absolutè; sed in ratione dividendi simul sunt; ita se habent duæ species idem genus dividentes, v. g. rationalitas, & irrationalitas immediatè simul dividentes, & contrahentes animal, ut suum superius, & genus. Circa alterum articulum quæstionis.

3. Quid motus.

Nota tertiò: Philosophus in *3. Physic. text. 6.* definit Motum, quòd *sit actus entis in potentia, prout in potentia:* quæ definitio obscura explanabitur à me ex professo *tom. 2. schol. phil. tract. 1. dist. 11. q. 1 concl. 1.* clariùs sic possit describi, *motus est transitus subjecti de una forma ad aliam.* Motus potest materialiter, & formaliter considerari; *Materialiter* est ipsa forma fluens, seu forma in fieri, v. g. calor qui à calefaciente producitur. *Formaliter* est relatio extrinsecùs adveniens mobilis ad movens; v. g. aquæ calefactæ ad calefaciens.

4. Sex species motûs afferuntur.

Nota quartò: variæ sunt species Motûs, quas distinctè expendo *cit. 2. tom.* Ad præsentem verò materiam postprædicamentalem complendam Philosophus hìc enumerat sex principales species ejus; generationem scilicet, corruptionem, accretionem, decretionem, alterationem, locationem; quarum notitia, & diversitas ex terminis horum motuum, de novo positis, de facili cognosci poterit; & in alijs Philosophiæ tractatibus in locis appropriatis ampliùs elucidantur. Obiter ergo eas hìc tantùm describam. Unde

5. Quæ describuntur.

Nota quintò: *generatio* est transitus à non esse substantiæ ad esse substantiæ; talis est generatio Socratis, qui à Platone propagatur. *Corruptio* est transitus ab esse substantiæ, ad non esse substantiæ; talis est in destructione ligni transeuntis ad formam ignis. *Accretio* est transitus à minori quantitate ad majorem quantitatem; & vocatur aliàs *augmentatio*; talis est in puero tripalmari crescente in quinque palmarem. *Decretio* est transitus à majori quantitate ad minorem, & vocatur aliàs *diminutio*; talis est in aqua rarefacta, dum condensatur, & imminuitur. *Alteratio* est transitus ab una qualitate ad aliam; talis est in pariete albo, qui de albedine transit sub nigredinem ope murarij; denigrantis eum. *Locatio*, quæ & *latio*, & *motus localis* dicitur, est transitus de uno loco ad alium; talis est in Platone transeunte de Ubi Atheniensi ad Ubi Thebarum. Plura de distinctione, unitate, & contrarietate Motûs, deque motu violento projectorum, & resilientium, ac alijs Motum concernentibus, vide tom. *2. cit. dist. 11.* per totum; ubi tanquam in loco proprio agendi de Motu affero ex professo ea omnia, quæ quôquô modô motum contingunt. Circa ultimum articulum quæstionis.

6. Octo assignantur modi habendi.

Nota sextò: tandem Philosophus *in suis Postprædicamentis* affert octo modos habendi, quibus unum dicitur habere aliud; non quòd plures non extent, quàm octo; sed quia isti magìs proficui, & sufficientes sunt ad cognoscendum, quibus modis substantia dicatur habere in se accidentia, tam absoluta, quàm relativa.

7. Explanantur singuli.

Nota septimò: Itaque *primus modus habendi* respicit qualitatem secundùm quam res aliqua dicitur habere habitum, vel potentiam naturalem, vel patibilem qualitatem; ut habere talem scientiam Astrologicam, v. g. vel Logicam. *Secundus* est, qui respicit quantitatem, secundùm quam dicitur res habere talem, vel talem mensuram, seu quantitatem; v. g. turris altitudinem de-

ducentorum cubitorum. *Tertius* eſt, qui reſpicit veſtitum, ſecundùm quem homo v. g. dicitur habere tunicam, calceos, thoracem &c. *Quartus* eſt, qui reſpicit ornamentum; & ſecundùm hunc dicitur homo habere annulum in digito, gemmas in collo &c. *Quintus* eſt, qui reſpicit partem, & ſecundùm hanc homo v. g. dicitur habere manum, vel caput. *Sextus eſt* qui reſpicit contentum aliquod in alio; ſic v. g. ſecundùm hunc modum hydria dicitur habere aquam. *Septimus* eſt, qui reſpicit rem poſſeſſam; & ſecundùm hanc Plato habet villam, id eſt dominium villæ. *Octavus* eſt, qui reſpicit ſocietatem; & ſecundùm hanc dicitur Antonius habere condiſcipulum, & Adam mulierem ſociam. Hi omnes Modi exprimuntur ſequentibus verſibus;

Affectum varium, cum quanto, dic velut aurum.

Veſtitum, membrum, contentum, rura, Sodalem.

TRA-

TRACTATUS QUARTUS.

In duos Libros Perihermenias.

PRÆFATIO.

P*Hilosophus inter cæteros suos Philosophicos tractatus proponit quoque duos libros* Perihermenias; *quæ vox est Græca, & Latinè significat* interpretationem: *intitulantur autem sic, quia in eis agit de principijs proximis syllogismi, scilicet de Enunciationibus, seu Propositionibus vocalibus; quæ sunt quædam interpretationes, & declarationes latentium animi nostri conceptuum, seu mentalium actuum: has Enunciationes majori ex parte jam suprà in Dialectica explanavi; unde hic solùm ea de ipsis tangam, quæ ibidem consultò omissa fuêre, tanquam altioris indaginis. Cùm autem omnis Enunciatio vocalis (uti & Nomen, Verbum, &* Oratio, *de quibus quoque hìc agit Philosophus; sed ego ipsa in eadem Dialectica plenè explicui) sit signum quoddam, dicente S. Augustino* 12. super Gen. cùm loquimur, utique signa rerum dantur; *propterea hìc doctrinam generalem* de signo *priùs proponam per nonnullas præambulas quæstiones.*

DISTINCTIO UNICA.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De Quidditate ſigni ut ſic.

1. *Quibus modis quis in cognitionē alterius poſſit pervenire.*

NOta primò: quoniam S. Auguſtinus *lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 1.* dicit, ſignum eſt, quod faciat homines in cognitionem alterius venire; ideo breviter hic præmittendi ſunt quinque modi, quibus quis in cognitionem alterius poſſit pervenire. *Primò* ergo hoc fit per diſciplinam, hôc modô Magiſtri artium, & ſcientiarum faciunt ſuos diſcipulos venire io cognitionem artium, & ſcientiarum, dum eorum elementa, & principia ipſis exponunt, ac inſtillant per lectiones frequentiores. *Secundò* per ratiocinium, quando quis ratiocinando, & diſcurrendo penetrat ad ignoti notitiam; v. g. dum ex creaturis diſcurrendo aſcendimus ad cognitionem unius ſummi Creatoris DEI; juxta illud D. Pauli ad Romanos: *Invisſibilia enim ejus* (ſcilicet DEI) *à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellectu* (ſcilicet diſcurſivô) *conſpiciuntur; ſempiterna quoque Virtus, & Divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles &c.* *Tertiò* per revelationem Divinam; ut ſi DEUS Petro revelet myſterium aliquod abſconditum, quod priùs ignorabat. *Quartò* per propoſitionem, & regulationem; hôc modô Eccleſia, quæ eſt magiſtra veritatis, ducit Chriſti fideles in cognitionem veram articulorum Fidei, per ſuas propoſitiones Conciliares, explicativas articulorum Fidei. *Quintò* tandem per repreſentationem; hôc modô fumus facit nos in cognitionem ignis latentis deveniri, & hædera in notitiam vini vendibilis, & ſtatua in cognitionem Cæſaris: de ſigno ſub iſto modo (qui proprius eſt) in propoſito agitur: unde ſignare, ſeu ſignificare propriè erit intellectui alterius aliquid repræſentare.

2. *Variæ definitiones ſigni.*

Nota ſecundò: ſignum ut ſic præfatô quintô modô faciens io cognitionem alterius venire, deſcribitur in *Grammatica ſpeculativa Scoti cap. 1.* quòd *ſit ratio ſignandi, ſive repræſentandi*; quæ deſcriptio, ut exacta ſit, adhuc deſiderat aliquas particulas neceſſariò addendas ad ſui completionem; quare infrà aliam ad Scoti mentem proferam. D. verò Auguſtinus *cit. 2. lib. Doct. Chriſt.* ſic illud deſcribit, ſignum *eſt id quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliud facit in cognitionem venire.* Hanc deſcriptionem reijcit P. Poncius tanquam non adæquatam; eò quòd non complectatur omne ſignum; non enim comprehendit ſigna ſpiritualia, quæ quoque ducunt in cognitionem aliarum rerum. Convenit ergo illa deſcriptio ſolis ſignis ſenſibilibus materialibus. Unde dando magìs univerſalem.

3. *Authoris definitio.*

Dico primò: ſignum ut ſic rectè deſcribitur, quòd *ſit illa res, quæ potentiæ cognoſcitivæ aliud à ſe diſtinctum proximè & immediatè repræſentat.* Eſt ad mentem Scoti *1. diſt. 22. q. un.*

Probat. hæc deſcriptio ritè explanat naturam definiti, convenitque omni ſigno tam ſpirituali, quam materiali: Ergo &c. Ly *illa res* ponitur locô generis: reliqua pro differentia. Dicitur, *quæ potentiæ cognoſcitivæ*; per quod exprimitur potentia, quam ſignum ſignando, ſeu ſignificando reſpicit, quæ principaliter eſt potentia cognoſcitiva, ſeu intellectus. Additur *aliud à ſe diſtinctum* ad oſtendendum, quòd inter ſignum, & ſignatum vertat diſtinctio aliqua; qualis eſt v. g. inter fumum & ignem deſignatum fumô. Ly tandem *proximè, & immediatè repræſentat*, excludit à ratione veri ſigni (ut de eo hic) omnia alia, quæ aliquo ex ſuprà *not. 1.* recenſitis quatuor modis hominem ducere poſſunt in cognitionem alterius; Magiſter namque non immediatè, ſed mediantibus elementaribus regulis, ac lectionibus, DEUS mediante revelatione, creaturæ mediante diſcurſu, & Eccleſia mediante dogmate Eccleſiaſticô, faciunt hominem venire in cognitiones præfatas. Ex his cape ſequentia Corollaria.

4. *Arriagæ definitio ſigni refutatur.*

Corollarium primum: definitio Arriagæ, & aliorum, qua ſignum ut ſic perhibetur eſſe *id, quod facit nos in cognitionē alicujus rei venire*, eſt mala: nam convenit alteri à definito, puta Objecto. Objectum enī v. g. *turris* facit nos prævià ſenſatione in cognitionem ſui venire; & tamen non eſt ſignum aliquod propriè dictum: Item DEUS revelando Eccleſiæ ali-

aliqua myſteria, facit eam in novam cognitionem eorum venire; & tamen non eſt propriè ſignum: Eſt ergo res, quæ habet rationem ſigni, faciat potentiam venire in cognitionem ſui; tamen hoc non ſufficit; ſed præterea debet etiam aliud diſtinctum eidem potentiæ repræſentare v. g. fumus ignem, ut dixi in deſcriptione, ſuprà *in cancl. 1.* allata.

5. Similiter definitio Hurtadi. Corollarium ſecundum: ſimiliter definitio Hurtadi eſt vitioſa, quâ dicitur *ſignum eſſe id, quod aliquid repræſentat;* nam Magiſter ſuâ prælectione repræſentat diſcipulo doctrinâ Logicam; & tamen nō eſt ejus ſignū propriè; debet ergo addi juxta deſcriptionē *in cancl. 1.* datam, particula illa *immediatè, & proximè.*

6. Signum dicit duas relationes. Corollarium tertium: omne Signū dicit duas relationes, reſpectus, ſeu ordines; prima relatio eſt ad potentiam cognoſcitivam, quam Signum deducit in cognitionem rei ſignatæ: talis eſt in hædera, quâ hædera refertur ad intellectum meum, & eundem deducit in cognitionem vini vendibilis. *Secunda* eſt ad rem ſignatam v. g. ad vinum vendibile. Primam relationem volunt Conimbric. eſſe de eſſentia Signi: ſed Scotus cum D. Bonaventura ſentit ſolam ſecundam eſſe eſſentialem Signo ut Signo. Ratio eſt quia relatio ſigni ad rem ſignatam eſt prior alterâ relatione ad potentiam; adeoque talis ſola eſt eſſentialis ſigno: altera verò erit ejus paſſio.

QUÆSTIO II.

De multiplici diviſione Signi ut ſic.

1. Quid ſit ſignū formale, & inſtrumentale. Nota primò: Signum in communi primò dividitur in formale, & inſtrumentale. *Signum formale* dicitur illud, quod abſque prævia ſui cognitione, ſeu non priùs cognitum repræſentat aliud potentiæ cognoſcitivæ: talia Signa ſunt ſpecies impreſſæ, intelligibiles, & ſenſibiles, quæ licèt prævie non cognoſcantur; ducunt tamen potentiam, cui inhærent, in cognitionem objectorum, quæ intelliguntur, & ſentiuntur: talia etiam ſunt ſpecies expreſſæ, v. g. intellectiones. Eſt autem hoc diſcrimen inter iſtas ſpecies impreſſas, & expreſſas, quòd Impreſſæ v. g. ſpecies intelligibiles collectæ de Platone, Socrate, Papa, Cæſare &c. faciant intellectum effectivè cognoſcentem præfata objecta: Expreſſæ verò reddunt eundem formaliter cognoſcentem, communicando ſe illi. *Signum inſtrumentale* dicitur illud, quod priùs cognitum ducit potentiam cognoſcitivam in cognitionem alterius; unde neceſſarium eſt, ut & ipſum, & aliud per ipſum ſignatum cognoſcatur; tale eſt hædera, quæ priùs cognita ducit intellectum in cognitionem vini vendibilis. Scotus *2. diſt. 3. q. 1.* appellat ſignum formale *Quo*, & Relationem cognoſcendi non cognitam; eò quòd reddat inſtar formæ potentiam formaliter cognoſcentem rem ſignatam. Inſtrumentale verò ſignum *Quod*, ſeu rationem cognoſcendi cognitam; eò quòd priùs debeat à potentia cognoſci, antequam eam deducat in ſignati cognitionem.

2. Idem poteſt eſſe ſignū formale & inſtrumentale. Nota ſecundò: eandem prorſus rem quandoque juxta varias conſiderationes, & reſpectus poſſe eſſe Signum formale, & inſtrumentale: ſic v. g. eadem cognitio ſeu ſpecies expreſſa, quâ Franciſcus cognoſcit Papam, dicitur Signum formale reſpectu Franciſci; reſpectu verò Angeli cognoſcentis hanc cognitionem Franciſci dicitur Signum inſtrumentale; quia talis cognitio ut priùs cognita repræſentat Angelo Papam.

3. Cognitio ſui ipſius non eſt ſignum. Nota tertiò: cognitio aliqua, quæ eſt ſui ipſius repræſentativa, non eſt computanda inter Signa inſtrumentalia; ſed formalia. Ratio eſt; quia omne ſignum inſtrumentale debet eſſe aliquid medium inter rem ſignatam per eam, & potentiam cognoſcitivam; nam ſignatum debet eſſe aliud quidpiam diſtinctum à Signo, talis autem cognitio ſui ipſius repræſentativa non eſt quid medium: Ergo &c.

4. Quid Signum naturale & ad placitum. Nota quartò: Inſtrumentale Signū ſubdividitur in naturale, & ad placitum; cujus diviſionis meminit Scotus *1. Periherm. q. 4. Signum naturale* eſt, quod ſuapte naturâ, & independenter ab impoſitione hominum aliquid repræſentat, & idem ſignificat apud omnes nationes, quādo proponitur objectivè; talia ſunt fumus reſpectu ignis; talis eſt ſtatua reſpectu Cæſaris; & fletus reſpectu doloris latentis; & riſus reſpectu lætitiæ internæ. *Signum ad placitum*, ſeu voluntarium, eſt, quod

ex arbitrio, ac institutione DEI, vel hominum aliquid repræsentat, ac significat; talia sunt pulsus campanæ in Ecclesijs, qui sunt Signa solita fieri pro divinis, & funeribus; item tuba in bello Signum conflictûs; hædera vini vendibilis, & omnes voces Latinæ, Germanicæ, Boëmicæ, & aliorum idiomatum suntSigna ad placitum, seu ex instituto significantia varias propositiones mentales; quas Latinus, Germanus, Boëmus &c. habet in mente latentes.

5. Objectio resolvitur.

Objicies primò contra hanc divisionem: omnia Signa instrumentalia sunt ad Placitum; quia omnia sunt ex instituto, utpote pendentia à DEI voluntate, omnia creante juxta illud Psalmi 134. *omnia quæcunq; voluit fecit*: Ergo nullum datur Signum naturale; & consequenter mala est ista divisio. Respondeo Neg. Ant. ad ejus rationem dico, quòd etsi omnia à DEI voluntate pendeant quoad sui productionem, & creationem; non tamen suppositâ jam productione quoad connexionem suorum prædicatorum necessariorum; qualis est repræsentatio naturalis sui objecti; sic à DEI voluntate suppositâ productione Cæsaris, & statuæ non pendet, quòd talis statua non repræsentet Cæsarem; sicut non pendet à DEI voluntate, quòd homo, qui jam factus est homo, non sit animal rationale; licèt pendeat ab ea, ut non producatur homo.

6. Alia rursus elucidatur.

Objicies secundò: voluntas hominum instituens Signa aliqua ad placitum in ratione Signorum, v. g. hæderam in ratione Signi voluntarij pro vino vendibili, jam præterijt: Ergo hujusmodi Signa non erunt ampliùs vera Signa. Respondeo Dist. Ant. voluntas hominum instituens Signa perijt physicè Conc. Ant. perijt moraliter Neg. Ant. Itaq; ut Signa ad placitū censeātur esse vera signa, sufficit, quod institutio horum in ratione Signi à voluntate hominum olim facta, adhuc perseveret moraliter; hoc est dicere, quòd in æstimatione prudentum idem adhuc nunc signent, ac significent, quod olim significabant, quando instituebantur actu, & quod defactò illa prima institutio necdum sit retractata.

7. Quid sit Signū spirituale, & sensibile.

Nota quintò: Signum Instrumentale ad placitum partitur in spirituale, & sensibile juxta Scotum *Quodl. 14. Spirituale* est, quod repræsentat potentiæ cognoscitivæ aliquid spirituale: quod dupliciter potest contingere; *primò* quando Signum est sensibile, & signatum seu res repræsentata est spirituale quid; hôc modô Matt. 3. columba; & Act. 2. linguæ igneæ signabant Spiritum S. Et Sacramenta novæ Legis signant gratiam, & ideo à D. Augustino *10. de Trinit. cap. 5.* describuntur esse *signa rei sacræ*. *Secundò* contingit, quando tam Signum, quàm signatum est spirituale quid; hôc modô species intelligibilis est Signum repræsentativum rei spiritualis intellectæ, v. g. Angeli, vel animæ intellectivæ. *Sensibile signum* describitur secundùm D. Augustinum *2. de Doctr. Christiana*, est id quod *præter speciem, quam ingerit sensibus, facit in alterius cognitionem venire*; tale est sonus campanæ, qui signat Missam celebrandam.

8. Quid speculativū, & practicum.

Nota sextò: rursus Signum aliud est speculativum, aliud Practicum, ut habet Scotus *2. dist. 1. q. 3. Speculativum* est, quod nudè ducit in cognitionem alterius, & non efficit illud; tale est hædera respectu vini vendibilis. *Practicum* verò est, quod & signat suum signatum, & simul illud efficit physicè, vel moraliter; talia Signa sunt Sacramenta novæ legis, quæ & signant gratiam Sacramentalem, & simul illam causant moraliter in sententia Scoti; de qua *in Schola Theolog. tom. 3. tract. de* Sacramentis. Signum practicum subdividitur in efficax, & inefficax, seu certum & incertum, ut constat ex Doct. *cit. q. 2. Efficax* seu *certum* est, quod infallibiliter signat, & ponit effectum; tale est Baptismus respectu gratiæ baptismalis primæ. *Inefficax*, seu *incertum* est, quod non significat infallibilem positionem effectûs; tale est osculum respectu pacis, & amicitiæ, quod non semper concomitatur pax, & amicitia, ut patuit in osculo Judæ Traditoris Christi.

9. Memorativū, & demonstrativum.

Nota septimò: iterum Signum dismembratur in memorativum, demonstrativum, & prognosticum, juxta Scotum in *4. dist. 1. q. 2. Memorativum* est, quod reducit præterita in memoriam; tale est Signum crucis, quod commemorat Passionem Salvatoris Nostri. *Demonstrativum* est, quod exhibet rem præsentem, & existentem; tale est index horologij, qui indicat talem horam v. g. primam. *Prognosticum* est, quod designat rem futuram; tale est rubedo lunæ respectu venti orituri, & albedo ejusdem respectu

ser-

serenitatis, & pallor ejus respectu pluviæ, juxta illud Poëtæ. (ba serenat.

Pallida Luna pluit, rubicunda flat, al-

10. Quid importet signum.

Nota octavò: omne signum importare duo; unum pro materiali, alterum pro formali. *Pro materiali* signum importat ipsas entitates physicas; v.g. hædera importat pro materiali ramos, ex quibus combinatur; & fumus entitatem fumi. *Pro formali* importat relationem signi ad rem signatam.

QUÆSTIO III.

Num voces sint de classe signorum ad placitum?

1. Quid vox.

Nota primò: Vox in communi sic describitur *est sonus ab ore animalis procedens, naturalibus instrumentis formatus.* Et potest in duplici differentia attendi: quædam enim vox est articulata, quædam inarticulata. *Articulata* est, quæ conformiter ad certas leges idiomatum, linguâ, dentibus, & palatô formatur; tales sunt omnia vocabula Latini idiomatis, secundùm leges Grammaticæ debitè pronunciata à Cicerone, v. g. *Inarticulata* est, quæ absque ullis legibus effertur ore; tales sunt suspiria, gemitus, ejulatus, sonus tubæ &c.

2. Voces articulatæ sunt signa ad placitum.

Dico primò: Voces omnes articulatæ sunt signa ad placitum; non verò naturalia. Ita Scotus *1. Periherm. q. 4.* Tartar. Columb, Joan. de Magistris, & communior Philosophorum; contra Pythagoricos.

Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ: Genes. 2. dicitur, quòd Adam imposuerit certa nomina rebus: Ergo nomina, seu voces sunt ex institutione, seu ad placitum. Secundò authoritate D. Augustini; qui *lib. 6. Music. c. 9.* ait *de vocabulis* (id est vocibus) *nihil satagas, res in potestate est; beneplacitò enim non naturâ imponuntur.* *Tertiò* authoritate Philosophi; qui conclusionem asserit *1. Periherm. cap. 1.* Et 2. *Quartò* ratione; si Voces essent signa naturalia, utique omnes nationes mundi eas intelligerent; quemadmodum signa naturalia v. g. fumus, & similia ab omnibus nationibus cognoscuntur: sed voces articulatæ non intelliguntur ab omnibus nationibus; nam Græcus non intelligit Germanum, nec Illyrus Latinum, nec Germanus Hispanum; Ergo &c. Deinde idiomata sæpius alterantur, corriguntur, ac perfectionantur; uti patet de lingva Italica, quæ olim valde rudis erat, & plurimis peregrinarum nationum, Italiam infestantium vocabulis scatebat; hodie verò expolita, & juxta certas regulas Grammaticales reducta cernitur: signa autem naturalia nunquam alternatur: Ergo voces non sunt signa naturalia; sed ad placitum: Tandem si voces articulatæ essent signa quædam naturalia, etiam surdi possent illis uti, & consequenter loqui, sicut alijs signis naturalibus utuntur, ut edendo gemitus, & ejulatus, qui suapte naturâ ipsis insunt: sed hoc est contra omnem experientiam: Ergo &c.

3. Varia historia opponuntur.

Objicies *primò*: Herodotus Historicus narrat, quosdam homines inter pecudes ruri educatos, voces quasdam articulatas protulisse, quas utique instigante naturâ formârunt: Ergo voces sunt signa naturalia, seu à natura dependentia. *Secundò*, Plinius *lib. 7. Historiar. cap. 14.* pariter narrat, Attidem filium Crœsi, mutum à nativitate, dum videret quemdam militem gladiô irruentem in patrem suum, exclamâsse fertur articulatis vocibus, *miles noli Crœsum ferire*: sed hujusmodi voces non didicerat ab aliquo, ut quædam signa ad placitum; cùm muti à nativitate simul sint surdi: & incapaces ab aliò percipendi voces: Ergo à natura dictante scivit has voces; ac proinde voces sunt signa naturalia. *Tertiò*, alij quoq; Historici narrant, quosdam pueros in sylvis educatos elapsô bienniô fuisse abductos in Phrygiam, & ibidem lingvâ Phrygiâ illico *becbor*, id est *panem* petijsse. *Quartò* Voces inarticulatæ brutorum sunt signa naturalia; Ergo etiam voces articulatæ hominum.

4. Sed ostenditur nil probare contra concl.

Respondeo *ad Primum*: Herodotum esse Historicum dubiæ fidei; ac proinde illud factum loquelæ hominum inter pecudes educatorum esse incertum: & huic contrarium narrant Conimbricenses *in cap. 1. Periherm. q. 4. art 2.* quòd scilicet Rex Achebar magni Tamerlani pronepos quemdam puerum à nutrice abstractum curaverit in sylvis educari absq; ullis vo-

vocibus humanis auditis, qui cùm evolutô biennió inter homines fuisset reductus, nullam prorsus vocem articulatam effari valuit. *Ad secundum* dico, filium Crœsi mutum non fuisse simul surdum: nam etsi communiter muti à nativitate simul surdi nascantur; quia plerumque læsos habent nervos circa potentiam auditivam, aut tympanum auditûs; tamen absolutè contingere potest, & solet, ut illi nervi,& tympanum auditûs non lædantur in formatione capitis: unde Crœsus potuit audire, & addiscere voces illas articulatas; ad quas proferendas nervi linguæ priùs contracti poterant & ipsi successu temporis sufficienter rectificari maximè accidente aliquô motu inopinatô, extendente nervos, uti erat vehemens illa commotio timoris, causata ab impendente morte sui genitoris, quæ convulsione, & impetu spirituum vitalium, ac animalium extendit nervos organi loquelæ, eósque aptos reddidit ad pronunciandas illas voces; eô ferme modô, quô claudi, & podagrici ob exortum repentinũ incendium, vel alium metum graviſſimum, ad salvandam vitam subitô motu extendunt, sufficienter nervos ad ambulandum & fugiendum. *Ad Tertium* potest dici, vel quòd illi pueri casu illam vocem Phrygiam in itinere suo versùs Phrygiam ab hominibus Socijs, victualia tractantibus, audierint, & didicerint: vel eam ideo protulerint, eò quod similes duos sonos didicerant priùs in sylvis, scilicet à frequenti ovium balatu ly *be*, & à corvorum crocitatione ly *cor*, quos tunc simul combinârunt in unam vocem *Bechor* petendo panem. *Ad Quartum* Neg. Conseq: disparitas est; quia voces inarticulatæ brutorum v. g. rugitus leonis, latratus canum suapte naturâ sunt in brutis talis speciei, absque omni instructione artificiali; voces verò articulatæ non sunt in omnibus hominibus; unde Græcus ignorat latinam linguam, & ad eam discendam eget magistrô; adeóque non sunt signa naturalia; sed ad placitum.

5. Voces, & litteræ non sunt signa practica.

Quæres: an voces, vel litteræ sint signa practica ex se; id est operativa alicujus effectûs? Respondeo Negativè. Ratio est; quia nec voces, nec litteræ ullæ, verba, periodi, figuræ, aut characteres sub quibuscunque figuris, & formis exarati formaliter, vel virtualiter continent effectum secuturum, v. g. sanitatem, divitias, impenetrabilitatem gladij, & globi &c. Nec habent ullam naturalem connexionem eum eo: cùm voces, verba & periodi sint merus sonus, ab ore hominis prolatus beneficiô instrumentorum naturalium palati, dentium, labij linguæ, & auræ formatus; litteræ verò, & characteres sint simplices designationes talium figurarum, atramentô formatarum, nil activitatis physicæ habentium. Unde

6. Quid sentiendũ de characteribus Nigromantarũ, & Schedis febrilibus.

Nota secundò: si autem contingat quandoque Nigromantas per certorum characterum, & verborum applicationem mirabiles operari effectus; hujusmodi effectus non characteribus, & verbis, ut effectivis causis imputari debent; sed Dæmonibus, qui ad præsentiam talium signorum, ut conditionem conventam in pacto tacito, vel expresso, cum Nigromantis inito, illos operantur. Similiter si contingat (uti sæpe contingere docet experientia) homines febricitantes ad devotam deportationem certarum Schedarum B. Salvatoris ab Horta, item B. Jacobi de Marchia; item S. Francisci benedictionem devotè gestatam in collo, liberari à febribus; hoc fit intercessione dictorum sanctorum apud DEUM, qui sic devotè interpellatus ægrotos sanat, & alia miracula operatur ad talium Sanctorum Advocatorum instantiam. Idem dicendum de exorcismis, & conjurationibus tempestatum, pestium &c. quas DEUS sedat ritè interpellatus à ministris Ecclesiæ, & alijs pijs hominibus; hocq; vel immediatè, vel per suos S. Angelos; aut certè mediatè per sanctos Patronos, qui invocantur ad ejusmodi effectus obtinendos.

QUÆSTIO IV.

Quid signent, & significent voces articulatæ?

7. Vox potest duo signare.

Nota primò: duo esse, quæ potest signare seu significare vox aliqua, res, scilicet, & conceptus rerum. *Res* est omne id, quod potest esse objectũ alicujus cognitionis, & intellectionis, tale est *homo*, ut significat naturâ humanã, & ut tale potest esse objectum meæ cognitionis: hujusmodi objectum quandoque

que est quid reale; ut *homo*, & *lapis*; quandoque quid rationis, ut *genus*, *species*, *chymera* &c. quandoque quid positivum, ut *lignum*, *equus*; quandoque quid negativum, seu privativum ut *tenebra*. Res in hoc sensu vocantur etiam *conceptus objectivi*. *Conceptus* verò hic vocatur ipsamet cognitio rerum, quam proferens vocem habet de aliqua re secundùm se; talis est cognitio, seu notitia habita de homine, seu natura humana: & hic dicitur *conceptus formalis*.

2. Voces articulatæ signant res.

Dico primò: voces articulatæ signant, & significant res. Ita Scotus *quæst. 2. 1. Periherm.* Et *1. dist. 22. q. un. dist. 27.* & sequitur comunis Scotist. ac Gabriel, Conimbric. & plures RR. contra Boëtiū, Averro. Ammon. Alexand. & alios veteres complures.

Probatur primò authoritate scripturæ: nam Gen. 2. dicitur, *appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & universa volatilia cæli, & omnes bestias terræ*: sed nomina sunt voces quædam articulatæ, & animantia, ac volatilia, & bestiæ sunt res quædam: Ergo voces appellant, seu signant, & significāt res.

Probatur secundò authoritate Philosophi, qui *1. Elench. cap. 1.* dicit, *loco rerum utimur nominibus; quia res in disputationem adducere nequimus*: Ergo censet nomina reverà exprimere res, quas in disputationem adducere non valemus. *Tertiò* ratione; voces articulatæ sunt instituta à primis vocum institutoribus, & inventoribus ad manifestandam audienti rem, de qua fit discursus, v. g. hæc vox *homo* instituta est ad manifestandum habentem naturam humanam: Ergo voces articulatæ signant, & significant res.

3. Philosophus exponitur.

Objicies: Philosophus *1. Periherm. cap. 1.* ait, *voces sunt signa passionum animæ*: Ergo signant solos conceptus latentes in anima; & non res. Respondeo cum Scoto *1. dist. 27. q. 3.* exponendo Philosophum, & dico, eum solùm velle, quòd voces etiam significent passiones Animi, id est conceptum formalium; quia scilicet priùs debet res aliqua concipi conceptu formali, antequam ore per vocem articulatam exprimatur; v. g. natura humana debet priùs concipi mentaliter, & intelligi, antequam per hanc vocem homo exprimatur: cum quo tamen stat quòd voces etiam significent res, & sint signa etiam rerum.

4. Voces articulatæ etiā conceptus significāt.

Dico secundò: voces articulatæ quóque signant, & significant conceptus proferentis, quos habet de re aliqua, per voces expressa. Ita Scotus *1. dist. 22. q. un. & 1. Met. 5.* Et communis Scotistarum ac Thomist. RR.

Probat. primò authoritate S. Augustini; qui *15. de Trinit. cap. 11.* ait, *verbum quod foris sonat, signum est verbi, quod intùs latet*. Et *cap. 13. in Ezechiel.* ait, *verba instituta sunt, per quæ in alterius notitiam quisque cogitationis suas proferat*: Ergo &c.

Probat secundò tum authoritate Philosophi; qui *1. Periherm. cap 1.* vocat *voces signa passionum animi*; id est conceptuum formalium, in animo seu mente loquentis latentium. Tum Platonis, qui *in Tymæo* ait, *propterea ordinata est sermonis communicatio, ut præsto fiant mutuæ voluntatis indicia*: Ergo sermones, & voces significant quoq; conceptus proferentis de re aliqua per voces expressa.

Probat. tertiò ratione: Tum quia experimentò constat quotidianò Magistros suos erudire discipulos in artibus, & scientijs, manifestando per voces suos conceptus mentales: Ergo hæ voces significant conceptus Magistrorum proferentium illas. Tum quia voces, & vocabula articulata sermonis instituta sunt primitùs ut homo unus alteri sensa animi sui apperiret, latentésque conceptus internos manifestaret, ut ita ea, quæ ad humanam societatem propagandam, amicitiam colendam, & vitam transigendam conferunt, percipiat, & exequatur, teste Platone *loc.* mox *cit.* Ergo voces signant quoque conceptus proferentis, quos habet de re aliqua, per voces expressa.

5. Sed primariò res.

Dico tertiò: voces articulatæ significant primò, & principaliter res; secundariò verò ipsos conceptus rerum, quos habet proferens voces. Ita Scotus *1. dist. 27. q. 3. & q. 2. primi Periherm.* Et sequuntur Tartar. Columb. Ponc. Lamazar. & communis Scotist. ac Gabriel, Arriag. & alij RR. contra Conimbricenses, & alios docentes voces significare primò conceptus.

Probat. *primò*: nomina ab Adamo imposita omnibus animantibus, volucribus, & bestijs terræ teste S. Scripturâ Gen. 2. significabant primò, & principaliter ipsas res, id est animantia, volucres, & bestias

stias terræ, nominibus certis appellata; & non conceptum habitum de eis: item dum quis in baptismate nominatur *Petrus*, vel *Franciscus*, illæ voces infantem baptizatum exprimunt, & signant principaliter: Ergo &c. *Secundò*, illud primò, & principaliter significant voces, quod loquens primò, & principaliter intendit significare: sed loquens intendit primò, & principaliter significare res: Ergo voces has primò, & principaliter significant. Probat. Min. Instructor aliquis v.g. Catechista loquens Catechumeno, & instruens eum de mysterio Incarnationis, Trinitatis, & alijs articulis Fidei Christianæ, intendit primò, ac principaliter significare, & illi imprimere objecta horum articulorum, seu res, scilicet Verbum Incarnatum, Trinitatis personas &c. Ergo loquens intendit primò, ac principaliter significare res. *Tertiò*, ex opposita sententia sequerentur varia absurda, & inconvenientia. *primò* enim sequeretur, omnem propositionem esse fallam, v. g. hanc *Plato est homo*; quia cùm primum, & principale harum vocum significatum sint conceptus secundùm adversarios, sensus ejus erit, quòd conceptus formalis hominis sit conceptus formalis Platonis; quod est falsissimum: Ergo voces non significant primò, & principaliter conceptus. *Secundò* sequeretur, quòd Germanus audiens vocem hanc Germanicam Brodt id est *panis* ab aliquo Boëmo ignorante linguam Germanicam, non intelligeret ejusmodi vocem; quia non intelligerer conceptum formalem, quem haberet Boëmus proferens memoratam vocem: sed sequela est falsa, & contra omnem experientiam: Ergo &c.

6. *Scriptura signat primò voces, deinde res, & tandem cōceptum.*

Quæres quid significet primò scriptura? pro responsione adverte, quòd Scriptura sic bene describatur, *est figura visibilis ordinata ad repræsentandam vocem.* Respondeo nunc scripturam significare primò, & principaliter voces; deinde res; & tandem etiam secundariò conceptus. Ita Scotus in 2. *Opere Periherm.* Ratio patet ex S. Augustino *lib. 2. de Doctr. Christiana cap. 4.* dicente; *quia verberate aëre verba transeunt, nec diutiùs manent, quàm sonent; ideo instituta sunt per litteras* (id est scripturas) *signa verborum*: Ergo censet Scripturam esse principaliter signa verborum, seu vocum. Quod verò etiam significent res; inde colligitur, quòd quando quis perlegit epistolam de conflictu nuperò Christianorum v.g. cum Turca sub Vienna scripto; intelligat res ibidem actas, scilicet profligatum à Cæsare Leopoldo I. Turcam, surrepta omnia tormenta, obtenta locupletissima spolia, liberatos Christianos &c. Quòd tandem etiam significent conceptus loquentis; ita ex lectione scripturæ percipit scribentis conceptum; v. g. ex lectione operum Scoti sconsta penetrat mentem Scoti: Ergo &c. Idem esto Judicium de Typis, cifris arithmeticis, hyeroglyphicis, symbolis, Emblematibus; quotiescunque hæc ab authore, & artifice significativè, & cum prævia intelligentia efformantur.

7. *Varia objectiones.*

Obijcies *primò*: Philosophus adversatur conclusioni: Ergo &c. Probat. Ant. Philosophus *1. Periherm. cap. 1.* ait, quòd voces sint signa passionum animi: Ergo sentit, quòd voces principaliùs significent passiones animi, id est conceptus. *Secundò*, non est potior ratio, cur voces non significent utrumque ex æquo; id est rem, & conceptum proferentis: Ergo &c. *Tertiò*, sequeretur ex hac sententia, nullum dari mendacium: sed hoc est falsum: Ergo &c. Probat. Maj. mentiri est contra mentem ire, ut habet Scotus *3. Repert. dist. 38. q. 1.* sed si voces principaliter non significant conceptum mentis, nullus contra mentem iret, quia non proferret aliquem conceptum, quem in mente haberet: Ergo &c. *Quartò*, saltèm istæ, & similes voces *intellectio, cognitio, conceptus formalis &c.* principaliter signant conceptum formalem proferentis: Ergo aliquæ saltèm voces significant principaliter conceptus formales proferentis.

8. *Resolvuntur.*

Respondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad ejus Probat. glosso textum Philosophi, & dico, eum solùm velle, quòd voces etiam signent, & significent passiones, seu conceptus animi; abstrahendo num primò, & principaliter; an verò secundariò tantùm, ut intendit conclusio. *Ad secundum* Neg. Ant. ut patet ex Probationibus pro conclusione allatis; & quia, si voces ex æquo significarent tum rem, tum conceptum proferentis, omnes voces essent æquivocæ; significarent enim plures res secundùm diversam rationem; nam res, & conceptus includunt diversas rationes. *Ad tertium* Neg. Maj ad ejus Probat. Nego Min. nam ut loquens committat mendacium, & eat contra mentem; sufficit

cit, quòd profeſerat voces, vel ſermonem falſum; qui etſi minùs principaliter; verè tamen etiam ſignificant conceptum mentis. *Ad quartum* Diſt. Conſequens ut conceptus formales ſunt Neg. Conſeq. ut res quædam ſunt Conc. conſeq. Itaque quando quis profert hanc vocem *intellectio* concipit illam rem, quæ dicitur intellectio per aliam intellectionem, & prior intellectio dicitur eſſe res, & non conceptus formalis; poſterior verò dicitur eſſe conceptus formalis; ſed hanc vox *intellectio* ſignat tantùm ſecundariò.

QUÆSTIO V.

De eſſentia; ſpeciebus; & proprietatibus Enunciationis.

1. Enũtiatio, & propoſitio ſunt ſynonima.

NOta primò: Etſi olim nonnulli Expoſitores Ariſtotelis referente Zabarellâ *1. Poſter. circa textum 13.* Enunciationem à Propoſitione diſcriminaverint, volentes, quòd Enunciatio ſit magìs latè patens, quàm Propoſitio; quaſi Enunciatio abſolutè ſumpta ſit oratio nõ reſpiciens ſyllogiſmum; Propoſitio verò ſit oratio reſpiciens ſyllogiſmum; in quo ut pars collocatur: attamen hodie promiſcuè, & ſynonimè uſurpantur hi duo termini; uti colligitur ex Scoto *1. diſt. 2. q. 2.* & idem Philoſophus in *his libris Perihermen.* eoſdem pro ſynonimis uſurpare videtur; quod & ego impoſterum faciam.

Nota ſecundò: Eſſentiam, quidditatem, & naturam Enunciationis expreſſi utcunque in Dialectica *diſt. 2. q. 2.* ubi attuli, & probavi definitionem Propoſitionis ut ſic hujus tenoris, *Propoſitio eſt oratio conſtans ſubjectô, prædicatô, & copulâ:* ſimiliter ibidem explicui ejus materiam variã, formam, quantitatem, & qualitatem: quare circa eandem ſolùm addam hìc aliqua ibidem omiſſa. Unde

2. Enũtiatio pro formali eſt ens rationis.

Nota tertio: Enunciatio, ſeu Propoſitio pro formali eſt ens rationis; non quidem chymericum; ſed fundatum, ſeu cum fundamento in re uti conſtat ex Scoto *q. 3. Univerſal.* Et eſt ratio; quia eſt comparatio quædam paſſiva prædicati cum ſubjecto, & è contra in ratione convenientis, vel diſconvenientis; unde fiunt Enunciationes affirmativæ, & negativæ. Comparatio autem talis paſſiva eſt ens rationis fundatum; ſicut eſt comparatio paſſiva generis, ſpeciei, ſyllogiſmi: Ergo &c.

3. Nõ eſt aliqua ſimplex qualitas.

Nota quartò: Enunciationem non eſſe planè ſimplicem qualitatem, ut arbitratur Arriaga, Soto, & alij quidam; ſed eſt ſuô modô compoſita; uti colligitur ex Scotô *1. Perihermn. in ſolut. 3.* Tum quia Philoſophus *1. Perihermn. cap. de verbo* dicit; Verbum componere ſubjectum cum prædicato; talis autẽ compoſitio ſubjecti cũ prædicato efficit propoſitionem ſeu Enunciationem: Ergo Enunciatio eſt compoſita quædam qualitas. Tum quia Enunciatio coaleſcit ex ſubjecto, & prædicato ut partibus, & copulâ ut vinculo: Ergo eſt quid compoſitum. Circa diviſionem Enunciationis.

4. Variæ diviſiones Enunciationis.

Nota quintò: Enunciationẽ ut ſic dividi ſicut dividitur Propoſitio ut ſic; cujus multiplices diviſiones in affirmativam, & negativam; in categoricam, & hypotheticam; in abſolutam, & modalem; in copulativam, cauſalem, conditionalem, & disjunctivam; in neceſſariam, & contingentem; in univerſalem, & particularem, & alias complures exactè evolvi in Dialectica *diſt. 2. q. 3.* quæ proinde erunt recolendæ: præterea hìc inquiri poteſt, an diviſio Enunciationis in affirmativam, & negativam ſit generis in ſpecies? Circa quam

5. Affirmativa, & negativa Enunciatio ſunt ſpecies Enunciat: ut ſic.

Nota ſextò: negavit Alexander teſte Joanne Majore, Diſcipulô illuſtri Scoti, Enunciationem ut ſic rectè diſtribui in affirmativam, & negativam Enunciationem, veluti in ſpecies: ſed communis Scotiſtarum cum Doctore & S. Thoma alijſque compluribus antiquis, & modernis hoc affirmat. Ratio eſt, quia ratio communis Enunciationis ſecundùm idem nomen, & eandem rationem univocè prædicatur de affirmativa, & negativa Enunciatione; una inſuper ab altera differt eſſentialiter, ſicut rationale ab irrationali; & nulla eſt Enunciatio, quæ non ſit vel affirmativa, vel negativa: Ergo Enunciatio ut ſic reſpectu harum Enunciationum eſt generis in ſpecies. Circa proprietates Enunciationis.

6. Proprietates Enunciationis.

Nota ſeptimò: proprietates Enunciationis, ſeu Propoſitionis communiter à Diale-

Dialecticis recensentur sequentes, oppositio, æquipollentia, conversio, modificatio, expositio, veritas, & falsitas. Priores quinque sat superque examinavi in Dialectica *dist. 2. q. 5.* usque ad *quæst. 9.* Unde hic nihil restat dicendum: sed de Veritate, & falsitate nonnulla adhuc sunt determinanda sequentibus quæstionibus. Quære sit

QUÆSTIO VI.

De existentia; & quidditate Veritatis Logicæ Enunciationis.

1. Datur veritas creata.

Dico primò: existit Veritas creata Enunciationum. Ita communis Philosophorū, & Theologorum.

Probat. primò authoritate S. Scripturæ; quæ existentiam Veritatis adstruit; unde dicitur Deut. 13. *rei Veritate perspectâ.* Et Jud. 16. *aperiens Veritatem rei.* Et Joan. 16. *cùm venerit Spiritus Veritatis, docebit vos omnem Veritatem:* Ergo &c. *Secundò* ratione: dantur scientiæ creatæ v. g. Theologicæ, Metaphysicæ, Physicæ, Astrologicæ &c. sed hæ continent multas Veritates Enunciationum, seu propositiones verissimas: Ergo &c.

2. Variæ veritatis divisiones.

Nota autem primò: Ut pateat natura, & quidditas Veritatis Logicæ, quæ in Enunciationibus, seu Propositionibus ut proprietas imbibitur, distingvendæ sunt tres sortes Veritatis; alia enim est Veritas rei, seu in essendo; alia in significando; & alia in repræsentando. *Veritas rei*, seu *in essendo* est passio quædam transcendentalis Entis, omnibus rebus, etiā falsis conveniens; & hæc pertinet ad Metaphysicam. *Veritas in significando* convenit propriè vocibus, ac signis, de qua suprà *quæst. 3. Veritas in repræsentando*, seu *cognoscendo* (quæ & Veritas intellectûs dicitur) bene describitur, quòd *sit conformitas actus intellectûs cum objecto, seu re intellecta*; seu ut loquitur Boëtius, est adæquatio rei ad intellectum. Et de hac Veritate, quæ est Veritas Logica Enunciationum, procedit præsens quæstio: quæ est duplex, scilicet complexa, de qua hìc, & incomplexa, quas vide explicatas *in Dialec. dist. 2. q. 9. not. 2.* In assignanda essentia, & quidditate Veritatis Logicæ Enunciationum variant AA. quorum sententias duabus conclusionibus refutabo. Interea autem

3. Discrimen inter veritatem Divinam, & creatam.

Nota secundò: aliter esse philosophandum de Veritate Divina; aliter de creata. Cognitio enim Divina in se est infinitæ perfectionis, necesse esse, & ejus principium, scilicet intellectus à sola Essentia ut objecto movetur: unde Veritas Divina perfectissimè adæquatur tam in essendo, quàm in repræsentando juxta Scotum *3. dist. 14. q. 1* Et nullā importat relationē ad objecta scibilia sicut Veritas creata importat relationē accidentalē & contingentem conformitatis actus ad objectum, ut infrà dicetur: sed dicit essentialiter ipsam entitatem actûs; ut patet ex eodem Doct. *1. dist. 35.*

4. Veritas creata non dicit essentialiter entitatem actûs.

Dico secundò: Veritas creata Enunciationis, & Propositionis non importat essentialiter entitatem actûs. Ita colligitur ex Scoto *4. dist. 8. q 2.* Et sequuntur Bonet. Orbell. Columb. &c. contra Major. Hurtad. & comuniter contra Nominales.

Probat. Tum quia permanente eadem entitate actûs potest tolli Veritas creata Enunciationis; quia una Enunciatio potest de vera transire in falsam; ut infrà dicetur: Ergo Veritas creata Enunciationis non importat essentialiter entitatem actûs. Consequentia tenet; quia quod essentialiter importatur, nullâ ratione potest tolli à re, manente ipsa re; ut patet de rationalitate Platonis, quæ tolli nequit à Platone manente Platone. Tum quia Veritas est essentialiter aliquis respectus; quia est ordo unius ad aliud, seu conformitas actûs ad objectum: Ergo Veritas Enunciationis nō essentialiter importat entitatem actûs. Consequentia tenet; quia absolutum cujusmodi est entitas actûs, nequit esse de essentia respectivi.

5. Objectio satisfit.

Objicies contra hanc conclusionem: entitas actûs Enunciationis est formalis repræsentatio Objecti: sed ad essentiam Veritatis nō requiritur aliud, quàm repræsentatio Objecti; tunc enim habetur conformitas actûs cum objecto: Ergo Veritas Enunciationis essentialiter consistit in entitate actûs. Respondeo Dist. Maj. actus Enunciationis est formalis repræsentatio objecti, in hoc sensu, quòd scilicet sit expressivus objecti cogniti Conc. Maj.

in

in alio sensu, quòd sit ipsamet essentialis repræsentatio Objecti Neg. Maj. Itaque sicut equus habens nigredinem, non est ipsa nigredo essentialiter; ita actus aliquis Enunciationis dicens repræsentationem Objecti, non est ipsa repræsentatio essentialiter.

6. *Nec dicit essentialiter actū, & objectum simul*

Dico tertiò: similiter Veritas non importat essentialiter simul actum in recto, & objectum in obliquo. Ita colligitur ex Scot. *cit.* Et sequuntur Scotistæ; contra Arriagam, & alios RR. complures.

Probat. *primò*: Ex hac sententia sequeretur, quòd Veritas sit ens per accidens, ex rebus diversorum prædicamentorum conflatum; actus enim est quid intentionale, seu forma intellectûs, & de prædicamento qualitatis; objectum verò sæpissimè est quid reale, & de genere substantiæ; sed sequela est falsa: Ergo &c. *Secundò*, ex eadem sententia sequeretur quòd posset dari essentia alicujus rei, sinè suis partibus essentialibus componentibus, actu existentibus: sed etiam hæc sequela est falsa; Ergo &c. Probat. Maj. in hac Enunciatione *AnteChristus erit*, adest Veritas: sed pro hujus essentia componenda non datur una pars essentialis actu existens, scilicet objectum; AntiChristus enim hodie non existit actu: Ergo posset dari essentia alicujus rei sinè partibus essentialibus componentibus, actu existentibus.

7. *Sed relationē conformitatis cum re cognita.*

Dico quartò: Veritas Enunciationis, & Propositionis dicit essentialiter quamdam relationem conformitatis cum ipsa re cognita, & repræsentata. Ita Scotus *1. dist. 3. q. 1.* Et *6. Met. q. 3.* Et sequuntur Tartar, Columb. Mastr. Smising. Herman, & alij Scotistæ, ac Fonseca, Cajet. Ægid. Compton. &c.

Probat. *primò* authoritate Philosophi; qui *cap. de Substan.* dicit, quòd Veritas sit conformitas cum re, *ab eo enim, quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa*: habet communis canon Philosophi: Ergo Veritas Enunciationis dicit essentialiter relationem conformitatis cum re cognita, & repræsentata. *Secundò* ratione; omnis Enuntiatio vera comparatur ad rem cognitam, & repræsentatam ut signum: Sed Veritas signi dicit essentialiter relationem conformitatis sui ad signatum; est enim quædam intentionalis imago, & similitudo signati: Ergo etiam Veritas Enunciationis dicit essentialiter relationem conformitatis cum re cognita, & repræsentata. Præterea totum esse Veritatis est ad aliud se habere, scilicet ad repræsentare objectum: Ergo est quædam relatio, & quidem conformitatis; quia est expressio, & repræsentatio essentialis ejusdem objecti, sicut id est in se repræsentabile, & conformabile.

8. *Oppositionis asseruntur.*

Objicies *primò*: Enunciatio nequit esse conformis suo objecto; cùm sit quoddam accidens intentionale, & objectum sæpe substantia: Ergo Enunciatio non dicit essentialiter relationem conformitatis. *Secundò*, Ens chymericum non habet aliquod esse reale: Ergo Enunciatio nequit illi conformari in repræsentando illud: & consequenter saltèm Enunciatio de tali objecto non dicit relationem conformitatis. *Tertiò*, non solùm Enunciatio est conformis objecto: sed etiam ipsum objectum est conforme Enunciationi: Ergo Veritas Enunciationis nō consistit tantùm in conformitate actûs cum objecto.

9. *Et eluduntur.*

Respondeo *ad Primum* Neg. Conseq. nam ut habet Scotus *1. dist. 3. q. 3.* conformitas, quam conclusio assignat inter actum, & objectum, non est in modo essendi, & entitativè; sed in repræsentando, & esse intentionali; sicut imago Cæsaris est similis Cæsari non in essendo, & entitate physica; sed in repræsentando, & in esse intentionali: Itaque accidens intentionale in repræsentando potest conformari enti reali, etiam substantiali. *Ad secundum* Neg. Conseq. nam ut Enunciatio possit conformari enti chymærico, illudque repræsentare sufficit, quòd illud habeat aliquod esse objectivum in intellectu; nam tale esse etiā repræsentabile est, cùm sit objectum intellectûs terminativum. *Ad tertium* dico, conformationem objecti cum Enunciatione non esse conformitatem propriè dictam, id est in repræsentando, & quæ est ad mensuram illius, in quo fundatur, quæ mensura est objectum: sed sola conformitas actûs cum objecto est talis; unde in hac sola statuenda est Veritas Enunciationis.

QUÆSTIO VII.

De subjecto Veritatis Enunciationum; & de falsitate.

Te Dico

1. *Veritas logica formalis est in intellectu.*

Dico primò: Veritas formalis, & Logica Enunciationum subjectatur in intellectu. Ita colligitur ex Scoto *6. Met. q.3.* Et sequuntur Scotistæ; contra Hervæ. & Vasquem, ponentes Veritatem in conceptu objectivo, ut subjecto.

Probat. *primò* authoritate Philosophi; qui 1. *Perih. cap.1.* Et *3. de anima cap. 26.* dicit, quòd verum, & falsum consistat in compositione, & divisione: Compositio autem, & divisio est in Intellectu: Ergo etiam verum, & falsum; & consequenter Veritas, & falsitas est in eodem. *Secundò* ratione; Veritas est passio, ac proprietas Enunciationis: Ergo subjectatur in eodem subjecto, in quo subjectatur Enunciatio: subsumo; sed Enunciatio subjectatur in intellectu: Ergo etiam Veritas formalis Logica.

Dixi notanter in conclusione: quòd *Veritas formalis* subjectetur in intellectu; quia Veritas fundamentalis (id est conformabilitas rei cum intellectu) subjectatur in ipsa re; est enim ipsa capacitas, & idoneitas rei ad posse conformari Enunciationi, & cognitioni intellectûs. Et hoc est, quod volunt tantùm rationes Adversariorum.

2. *Objectioni respondetur.*

Objicies: Scotus, & Philosophus videntur docere Veritatem formalem residere in objecto, seu re: Ergo &c. Probat. Ant. Scotus 1. *dist. 48. q. un.* dicit, *Veritas intellectûs non dependet nisi à solo objecto; quod objectum si ita est, sicut intelligitur, verus est intellectus:* Philosophus verò *cap. de substantia* ait, *ab eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa:* Ergo &c.

Respondeo Neg. Ant. & ad Probat. ejus explico authoritatem Scoti, & dico, ipsum loqui de Veritate causaliter; acsi diceret, quòd objectum causet Veritatem; sicut objectum cognitionis causat cognitionem; hâcque ratione dependeat Veritas formalis ab objecto. Ad authoritatem Philosophi, dico, ipsum nil aliud velle, quàm quòd res sic se habens, vel non habens materialiter, & remotè concurrat ad Veritatem causandam; sicque sit fundamentum, & subjectum remotum ejus; cum quo stat, quòd fundamentum, & subjectum proximum ejus sit intellectus.

Sed hic insurgit dubium; num in quavis operatione intellectûs subjectetur aliqua formalis Veritas Logica? Pro resolutione hîc recollenda sunt, quæ suprà *tract. 3. dist. 2. q. 5. not. 4.* dixi, de tribus operationibus distinctis intellectûs apprehensione scilicet judicio, & discursu; & quæ dixi in Dialectica *dist. 2. q. 9. not. 2.* de Veritate complexa; & incomplexa.

3. *In quavis operatione intellectûs potest esse veritas.*

Dico secundò: intellectus in quavis sua operatione potest habere Veritatem aliquam subjectatam; in prima scilicet Veritatem incomplexam; in secunda verò, & tertia Veritatem complexam. Quòd sit in prima, colligitur ex Scoto *6. Met.* quòd etiam in secunda, habet Scotus *ibidem*; quòd tandem in tertia, habet idem *Quodlib. 18.* Et sequuntur communiter Scotistæ, Orbellus, Columb. Boñer. &c. contra Cajetan. & alios denegantes primæ operationi omnem Veritatem.

Probat. prima pars: Tum quia intellectus per primam suam operationem scilicet apprehensionem potest apprehendere res uti sunt à parte rei, v. g. hominem, arborem, & equum, absque ulla affirmatione, vel negatione circa ea: Ergo in prima operatione potest esse Veritas incomplexa. Tum quia Philosophus *2. de anima cap. 6.* comparat intellectum in simplicium cognitione, seu sub prima operatione cum sensu: sensus autem circa proprium sensibile semper est verus, seu habens aliquam Veritatem: Ergo & intellectus sub prima operatione.

4. *Cuidā objectioni obviatur.*

Objicies *primò*: Philosophus *6. Met. cap. 2.* dicit, quòd Veritas in sola compositione reperiatur: compositio autem est secunda mentis operatio: Ergo &c. *Secundò*, in vocibus simplicibus non subjectatur ulla Veritas: Ergo neque in simplici conceptu, seu apprehensione intellectûs, quæ est prima mentis operatio. Respondeo *ad Primum* glossando Philosophum, & dico ipsum *loc. cit.* loqui de Veritate complexa, quæ est conformitas actûs componentis unum cum alio, seu affirmantis unum de alio: cum quo, stat, quòd Veritas incomplexa etiam reperiatur in prima mentis operatione, estque conformitas actûs simplicis intellectûs ad objectum simplex, & incomplexum intellectum sicut est intelligibile à parte rei sine affirmatione formali. *Ad secundum* Dist. pariter Conseq. in simplici conceptu, seu apprehensione intellectûs non subjecta-

jectatur ulla Veritas complexa Conc. Conseq. incomplexa Neg. Conseq.

Probat. secunda pars conclusionis: intellectus secundâ suâ operatione, scilicet judiciô sæpe affirmat res sicuti sunt à parte rei; ut dum dicit de Platone, quòd *sit animal rationale*: Ergo in ejusmodi operatione secunda habet Veritatem Logicam. Præterea secunda operatio intellectûs est compositiva duarum rerum inter se convenientium, v. g. risibilis, & rationalis: Ergo continet Veritatem subjectivè.

Probatur tertia pars: in tertia operatione intellectûs sæpissimè datur conformitas cum re intellecta; ut dum ex præmissis veris infertur conclusio vera, sic discurrendo; *omne rationale est risibile: sed Plato est rationalis: Ergo Plato est risibilis*: Ergo in tertia operatione intellectûs subjectatur quoque Veritas.

5. *Quid sint propositiones æternæ Veritatis.*

Quæres primò: quid sint propositiones, & Enunciationes æternæ Veritatis, & an dentur? Pro resolutione nota; rem aliquam posse considerari secundùm duplex esse; *primum* dicitur esse actuale, & existentiæ, quod res in tempore acquirit, dum producitur à suis causis; v. g. dum generatur homo à patre, & matre. *Secundum* dicitur esse possibile, & objectivum, seu quidditativum, & essentiale, præscindens ab omni existentia, & circumstantia temporis, loci, & hujusmodi: primum esse dicitur temporaneum; quia res conditæ sunt in tempore ut patet ex S. Scriptura *Gen. 1.* Secundum dicitur æternum; quia res fuerunt producibiles ab æterno. Respondeo nunc primò, & dico; quod Veritas, quæ ut proprietas sequitur esse existentiæ, & temporaneum rei, dicatur Veritas temporanea; Veritas autem quæ sequitur esse objectivum, & quidditativum æternum, dicatur Veritas æterna. Respondeo secundò; quòd etiā dentur propositiones æternæ Veritatis; Ratio est; tum quia ita sentit Philosophus qui *1. Poster. tex. 21.* ostendit, demonstrationem constare conclusione æternæ Veritatis; eùm procedat ex præmissis per se, necessarijs, & æternis: conclusio autem est Enunciatio quædam, & propositio. Tum quia S. Augustinus *lib. 2. de lib arbitrio cap. 5.* ait, *nihil esse magis æternum, quàm duo, & tria esse quinque*; quæ est pariter Enunciatio quædam æternæ Veritatis. Tum quia illæ Enunciationes, & propositiones censentur esse æternæ Veritatis, quorum subjecta, & prædicata ita necessariò nexu copulantur, ut pro nulla temporis differentia dissolvi possint, & aliter se habere: sed tales dantur complures; v. g. istæ, *omnis homo est animal rationale: & omne animal est sensitivum: & omne brutum est irrationale* &c. Ergo dantur propositiones æternæ Veritatis.

6. *An una Enunciatio sit altera verior.*

Quæres secundò: utrùm una Enunciatio, seu propositio sit verior alterâ? Respondeo *primò*, si Veritas expendatur, & usurpetur pro propria formalitate, ut dicit adæquationem, & commensurationem actûs cum objecto, tam extensivè in ordine ad numerum prædicatorum objecti; ità ut actûs nihil repræsentet, quòd non reperiatur in objecto; & nihil pariter sit in objecto, quòd non sit in actu repræsentatum: quàm etiam intensivè; ut scilicet actus repræsentet objectum, quantum est repræsentabile: tunc una Enunciatio, & propositio quandoque est verior alterâ, ratione extensionis; puta si ejus objectum habeat plura prædicata, & unus actus unicum tantùm repræsentet; alter verò extensivè repræsentet omnia: quandoq; verò una Enunciatio nō est verior alterâ; si videlicet ambæ exprimant eadem prorsus prædicata simul. Similiter ratione intensionis una Enunciatio potest esse verior alterâ, si una repræsentet clariùs objectum, quàm alterâ: & hac ratione docet Scotus *4. d. st. 50. q. 4.* unam visionem beatificam de DEO esse perfectiorem alterâ; & consequenter veriorem. Respondeo *secundò* si etiam Veritas sumatur pro concomitantibus ipsam, qualia sunt necessitas objecti, vel contingentia; tunc una Enunciatio quoque est verior alterâ; quia una est quandoque de objecto magis necessario, quàm altera; talis est hæc, *DEUS existit*, quæ est magis vera, quàm hæc *Plato existit*. Circa alteram proprietatem Enunciationis scilicet falsitatem.

7. *Quid sit Falsitas formalis.*

Noto primò: Falsitatem rectè describi, quòd *sit difformitas actûs cum objecto, seu re intellecta*. Dari hujusmodi falsitates in Enunciationibus Logicis patet quotidianô experimentô, quò novelli Logici multas falsas afferunt propositiones; & hæretici falsissima dogmata spargunt. De Falsitate philosophandum est, sicut de Veritate creata in cognoscendo, seu

ſeu repræſentando; quòd ſcilicet ipſa eſſentialiter non importet neque entitatem actûs tantùm; neque entitatem, & objectum ſimul; ſed relationem quamdam difformitatis, ſeu diſconvenientiæ; uti tenet etiam Tartar. Ant. Andrea, & alij Scotiſtæ: oppoſitorum enim eadem eſt ratio, & diſciplina. Et quando Scotus *6. Met. q. 3.* dicit Falſitatem eſſe quamdam carentiam Veritatis formalis; exponendus eſt, quòd loquatur de Falſitate ut opponitur Veritati in eſſendo; non verò ut opponitur Veritati formali intellectûs.

8. Unde oriatur.

Nota ſecundò: quòd in Enunciationibus oriatur falſitas, hoc ſecundùm Scotum *2. Met. q. 2.* provenit ex imperfectione noſtri intellectûs, qui in cognoſcendo dependet à ſenſibus pro hoc ſtatu viæ; & intelligit per ſpecies à ſenſibus emendicatas; ſenſus autem ſæpiùs ob diſtantiam objectorum, aliaque occurrentia impedimenta res repræſentant aliter, quàm ſint. Unde autem originativè oriatur illa dependentia à ſenſibus in homine, reſpondet idem Doctor *Quodlib. 14.* ex S. Auguſtino *15. de Trinit. cap. 27.* quòd proveniat non ex natura potentiæ intellectivæ; ſed ratione ſtatûs præſentis vitæ mortalis; qui non eſt naturalis; ſed pœnalis: quia enim primus homo in Paradiſo fuit prævaricatus originaliter; ideo DEUS in pœnam delicti commiſſi ejus intellectum à ſenſibus imperfectè dependere ordinavit.

9. Subjectatur in intellectu, & quoties ejus actibus.

Nota tertiò: ſicut ex ſuprà dictis priori *quæſt. concl. 1.* Veritas formalis ſubjectatur in intellectu; ita pari ratione dicendum de falſitate: & ſicut in omnibus tribus operationibus intellectûs reperitur quædam Veritas formalis; ita ſimiliter in iiſdem reperiri poteſt aliqua Falſitas, ſcilicet incomplexa in prima; in reliquis verò duabus compoſita: & ſicut Veritas complexa eſt in compoſitione; ita Falſitas complexa in diviſione, quæ fit ab intellectu, qui quatenus componens, & dividens eſt Judex Veritatis, & Falſitatis.

QUÆSTIO VIII.

An una Enunciatio poſſit tranſire, ac mutari de vera in falſam?

1. Status quæſt. aperitur.

Nota primò: præſentem quæſtionem non procedere de Enunciatione, ſeu propoſitione vocali; hæc enim cùm tranſeat ſubitò cum verborum prolatione, & evaneſcat, nequit eadem numerò de vera tranſire in falſam. Procedit ergo de Enunciatione mentali, ſeu ab intellectu efformata, atque continuata. Et quidem de Enunciationibus mentalibus neceſſarijs, quæ circa DEUM, & eſſentias rerum verſantur, concordant DD. quòd tales non poſſint mutari de veris in falſas: nam neceſſaria earum veritas provenit ab immutabilitate objecti, ſeu eſſentia; eſſentiæ autem rerum ſunt invariabiles; unde veritas quoque earum invariabilis, & immutabilis eſt. Sed controvertunt de Enunciationibus mentalibus contingentibus, quorum ſcilicet objecta ſunt contingentia, & mutabilia; qualis eſt v. g. hæc, *Plato ſtudet; & Cicero legit* &c. num ejuſmodi mutari poſſint de veris in falſas.

2. Una enunciatio poteſt de vera tranſire, in falſam.

Dico primò: una numerò Enunciatio, & propoſitio mentalis contingens poteſt tranſire, atque mutari de vera in falſam. Colligitur ex Scoto *1. diſt. 3. q. 4.* Et apertè eam habet *4. diſt. 3. q. 2.* Doctorem ſequitur torrens Scotiſtarum; & S. Bonaventura, Suar. Ruvi. Conimbr. Tolet &c. contra Smiſing, Bonet. Cavell. & Ponc. Scotiſtas; ac contra Arriag. Averſ. & alios RR.

Probat. *primò* authoritate Philoſophi; qui *1. Periherm. cap. 8. Et cap. de Subſt.* apertis terminis dogmatizat unam orationem, & opinionem poſſe ſucceſſivè de vera mutari in falſam: Ergo &c. Secundò authoritate Scoti; qui *cit. 4.* dicit, veritatem eſſe accidentalem propoſitioni; adeoque ab ea poſſe abeſſe, vel adeſſe: Ergo una Enunciatio vera poteſt tranſire ſub falſam; ſicut ſubjectum de uno accidente poteſt tranſire ſub aliud.

Probat. etiam ratione: Tum quia veritas Enunciationis ex ſuprà dictis eſt conformitas actûs cum objecto: ſed conformitas iſta poteſt mutari: Ergo ab ea tunc evacuatur Veritas; & conſequenter tranſit de vera in falſam. Probat. Min. poteſt contingere, ut objectum pro aliquo tempore v. g. pro inſtanti A. quô durat enunciatio mentalis, ita ſe habeat, ſicut Enunciatio dicit; & pro inſtanti B. poteſt

aliter

aliter se habere; v. g. sit ista propositio mentalis *Plato studet*, & continuetur per duo instantia; si Plato revera studeat pro instanti A. objectum ita se habet; sicut Enunciatio dicit; si verò cesset à studio, uti cessare potest, objectum pro instanti B. aliter se habet: Ergo conformitas actûs cum objecto potest mutari; & consequenter tunc eadem entitativè, & numerò Enunciatio mutatur de vera in falsam. Tum quia si Enunciationes, & propositiones contingentes non essent mutabiles de veris in falsas, nullum esset discrimen inter eas, & necessarias: sed est discrimen latum inter ipsas: Ergo &c. Tum quia relationes mutari possunt mutatis terminis: sed Veritas est formaliter relatio quædam conformitatis: Ergo potest mutari mutatò terminò, seu objectò. Tum quia si Judæus aliquis antè Christi Nativitatem elicuisset hunc actum, seu Enunciationem mentalem, *Christus Messias nascetur*, & ipsum continuasset usque post Christi Nativitatem; utique peractâ Nativitate esset falsus ob mutationem Objecti: Ergo eadem numerò Enunciatio tunc transiret de vera in falsam.

3. Fundamentū Poncij enervatur.

Objicies fundamentum Poncij: quando quis affirmat, quòd *Petrus sedeat*, vel intelligit, quòd sedeat pro aliquo tempore determinato; vel pro aliqua parte determinati temporis indeterminatè: sed quòvis modò ex illis illud dixerit, propositio si sit semel vera, non potest unquam esse falsa, quantumvis continuaretur in perpetuum: Ergo &c. Respondeo affirmantem illam Enunciationem *Petrus sedet* posse præcisè attendere ad solam inhærentiam prædicati cum subjecto, seu ad cursum Petri, non cogitando actu de differentia temporis determinati, vel indeterminati; quia tamen tempus datur intelligi tanquam connotatum à verbo *studet*, propterea dicitur implicitè consignificari in illa Enunciatione; & per consequens confusè, vagè, & indeterminatè; nam partes illæ confunduntur ab intellectu: & quia tempus latitudinem habet multarum partium sibi invicem succedentium; ideo poterit illa Enunciatio *Petrus studet* esse vera in una; in altera verò falsa, secundùm diversas coexistentias studij ad illas partes temporis.

Objicies secundò: quando mutatur objectum Enunciationis veræ, non manet eadem Enunciatio; cùm dependeat propositio essentialiter ab objecto: Ergo non eadem numerò propositio transit de vera in falsam. Præterea veritas communiter ponitur esse proprietas Enunciationis: proprietas autem nequit tolli à re, cujus est proprietas: Ergo &c. Respondeo *ad Primum* Dist. Ant. non manet eadem Enunciatio quoad substantiam Neg. Ant. quoad accidentia Conc. Ant. Itaque Veritas, & falsitas sunt tantùm accidentia propositionis, ex Scoto *4. dist. 8. q. 2.* quibus proinde sublatis adhuc manet quoad substantiam Enunciatio; quæ essentialiter in affirmatione, vel negatione consistit. *Ad Secundum* dico, veritatem non esse proprietatem quartò modò sumptam Enunciationis: sed accidens separabile ab ea; atque ita proprietatem in latiori acceptione.

4. Aliud objectū diluitur.

Ex hactenus dictis infertur *primò*: quamlibet Enunciationem contingentem vocalem ab initio suæ efformationis potuisse esse veram, vel falsam. Ratio est; quia cùm veritas, & falsitas sint accidentia Enunciationis, quæ abesse, vel adesse possunt; idcirco vel unum, vel alterum habere potuit ab initio. Et quia aliàs Enunciatio contingens esset vel necessaria, vel impossibilis; cùm necessariò vel conformitatem, vel difformitatem pro omni temporis differentia habere deberet: hoc autem est falsum: Ergo &c.

5. Duo corollaria infernuntur.

Infertur secundò: intellectū enunciantis aliquam Enunciationem, v. g. hanc *Plato studet*, in ipso actu mentali enunciationis non necessariò debere explicitè advertere ad quadrantes, vel alias partes temporis; hoc enim est in ejus libertate, ut attendat, vel non attendat ad eas; ac proinde non debet velle suâ Enunciationē significare pro tali parte temporis veritatem, & pro tali falsitatem; sicq; proferre propositionem, quæ si semel sit talis, semper maneat talis: sed potest simpliciter enunciare propositionem sinè ulla actuali restrictione ad tempus; etsi vi verbi tempus aliquod vagè, confusè, & implicitè cōsignificetur: unde si in una differentia temporis objectum sit conforme actui Enunciationis; habebitur veritas; si difforme, habebitur falsitas; atque ita una Enunciatio potest transire de vera in falsam.

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

Num Enunciationes de futuro contingenti ſint determinatè veræ, vel falſæ?

1. *Quid ſit futurum, & cōtingens conditionatè, & abſolutè futurum.*

NOta primò: ratio *futuri* importat poſitionem aliqnam rei, quæ connotat tempus, quod primò erit, v.g. poſitionem Anti-Chriſti, qui ante finem conflagrationis mundi naſcetur. Futurum aliud eſt contingens, aliud neceſſarium. *Contingens* eſt in illa re, quæ poteſt eſſe, vel non eſſe, quantùm eſt de ſe; talis eſt tempeſtas, quæ cras poteſt oriri, vel non oriri. *Neceſſarium* eſt in illa re, quæ infallibiliter erit; ſic v.g. AntiChriſtus erit animal rationale. Futurum contingens aliud eſt conditionatè futurum, aliud abſolutè futurum, *Conditionatè futurum* eſt illud, quod in ſui poſitione dependet ab aliqua conditione; tale eſt v.g. ſi Petrus pravæ converſationi adhæſerit, peccabit. *Abſolu.è futurum* eſt, quod ad ſui poſitionem non exigit ullam conditionem; ut AntiChriſtus erit.

2. *Quid ſit determinatio de ineſſe, & de poſſibili.*

Nota ſecundò: duplicem poſſe attendi determinationem in Enunciationibus; unam de ineſſe, alteram de poſſibili. Tum dicitur aliqua Enunciatio, ſeu propoſitio eſſe determinatè vera *determinatione de ineſſe*, quando quidem ſignificat prædicatum convenire, & ineſſe ſubjecto; non tamen excludendo potentiam ad oppoſitum; talis eſt hæc, *AntiChriſtus erit*; nam hæc propoſitio exprimit exiſtentiam futuram AntiChriſti; ita tamen, ut per DEI ordinationem poſſet non eſſe futurus. Tum verò dicitur aliqua Enunciatio eſſe determinatè vera *determinatione de poſſibili*, quando ſignificat prædicatum convenire & ineſſe ſubjecto, ita ut planè excludat potentiam ad oppoſitum; talis eſt iſta homo eſt animal rationale. His duabus determinationibus opponuntur duæ indeterminationes, una *de ineſſe*, quæ dicit indifferentiam ad eſſendum, vel non eſſendum: altera *de poſſibili*, quæ dicit indifferentiam ad poſſe eſſe, vel non eſſe.

3. *Status quæſtionis manifeſtatur.*

Nota tertiò: in hac quæſtione non inquiri de Enunciationibus de futuro neceſſario; quia tale ſemper eſt determinatè verum; cùm copula in ejuſmodi propoſitionibus abſolvatur ab omni differentia temporis. Nec de futuro conditionato; cujus prolixum examen pertinet ad Theologiam. Inquiritur ergo de Enunciationibus cadentibus ſuper futurum contingens abſolutum tantùm. Similiter ſermo hìc non eſt de Enunciationibus, ſeu propoſitionibus univerſalibus; nec de particularibus: quia particulares ſunt determinatè veræ; univerſales verò determinatè falſæ; nō quidem ſimpliciter, & abſolutè, ſed moraliter loquendo, & ſecundùm communem curſum naturæ: nam cùm ad falſitatem propoſitionis Univerſalis ſufficiat, ut prædicatum non conveniat uni contento ſub ſubjecto, ſi ſit univerſalis affirmativa, & conveniat, ſi ſit univerſalis negativa; videtur impoſſibile, quòd prædicatum contingens ab omnibus removeatur, vel omnibus conveniat: ac proinde propoſitiones univerſales ſunt determinatè falſæ; & particulares ſunt determinatè veræ. Solùm ergo procedit quæſtio de Enunciationibus ſingularibus, quales ſunt v.g. *AntiChriſtus erit*; & *Plato ſtudebit* &c. num hujuſmodi ſint determinatè veræ, vel falſæ: & quidem de veritate determinata determinatione de ineſſe tantùm inveſtigatur; quæ ſtat cum indeterminatione de poſſibili: non autem de veritate determinata de poſſibili; quia hæc repugnat cum contingentia; cùm ponat neceſſitatem.

4. *Enunciationes ſingulares de futuro contingenti abſoluto ſunt vel determinatè veræ; vel determinatè falſæ.*

Dico primò: Enunciationes ſingulares de futuro contingenti abſoluto ſunt vel determinatè veræ, vel determinatè falſæ. Ita Scotus *1. diſt. 19. §. viſo de contingenti*, & *§. ad ad argumenta principalia*. Et *in Report. eadem diſt. q. 2.* Et *Quodlib. 14.* Et ſequuntur Tartar. Gadius, Maſtr. Columb. Poncius, Van Sichen, & alij Scotiſtæ; item Alenſis Bonaventura, & Occam, contra Corduben. Bonet. Cathar. Racon. &c. quorum ſententiam Moroſ. putat decretô Sixti IV. prohibitam.

Probat. primò rationibus Theologicis: plures extant Enunciationes, & propoſitiones ſingulares in ſacris Litteris de futuro contingenti abſoluto: ſed hæ ſunt determinatè veræ: quia innituntur Divinæ veracitati revelanti, cui falſum ſubeſſe nequit, ut oſtendetur in Theologia *tract. de Fide*: Ergo tales Enunciationes ſingulares de futuro contingenti abſolu-

folutè funt determinatè veræ. Probat. Maj. inducendo varias Enunciationes ſcripturæ de futuro contingenti abſoluto; nam talis eſt illa Iſai. 17. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Et illa Matth. 26. *antequam gallus cantet, ter me negabis.* Et illa ibidem, *qui intingit manum mecū in par.pſide, hic me tradet*: Ergo &c. Præterea omnia quæ ſcit DEUS, ſunt determinatè vera; quia ſcientia eſt verorum ex 1. *Poſt. cap. 24.* ſed DEUS ſcit ſingula futura contingentia abſoluta: Ergo illa ſunt vera; & conſequenter etiam Enunciationes de ipſis factæ ſunt veræ, & eorum oppoſitæ falſæ. Prob. Min. ex illo Pſalmi 138. *intellexiſti omnes cogitationes meas de longè, & omnes vias prævidiſti*. & illo Sap. 8. *qui ſcit præterita, & de futuris æſtimat*. & illo Eccleſ. 23. *antequam crearentur omnia, ſunt agnita, & poſt factum reſpicit omnia*: Ergo &c.

Probat. ſecundò rationibus Philoſophicis: Tum quia non reperitur medium inter contradictoria vera; ut habet Philoſophus 4. *Met. cap. 5.* ſed eſſe Enunciationem ſingularem determinatè veram, & non determinatè veram, ſunt contradictoriæ Enunciationes: Ergo inter eas non reperitur medium: & conſequenter una earum eſt determinatè vera, altera determinatè falſa. Tum quia quando profero hanc Enunciationem, *Anti Chriſtus naſcetur*, aut objectum ſe ita habebit pro illa differentia temporis, quam connotat verbum, & ſic eſt determinatè vera; aut objectum non ita ſe habebit,& ſic eſt determinatè falſa: Ergo &c.

5. *Rationes oppoſita ab authoritate.*

Objicies primò: conclusio adverſatur S. Scripturæ, & Philoſopho: Ergo non eſt tenenda. Prob. Ant. quoad primam partem; S. Scriptura continet aliquas Enunciationes ſingulares de futuro contingenti abſoluto, quæ nun ſunt determinatè veræ, & cum effectu conjunctæ; talis eſt illa de morte futura Ezechiæ Iſai 38. *diſpone domui tuæ, quia morieris.* Et illa de ſubverſione Ninive Jon. 3. *adhuc 40. dies, & Ninive ſubvertetur*: Ergo conclusio adverſatur S. Scripturæ. Prob. etiam Ant. quoad ſecundam partem; quia Philoſophus in *fine lib. Periherm.* docet in futuris contingentibus non dari determinatam veritatem, neque determinatam falſitatem: Ergo concluſio etiam adverſatur Philoſopho.

6. *Rejiciuntur.*

Reſpondeo Neg. Ant. & ad Probationem primæ partis ejuſdem dico, illas Enunciationes ſcripturiſticas non fuiſſe de futuro contingenti abſoluto; ſed conditionato, & comminatorias, pendenti à fletu, & pœnitentia ut conditione; unde earum ſenſus eſt, quòd Ezechias morietur inſpectô ordine, & curſu cauſarum ſecundarum, niſi fletu placaverit DEUM; & Ninive ſubvertetur, niſi pœnitentiam egerint Ninivitæ; quæ conditiones cùm impletæ fuerint, effectus prædictionis illarum Enunciationum non eſt ſecutus: ſed concluſio loquitur de Enunciationibus cadentibus ſuper futurum contingens abſolutum. Ad Probat. ſecundæ partis Antecedentis dico *primò*, Philoſophum tantùm velle, quòd in futuris contingentibus non detur determinata Veritas quoad nos; quia nos eam non agnoſcimus pro hoc ſtatu; cum quo ſtat, quòd detur ſimpliciter, abſolutè, ac reſpectu alterius intellectûs, ſcilicet Divini, omnia futura contingentia ut vera cognoſcentis. Reſpondeo *ſecundò*, ſuppoſito, etiam quòd Philoſophus intendat abſolutè, & ſimpliciter non dari in eis determinatam Veritatem; ut eum intendere autumat P. Ant. Andreas, & indicat Scotus *Report. diſt. 40. q. 2.* dico eum in hoc erráſſe; uti erravit in nonnullis alijs punctis de plaſmatione mundi, quem quoad aliqua æternum aſſeruit, ut patet 8. *Phyſic. cap. 1.* Et 1. *Cœl. text. 102.*

7. *Argumenta quoq; à ratione.*

Objicies ſecundò varias rationes: *primò* ſi Enunciationes de futuro contingenti abſoluto eſſent veræ determinatè, tolleretur libertas humana; non eſſet in actibus noſtris contingentia; nec quidquam prodeſſet conſilium, & negotiatio noſtra: ſed hæc ſunt contra fidem: Ergo &c. Prob. Maj. quando res jam ſunt determinatæ ab æterno ad fore, vel non fore; tollitur libertas, contingentia, & conſilium, quæ ad earum poſitionem ſic vel ſic ponendam conducebant: Ergo &c. *Secundò* futurum contingens ut futurum de ſua ratione formali eſt indifferens ad utrumlibet, ſeu ad eſſe, & non eſſe. Ergo Enunciatio de eo non eſt determinatè vera. Conſequentia tenet; quia veritas Enunciationis præſupponit veritatem rei. Probat. ergo Ant. cauſa quæ ponet futurum contingens, adhuc eſt indeterminata: Ergo tale futurum de ſua ratione formali eſt indifferens ad utrumlibet. *Tertiò*,

tiò ex conclusione sequeretur, quòd futurum contingens necessariò eveniret: sed hoc dici nequit: Ergo &c.

8. *Refelluntur.*

Respondeo *ad Primum* Neg. Maj. cum Ant. Probat. ejus; quia etsi res jam sint determinatæ determinatione de inesse; sunt tamen indeterminatæ indeterminatione de possibili; sicque salvatur libertas humana, manet contingentia rerum, valentque consilia, & negotia; quia etsi agentia libera sint determinata ad agendum, habent tamen potentiam ad non agendum, seu ad faciendum oppositum. *Ad secundum* Dist. Ant. futurum contingens ut futurum est indifferens indifferentiâ, seu indeterminatione de inesse Neg. Ant. indifferentiâ, seu indeterminatione de possibili Conc. Ant. Itaque futurum contingens, etsi sit indifferens indifferentiâ, & indeterminatione de possibili, quatenus scilicet potest poni, vel non poni in esse (in qua indeterminatione consistit formalitas contingentiæ) est tamen determinatum determinatione de inesse; unde ab ejusmodi determinatione Enunciatio veritatem sortiri potest. *Ad Tertium* Dist. Maj. sequeretur, quòd futurum contingens necessariò eveniret necessitate absolutâ Neg. Maj. necessitate ex suppositione Conc. Maj. Itaq; duplex est necessitas, una *absoluta*, quæ & simpliciter, & antecedens dicitur; hæc cadit inter duo extrema ex proprijs earum rationibus, ut quòd homo sit animal: altera *ex suppositione*, quæ & consequens, & consequentiæ dicitur; quæ rebus quibusdam convenit factâ suppositione: & talis est in futuris contingentibus, quæ non præjudicat eorum contingentiæ.

9. *Nec præscientia Dei, nec ejus decretum præjudicat contingentiæ.*

Nota quartò: hîc à nonnullis solent proponi contra conclusionem variæ objectiones, petitæ tum ex præscientia DEI infallibili, quâ DEUS attingeret futura contingentia vera, si Enunciationes de futuris contingentibus essent veræ determinatè; ex qua præscientia, inquiunt, tolleretur libertas humana circa agibilia humana in tempore. Tum ex Decretis Divinis, à quibus penderent futura contingentia ut vera; quæ pariter læderent eandem libertatem. Verùm has difficultates exactè solvendas remitto ad Theologiam *tom. 1. tract. 1. & 2.* & pro aliquali tantùm lumine circa eas habendo, *ad primam* dico, etsi DEUS infinitâ suâ, & infallibili scientiâ præsciat futura contingentia vera; nō tamen idcirco lædi humanam libertatem circa agibilia in tempore; quia ejusmodi præscientia DEI se habet ut consequens, & relinquit effectum in suo proprio esse connaturali; imò subsequitur Decretum Divinæ Voluntatis de productione effectûs, & hoc positô scit primò effectum. Unde sicut Plato etsi videat ex domo sua Socratem loquentem; adhuc Socrates nō obstante tali visione, liberè loquitur; ita agens liberum adhuc in tempore liberè agit, etsi effectus prævideatur à Deo. *Ad secundam* dico, quòd Decreta DEI, à quibus pendent futura contingentia ut vera, non sint antecedentia determinationem causæ liberæ (talia enim læderent utique libertatem humanam) nec merè consequentia; quia tardè venirent: sed sunt concomitantia conditerminationem liberi arbitrij creati, seu voluntatis humanæ; quare præfatam voluntatem non tollunt: debet autem talis concomitantia Decretorum Divinorum refundi in continentiam eminentialem voluntatis creatæ in ipsa Voluntate Divina secundùm totam ejus virtutem, & indifferentiam agendi, ratione cujus statuere potest quidquid creata voluntas factura est in quolibet rerum ordine nullâ præmissâ Scientiâ Mediâ (PP. Societatis) de effectibus ab ea futuris; sed solâ simplicis intelligentiæ de effectibus ab ea possibilibus.

TRA-

TRACTATUS SEPTIMUS.

In Libros Priorum.

DISTINCTIO UNICA.

PRÆNOTATIO.

P*Hilosophus composuit quoque duos* Libros Priorum, *qui Græcè* Analytici, *seu de* analysi priori, *dicuntur: vocantur autem* Analiitici *priores, id est* resolutorij, *seu de* analysi priori, *hoc est de resolutione priori; quia Philosophus in eis resolvit, & agit de resolutione Syllogismi ut sic (qui est prior Syllogismô demonstrativô, de quo extant Analytici posteriores) in sua principia penes formam, id est debitam dispositionem propositionum in modo, & figura: contentas quæstiones horum librorum maxima ex parte jam expedivi in Dialectica Dist. 4. agendo ibidem de quidditate, materia, forma, divisione, figuris, modis, legibus, regulis, & reductionibus Syllogismi: quare in præsenti tractatu ea duntaxat afferam, quæ ibidem consultò omissa fuêre, utpote altioris indaginis.*

QUÆSTIO I.

An intellectus diversô actu assentiatur Conclusioni, & diversô præmissis Syllogismi; & de harum causalitate.

NOta primò: Syllogismus est quidã discursus, id est quidam quasi cursus, motus, & progressus spiritualis, quô ex noto tanquam à termino à quo intellectus progreditur ad ignotum tanquam ad terminum ad quem; unde in tali motu considerari possunt varij assensus; quia varia sunt ibidem objecta; puta assensus, quô attingit majorem, & assensus quô attingit minorem, quæ duæ propositiones vocantur *præmissæ*; & tandem assensus conclusionis. Meritò ergo quæritur, num intellectus actu syllogizans, & conclusionem inferens ex prmissis, eodem numerô actu assensûs assentiatur conclusioni ob præmissas actualiterr tunc propositas, & ipsis præmissis.

1. Intellectus assentitur diversô actu præmissis & conclusioni.

Dico primò: intellectus concludens in syllogismo assentitur diverso actu conclusioni, & diversô præmissis. Ita colligitur ex Scoto *1. Poster q. 1.* Et *8.* Et *q. 3. Prol.* Et *4. lateral.* Et sequuntur Lychet. Mastr. Tart. Columb: Ponc. Barg. & alij Scotistæ; Et Arimin. ac Aversa; contra D. Thomam, Durand. Occam, Gabriel Medin. Arriag. Ruvi. &c.

Probatur primò authoritate Philosophi; qui *1. Priorum cap. 1.* vocat conclusionem aliud quid à præmissis: Ergo censet eam esse alium actum assensûs, ab assensu præmissarum. Et *1. Post. cap. 1.* dicit, omnem notitiam discursivam fieri ex præexistenti cognitione; ex quo deducit notitiam conclusionis fieri ex præexistenti cognitione præmissarum: Ergo censet eam esse distinctum actum ab actu cognitionis, seu assensûs præmissarum.

Probatur secundò ratione: Tum quia reperitur notabile discrimen inter præmissas, & conclusionem; nam præmissæ sunt principia, & causæ conclusionis; conclusio verò est effectus: præmissæ, sunt priores, & notiores; conclusio verò posterior, & minùs nota: præmissæ quandoque sunt universales, & affirmativæ; conclusio verò quandoque particularis, & negativa; vel è contra: quod discrimen videtur arguere diversitatem actuum, & assensuum circa præmissas, & conclusionem: Ergo &c. Tum quia ex diversitate objectorum arguitur diversitas actuum: Sed præmissæ, & conclusio sunt objecta diversa; Ergo arguunt diversitatem actuum, & assensuum intellectûs circa eadem. Tum quia diversi habitus acquisiti præsupponunt actus diversos talium habituum productivos: sed habitus conclusionis, qui dicitur *demonstratio*, & habitus principiorum, seu præmissarum, qui dicitur *intellectus*, sunt diversi in intallectu syllogizantis; Ergo præsupponunt actus, & assensus diversos: & consequenter intellectus syllogizans assentitur diversô actu conclusioni, & diversô præmissis.

2. Oppositiones.

Objicies *primò*: Scotus adversatur conclusioni: Ergo &c. Prob. Ant. Scotus *1.* dist. *8. q. 4.* dicit, quòd veritas conclusionis sit quædam participatio veritatis principiorum, id est præmissarum: Ergo eodem assensu utraque attinguntur. *Secundò*, media, & finis eodem actu attinguntur; cùm media sint volita propter finem: Ergo etiam Conclusio, & præmissæ. *Tertiò*, potentia visiva uno actu tendit in objectum, & ejus rationem formalem videndi, puta in colorem, qui est objectum, & lumen, quòd est ratio videndi colorem: Ergo idem dicendum de intellectu respectu conclusionis, & præmissarum.

3. Repudiantur.

Respondeo *ad Primum* Neg. Ant. ad cujus Probat. glosso authoritatem Scoti, & dico eum *loc cit.* duntaxat velle, quòd veritas conclusionis virtualiter contineatur in veritate præmissarum; sicut effectus virtualiter continetur in causa; & propterea potest dici quædam participatio vetitatis principiorum, formaliter autem conclusio habet propriam veritatem. *At secundum* Neg. cum Scoto *3. dist. 28.* Consequentiam; disparitas est; quia in probabili sententia DD. in medijs, & fine repetitur unica ratio attingentiæ, scilicet unica bonitas; & ideo unico actu attinguntur ambo: at in conclusione, & præmissis est duplex veritas alterius rationis; illa enim est mediata, hæc verò immediata;

ta; hæc verò immediata; unde etiam duplex assensus statui debet. *Ad tertium* Neg. Conseq. disparitas est, quia lumen est ratio in qua videndi colorem: præmissæ vero sunt ratio ex qua cognoscendi conclusionem. Item præmissæ non sunt rationes formales vel objectivæ cognoscendi conclusionem; sed sunt rationes effectrices, ut infrà ostendam. Circa alterum articulum quæst.

Nota secundò: passim conveniunt DD. præmissas esse veras causas conclusionis, exercereque veram causalitatem in eandem; Et ratio est, quia conclusio fit à præmissis; unde consequenter dicit habitudinem effectûs ad eas. Sed discrepant in assignando in quo genere causæ præmissæ causent conclusionem. Quidam cum Rubione arbitrantur eas in genere causæ materialis influere: alij cum Arriaga, Moris. & Hurtado in genere causæ formalis. Sed

4. *Præmissæ sunt causæ efficientes conclusionis.*

Dico secundò: Præmissæ sunt causæ effectrices conclusionis, exercentes causalitatem in eam in genere causæ efficientis. Ita Scotus *1. Post. q. 2.* Et *q. 1. Prol.* Et sequuntur Tartar. Columb. Mastr. Maj. Et alij Scotistæ, ac Tolet. Complut. & Nominales.

Probatur: in præmissis adsunt omnia signa, ex quibus à posteriori arguitur aliquid esse alterius causam effectivam; nam primò præmissæ continent virtualiter conclusionem, ut habet Aristoteles *1. Poster. cap. 1.* deinde conclusio aliquò pactò assimilatur præmissis; nam ex certitudine, evidentia, veritate, qualitate, ac quantitate præmissarum metimur certitudinem, evidentiam, veritatē, qualitatem, ac quantitatem conclusionis. Tandem adest essentialis dependentia, ita ut si præmissæ non essent in intellectu, impossibile esset intellectum elicere conclusionem; quia conclusio ut conclusio dicit ordinem ad præmissas, à quibus accipit suam veritatem; & ideo est tertia operatio intellectûs; quæ etsi absque præmissis diceretur, non esset conclusio, & scientia, sed simplex propositio, & secunda operatio intellectûs; quæ omnia arguunt activitatem in præmissis respectu conclusionis; his enim rationibus Doctor *1. dist. 3. q. 7.* probat contra Henr. objectum esse partialem causam intellectionis: Ergo &c.

5. *Arriaga & Aversa rejiciuntur.*

Dices cum Arriaga, & Aversa: ex his solùm sequi, quòd præmissæ sint conditiones sinè quibus nō; vel quòd sint causæ in genere causæ formalis, illuminando, & determinando intellectum ad hanc, vel illam conclusionem. Respondeo Neg. assumptum; plus enim probant hæ rationes: & primò quòd non se habeant ut conditiones; quia conditio sinè qua non tunc requiritur, quando adest agens indispositum, vel impeditum, & illa conditio est quædam impedimenti ablatio, ideo non dicitur causa effectûs, ut patet in approximatione ignis ad lignum; at si agens, & patiens sunt debitè approximata, & nō impedita, si non sequitur actio, signum est, quòd agens non habeat adæquatam, & completam virtutem; sed petat suppleri ab alio; aliàs præcluderetur via omnis ad ostendendā activitatē causarum; quilibet enī dicere posset, causam secundā esse conditionem, & effectum solùm à prima pendere, ut in simili de objecto intellectûs discurrit Doct. *cit. dist. 3. q. 7.* Cùm igitur intellectus ex se non sit impeditus ad agendum, nec ad recipiendam conclusionem, si haberet completam virtutem producendi conclusionem, ipsam produceret etiam sinè præmissis, quod est falsum. Tum quia esse assimilativum, & virtualiter contentivum effectûs, non sunt attributa conditionis; sed veræ causæ.

6. *Præmissæ non sunt causæ formales extrinsecæ conclusionis.*

Nota tertiò: per has rationes etiam demonstrari præmissas non influere tantùm ut causas formales extrinsecas; hæ enim non influunt in effectum; sed si quam causalitatem exercent, hæc est erga intellectum ipsum determinando, & illuminando: Ergo conclusio non deberet necessariò assimilari præmissis, & per illas essentialiter distingui, uti fit. Tum quia, ut constat ex *lib. de anima*, unus actus vitalis potest physicè in alium influere; sic enim in opinione multorum volitio finis effectivè causat volitionem medij; ita in proposito assensus præmissarum assensum conclusionis. Tandem cùm intellectus non tantùm indeterminatus sit ad producendam conclusionem; sed etiam incompletus; ideo indiget speciebus ad sui completionem; & non tantùm illuminabitur à præmissis; sed etiam complebitur. Non nego tamen, præmissas non dici aliquomodo etiam causam materialem, & formalem conclusionis; dicitur enim materialis in quantùm termini conclusionis sunt termini præmissarum; formalis; quatenus præmissæ

sæ specificant conclusionem, quæ specificatio spectat ad genus causæ formalis.

7. Objectiones quadã tolluntur.

Objicies *primò*: In hoc enthymemate, *omne animal rationale est homo*: Ergo *Christus est homo*, consequens non causatur ab antecedenti; quia consequens, seu conclusio est de fide, & supernaturale; antecedens naturale; supernaturale autem non causatur à naturali: Ergo &c. *Secundò*: intellectus nequit elicere secundam operationem, nisi priùs habuerit apprehensiones terminorum; & tamen ex ista indigentia non arguimus causalitatem in prima operatione erga secundam: Ergo à pari hìc. Respondeo *ad Primum* in illo enthymemate subintelligitur hæc Minor, *Christus est animal rationale*, quæ in intellectu adest, licèt ore non proferatur; ideoque poterit illud consequens causare, quod non est de fide; sed potiùs conclusio Theologica. *Ad secundum* dico cum Scoto *3. dist. 23.* Neg. paritatem; quia magis dependet tertia operatio à secunda, quàm secunda à prima; quia præmissæ per vim illativam, & impulsivam inferunt conclusionem; non sic apprehensio terminorum; tum quia tertia specificatur essentialiter, & distingvitur per secundam; quia conclusio demonstrata per principia physica distingvitur essentialiter ab alijs de ijsdem terminis, sed per principia mathematica ostensa.

QUÆSTIO II.

Num, & quâ ratione Præmissæ sint priores conclusione in Syllogismo?

1. Præmissæ sunt priores conclusione.

DIco primò: Præmissæ sunt aliquomodo priores conclusione in omni Syllogismo. Ita communis Peripateticorum.

Probatur: Tum quia Philosophus passim profitetur præmissas esse priores conclusione. Tum quia præmissæ sunt veræ causæ conclusionis in omni Syllogismo, ut *priori quæstione* dictum est: sed causa est semper aliquomodo prior suo effectu: Ergo præmissæ sunt priores aliquomodo conclusione in omni Syllogismo. Tum quia conclusio quà talis dependet à præmissis: illud autem à quo aliud dependet, est prius dependente: Ergo &c. Sed

2. In quo Sẽsu sit sermo de præmissis ut priori bus.

Nota primò: Etsi DD. omnes aliquam prioritatem concedant præmissis præ conclusione; litigant tamen inter se, de qualitate talis prioritatis. Capreolus cum nonnullis alijs putat, eam esse prioritatem temporis, ita ut assensus præmissarum præcedat assensum conclusionis. Scotistæ verò communiter statuunt solam prioritatem naturæ. Observa autem hìc non esse sermonem de præmissis, & conclusione ut sunt quædam simplices propositiones seorsim sumptæ, & non dispositæ in figura, & modo Syllogistico; nam sic consideratæ præmissæ possunt esse tempore priores conclusione, & una præmissa fieri potest sinè alia, puta Major sinè Minori, & consequentia. Sed lis procedit de præmissis, & conclusione, ut sunt propositiones quædam substantes actuali artificio, & dispositioni Syllogisticæ, id est, ut sunt actu dispositæ inter se secundùm formam, & figuram, absque ullo obice interposito, an præmissæ priùs prioritate temporis, vel naturæ cognoscantur, quàm conclusio.

Nota secundò. præmissas, & conclusionem posse dupliciter considerari, fundamentaliter, & formaliter. *Fundamentaliter* seu materialiter, quando præmissæ considerantur secundùm proprias suas naturas, & ut à relatione causæ, & causati præscindunt. *Formaliter*, quando considerantur ut substant relationi causæ, & effectûs.

3. Præmissæ formaliter acceptæ sunt simul naturâ cum cõclusione.

Dico secundò: præmissæ, & conclusio formaliter sumptæ sunt simul naturâ in omni Syllogismo, fundamentaliter verò acceptæ sunt simul tempore; priores tamen naturâ sunt præmissæ, quàm conclusio. Ita Scotus *1. Poster. q. 8. & 9.* Et *q. 3. Prologi principali.* Et *4. Later.* Et sequuntur Viger. Columb. Tartar. Mastrius, Bellot, Herman, Lychet. & alij Scotistæ.

Probatur prima pars: præmissæ, & conclusio formaliter sumptæ sunt quædam correlativa in omni Syllogismo; quia præmissæ habent rationem formalem causæ, & conclusio rationem effectûs, quæ sunt correlativa inter se: sed ex Philosopho *cap. ad aliquid*, correlativa sunt simul naturâ: Ergo præmissæ, & conclusio formaliter sumptæ sunt simul naturâ in omni Syllogismo.

4. Fundamẽtaliter acceptæ sũt tempore simul cum cõclusione

Probatur secunda pars: præmissæ fundamentaliter acceptæ, & ordinatæ in actuali artificio syllogistico, ac non impeditæ sunt quædam causæ naturales effectivè, & actu influentes in conclusionem

in

in omni Syllogismo: Ergo sunt simul tempore cum conclusione; sicut sol non impeditus influit in aërem, lucem, & est simul tempore cum luce. Præterea experientiâ constat, expeditè syllogizantem eodem instanti temporis habere assensum præmissarum, & conclusionis.

6. Non autē naturâ.

Probatur tertia pars: Tum quia præmissæ sunt causæ propriæ conclusionis, & conclusio ab eis dependet in omni Syllogismo: sed omnis causa quâ talis dicit aliquam proprietatem, saltèm naturæ respectu sui effectûs; sicut & independens, respectu illius, quod à se dependet: Ergo præmissæ fundamentaliter acceptæ sunt priores naturâ, quàm conclusio in omni Syllogismo.

5. Objectiones.

Objicies *primò* contra secundam partem conclusionis: præmissæ, & conclusio fundamentaliter acceptæ important motum quendam, & progressum unius ad aliud: in omni autem motu datur prioritas temporis; quia ibi datur successio arguens prioritatem temporis unius præ alio: Ergo inter præmissas, & conclusionem fundamentaliter acceptas datur prioritas temporis; & consequenter non sunt simul in eodem instanti temporis. *Secundò*, intellectus humanus est limitatæ virtutis; & consequenter non potens cogitare plura simul; unde dicit philosophus *2. Top. cap. 9. loco 33. contingit plura scire; cogitare autem non*: Ergo præmissarum assensus, & cogitatio non est simul tempore cum assensu, & cogitatione conclusionis. *Tertiò*, Philosophus *2. Prior. cap. 26.* dicit, contingit cognoscere omnem mulam esse sterilem; & hanc esse mulam; & tamen dubitare, an habeat in ventre: Ergo tunc assensus præmissarum non est simul tempore cum assensu conclusionis.

7. Eliduntur.

Respondeo *ad Primum primò*; inter præmissas, & conclusionem fundamentaliter acceptas reperiri tantùm motum metaphoricum, qui propriè non arguit prioritatem temporis unius præ alio; unde intellectus unicô instanti temporis præmissas, & conclusionem cognoscit. *Secundò* dico; etsi concederetur etiã motus proprius inter præmissas; attamen ille progressus unius ad aliud, & successio unius post aliud tantùm requiritur in ordine ad construendas, & disponendas præmissas secundùm formam, & figuram; quando verò præmissæ jam sunt debitè dispositæ in forma, & figura eodem indivisibili instanti temporis, quòadhuc durant præmissæ dispositæ in intellectu, simul habetur assensus conclusionis; & hoc est tantùm, quod intendit conclusio. *Ad secundum* Dist. Ant. pro secunda parte cum Scoto: intellectus humanus non est potens cogitare plura simul, quæ nullam dicunt habitudinem, & ordinem ad se invicem Conc. Ant. & hoc est, quod tantum vult Philosophus *loc. cit.* quæ dicunt aliquam habitudinem, & ordinem invicem Neg. Ant. Itaque intellectus humanus potest plura simul cognoscere, quæ inter se ordinata sunt; sicuti ordinatæ sunt præmissæ, & conclusio; unde actu unicô comparativô possum cognoscere plura objecta, quæ ad invicem conferuntur: & ideo dixit idem Philosophus, in scientia plura simul cognosci. *Ad Tertium* glosso cum Scoto Philosophum, & dico eum capere illas duas propositiones, ut duas Enunciationes Solutas, simplices, & absque ulla applicatione, ac dispositione in forma syllogistica: non verò ut dispositæ sunt in figura, & modo ad ritè inferendam conclusionem; nam stante tali dispositione, intellectus non dubitat, an talis mula habeat in ventre.

QUÆSTIO III.

Num intellectus necessitetur ad inferendam conclusionem in Syllogismo, positô assensu præmissarum?

NOta primò: duplicem à Scoto *Quodlib. 16.* assignari necessitatem; scilicet contrarietatis seu specificationis, & contradictionis seu exercitij. Per *necessitatem contrarietatis*, seu *specificationis* intelligitur illa, quâ potentia aliqua necessitatur ac determinatur ad speciem determinatam sui actûs, ita ut si eliceat ullum actum circa objectum, ille actus debeat esse hujus speciei potiùs, quàm oppositæ; quamvis non simpliciter necessitetur ad ullum actum ponendum: hac necessitate necessitatur voluntas circa bonum operans; nam quamvis simpliciter non necessitetur ad ullum a-

1. Quid sit necessitas contrarietatis, & specificationis.

ctum

ctum ponendum; supposito tamen quòd velit circa bonum operari, & illud cognoscat ut tale, necessitatur ad ponendum potiùs actum volitionis, quam nolitionis. Per *necessitatem contradictionis*, seu *exercitij* intelligitur illa, quâ potentia ita est determinata ad unum specie actum circa aliquod objectum, ut non possit illum non elicere: hæc convenit omni potentiæ naturali respectu sui objecti debitè præsentis; v.g. potentia visiva debitè præsente objectò non potest non elicere actum visionis.

6. Quâ ratione voluntas sit regina potentiarum.

Nota secundò: voluntatem creatam humanam esse quidem reginam omnium potentiarum, & motricem in toto regno animæ, secundùm D. Augustinum *2. de lib. arbit.* ita ut omnes potentiæ organicæ, & inorganicæ eidem obsequantur aliquomodo: attamen eædem potentiæ plures elicere solent actus, in quos voluntas nullum exercere potest dominium, neq; illos impedire; sic motus primò primi earundem potentiarum non sunt sub potestate voluntatis, uti sunt subita ira &c. nec actus potentiarum naturalium sensitivarum, seu quinque sensuum, quando ipsis objecta sunt debitè proposita, & ipsæ careant omni impedimentò agendi; unde dixit D. Augustinus *lib. 2. de lib. arbit. cap. 15. non est in potestate nostra, quid visis tangamur*: & contradicente etiam voluntate, auris audit, & nares odores percipiunt. Quæritur ergo an etiam voluntas in actum intellectûs syllogizantis possit exercere aliquod dominium impediendo intellectum ne assentiatur conclusioni, postquam jam assensit præmissis; vel certè utrùm intellectus positò ejusmodi assensu præmissarum necessitetur ad inferendam conclusionem etiam contradicente voluntate.

7. Intellectus necessitatur assentire conclusioni supposito assensu præmissarum de rebus evidentibus.

Dico primò: intellectus in Syllogismo necessitatur tam necessitate specificationis, quàm exercitij ad inferendam conclusionem præstitò jam præviò assensu præmissarum de rebus necessarijs, & evidentibus, ita ut à voluntate nullâ ratione possit impediri. Ita Scotus *1. dist. 1. q. 4.* & alibi. Et sequuntur Lychet. Gad. Mastr. Columb. Ponc. atque alij Scotistæ; & Fonsec. ac Conimbri. contra Aversf. Ruvi. &c.

Probatur prima pars: Tum quia intellectus creatus humanus est potentia determinata ad cognoscendum objectum secundùm quod ipsi proponitur: Ergo si proponatur ei sufficienter ut vera conclusio, debet necessariò eam cognoscere ut veram; & consequenter si vult inferre aliquem actum, debet inferre talem speciem actûs veri; sicque necessitatur in Sollogismo necessitate specificationis ad inferendam conclusionem de rebus necessarijs & evidentibus. Tum quia voluntas, etsi sit potentia libera, tamen necessitatur necessitate specificationis ad velle bonum cognitum, suppositò quòd velit circa bonum elicere actum aliquem: Ergo à fortiori idem dicendum de intellectu, qui est potentia naturalis, & determinata, quòd is cognitis præmissis talibus necessitetur necessitate specificationis ad inferendam talem in specie conclusionem, v. g. veram de rebus necessarijs, & evidentibus, si aliquem actum conclusionis habeat.

Probatur secunda pars *primò* authoritate S. Augustini; qui *3. Dial.* ait, *ex duobus sententijs* (id est præmissis) *confessis illa summa sequitur, quæ jam necessariò concedatur. Et in Enchr. ad laur. 13.* dicit, *connexio ratiocinationis velut inevitabiliter compellit hoc dicere*: quæ verba intelligi possunt, tam de sequela necessaria, & inevitabili, quàm vocali: Ergo &c. *Secundò* authoritate Philosophi; qui definiens Syllogismum *1. Prior. cap. 1.* dicit, quòd *sit oratio, in qua quibusdam positis* (id est præmissis) *aliud quidpiam ab his, quæ posita sunt, ex necessitate accidit. eo quod hæc sint*: Ergo vult quod conclusio ex necessitate accidat; & consequenter intellectus necessitabitur in Syllogismo ad eam proferendam de rebus necessarijs, & evidentibus. Et *2. Physic. text. 89.* docet quod datis præmissarum assensibus intellectus simpliciter tendat in conclusionem: Ergo necessitatur ad eam ponendam in Syllogismo.

Probatur etiam ratione: Tum quia causa naturalis positis omnibus requisitis ad agendum agit, ita ut non possit impediri à voluntate; sic potentia visiva positò objectò debitè præsenti, videt necessariò colorem: Ergo etiam intellectus, qui est potentia naturalis, positò assensu præmissarum, & objectò conclusionis fertur necessariò in conclusionem; & consequenter necessitatur in Syllogismo necessitate exercitij ad inferendam conclusionem de rebus necessarijs, & evidentibus, ita ut nõ possit

possit impediri à voluntate. Tum quia intellectus non potest judicare aliqua duo esse unita tertio in creatis, & non judicare eadem esse unita inter se: Ergo postquam intellectus judicavit in præmissis necessarijs extrema conclusionis esse unita uni tertio, scilicet medio necessario, necessitate exercitij debet judicare ea esse unita inter se in conclusione; atque adeò necessitatur in Syllogismo ad ponendam conclusionem. Ant. patet; quia intellectus nequit dissentiri principio primo ex terminis noto, quale est illud in creatis, *quæcunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.*

4. *Rationes in oppositum.*

Objicies *primò*: voluntas, cùm sit regina potentiarum, potest impedire omnes potentias organicas, & inorganicas quoad earum actus ponendos: Ergo etiam intellectum, nè posito assensu præmissarum inferat necessariò conclusionem. *Secundò*, voluntas non necessitatur necessitate exercitij ad amorem DEI ponendum: Ergo neque intellectus ad ponendum assensum conclusionis. *Tertiò*, postquam intellectus assensit his duobus præmissis, *omne animal est sensitivum: sed omnis equus est animal*, non necessitatur ad inferendam conclusionem hanc directam in Barbara, *Ergo omnis equus est sensitivus*; sed potest inferre hanc indirectam in Baralip, *Ergo aliquod sensitivum est equus*: Ergo &c. *Quartò* voluntas potest causare cessationem assensûs præmissarum: Ergo tunc causabit suspensionem assensûs conclusionis, sicque non necessitatur intellectus.

5. *Refunduntur.*

Respondeo *ad Primum* Neg. Ant. ut patet ex *Not. 2.* & patet ampliùs in potentia sensitiva, seu appetitu sensitivo, quem voluntas impedire non potest, ut non exeat in aliquem actum concupiscentiæ circa objectum vehementer delectabile approximatum; & in actum tristitiæ circa objectum valde tristabile, nec potentiam vegetativam, ne exeat in actum vegetationis post assumptum alimentum. *Ad secundum* Neg. Conseq. Disparitas est; quia Voluntas est potentia libera; intellectus verò est potentia naturalis, quæ positis requisitis omnibus necessariò agit ad ponendam conculsionem præstitô prævio assensu præmissarum; sicut ignis necessariò comburit stupam sibi debitè applicatam. *Ad tertium* Dist. Ant. supposità apprehensione prævià conclusionis directæ in Barbara præ indirecta in Baralip. Neg. Ant. seclusâ tali apprehensione Conced. Ant. Itaque si intellectus postquam ponit illas duas præmissas apprehendat præviè conclusionem directam, & non indirectam, necessitatur necessitate exercitij ad inferendam conclusionem directam, aut è contrà. *Ad quartum* Neg. Conseq.; nam conclusio loquitur de necessitatione intellectûs stante, & perdurante assensu præmissarum; non verò cessante assensu earum; nam quando voluntas avertit intellectum ab assensu præmissarum (uti eum avertere potest) utique eundem etiam avertit ab assensu conclusionis; cùm hic ab illo pendeat.

1. *Similiter necessitatur circa res probabiles.*

Dico secundò: similiter intellectus in Syllogismo necessitatur utraque necessitate ad ponendam conclusionem positô jam previô assensu præmissarum de rebus probabilibus; modò nulla ratio falsi in oppositum appareat. Ita colligitur ex Scoto *3. dist. 25. q. 2.* Et sequuntur Mastrius, Bellutus, Poncius, & alij Scotistæ.

Probatur: nam etiam de rebus duntaxat probabilibus intellectus non potest judicare duo extrema conclusionis probabilis esse unita uni tertio, scilicet medio in præmissis; & non esse unita inter se in conclusione: Ergo necessariò debet judicare ea sic esse unita inter se; & consequenter intellectus necessitatur in Syllogismo utraque necessitate ad ponendam conclusionem in exercitio, & quidem talem in specie conclusionem, qualis ipsi proponitur cognoscenda, id est vera, vel falsa.

QUÆSTIO IV.

Varia circa Syllogismum resolvuntur.

1. *Non præ[illegible]itur cognitio, & judicium de bonitate illati onis ad assensum conclus.*

QUæres primò: an in cudendo Syllogismo præter assensum præmissarum prærequiratur etiam cognitio, & judicium de bonitate illationis ad assensum conclusionis? affirmat P. Poncius, & quidam alij. Sed. respondeo cum communiori probabiliùs negativè. Ratio est; quia bonitas illationis, & connexio

nexio veritatis conclusionis cum veritate præmissarum fundatur in illo principio per se noto; *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, per quod regulantur omnes syllogismi, & discursus: nam in virtute illius principij ex connexione extremorum in tertio in præmissis, infertur connexio eorundem inter se in conclusione. Statim ergo ac intellectus syllogizans percipit extrema esse unita in tertio, scilicet medio termino, eò ipsô manet determinatus ad judicandum ea esse quoq; unita inter se, & infert conclusionem; unde nulla alia cognitio bonitatis illationis, seu consequentiæ requiritur.

2. *Nullo ratione intellectus potest elicere assensum conclusionis sinè assensu præmissarum.*

Quæres secundò: an saltèm supernaturaliter possit intellectus elicere assensum conclusionis, sinè prævio assensu præmissarum? affirmat rursus Poncius, Arriaga, & Oviedo. Sed ego. Respondeo Negativè. Ratio est; quia assensus conclusionis quà talis in suo formali, & intrinseco conceptu includit dependentiam à præmissis, ita ut si ista propositio, Ergo *Plato est risibilis*, sinè dependentia à præmissis istis, *omnis homo est risibilis: Sed Plato est homo*, eliceretur, non esset dicenda conclusio; sed nuda, & simplex propositio. Præterea conclusio debet esse tertia operatio intellectûs, seu discursus: Ergo debet includere præmissarum prævium assensum. Nec ratio Poncij oppositum evincit; quòd scilicet assensus præmissarum, & conclusionis sint duo actus realiter distincti, ac proinde unus sinè altero possit esse. *Contrà* enim est; quia multa dantur realiter distincta, quæ tamen ex hoc capite non possunt esse sinè se invicem, sic totum physicum, & partes in sententia Scoti distingvuntur realiter; & tamen sinè se invicem esse nequeunt: item actus vitalis distingvitur realiter à potentia vitali; & tamen sinè ea quà talis existere nequit: Et relatio prædicamentalis distingvitur realiter ab extremis, sinè quibus existere haud valet.

3. *Conclusio est pars essentialis syllogismi.*

Quæres tertiò: an conclusio sit pars essentialis Syllogismi? Negat Avero. & Albert. Sed ego cum Scoto *quæst. 45. Elench.* Respondeo affirmativè. Ratio est *primò*; quia Philosophus *1. Prior. cap. 4.* conclusionem recenset inter partes essentiales syllogismi. Ratio est *secundò*; quia Syllogismus, ut patet ex ejus definitione alibi data, constat essentialiter tribus propositionibus: una autem ex his est conclusio: Ergo conclusio ut pars essentialis ingreditur Syllogismum. Accedit, quòd præmissæ sint veluti materia, & conclusio veluti forma hujus compositi logici, quod dicitur Syllogismus, ut habet Scotus. *q. 6. 1. Prior.* Ergo &c.

4. *Num detur enthymema in mente.*

Quæres quartò: an Enthymema sit specie distinctum à Syllogismo; seu ut RR. loquuntur an detur purum Enthymema in mente? affirmant quidam, eô nixi fundamentô, quòd reperiantur quidam discursus, qui essentialiter tantùm constant duabus propositionibus; cujusmodi est iste *omnis homo est animal rationale: Ergo aliquod animal rationale est homo*: Syllogismus autem constat essentialiter tribus propositionibus. Alij cum communiori negant. Rationem dant; quia Philosophus *2. Prior. cap. 27.* vocat Enthymema Syllogismum truncatum, & imperfectum: sed perfectum, & imperfectum non distingvuntur specie, ut patet de calore intenso ut quatuor, & calore intenso ut octo; item de albedine perfecta, & imperfecta: Ergo Enthymema non est specie distinctum à Syllogismo; & consequenter non datur purû enthymema in mente; sed in omni respicitur tertia aliqua propositio, virtualiter implicita, quàm respicit intellectus discurrens per Enthymema, v.g. in hoc Enthymemate, *omnis homo est vivens, Ergo omnis homo est animal*, respicitur implicita tertia ista propositio: *Sed omne animal est vivens*, à quâ dependet prima; utraque responsio est probabilis; & bene problematicè defendi potest hoc quæsitum.

5. *Divisio Syllogismi in Dialect. & Demonst. nō est generis in species.*

Quæres quintò: an divisio Syllogismi ut sic in Dialecticû, & Demonstrativum sit propriè generis in species? affirmant plures Dialectici recentiores. Sed cum Scoto *1. Prior. q. 6.* Respondeo negativè. Ratio est; ut resultet vera divisio generis in species, debent in membris dividentibus adesse differentiæ formales, & essentiales *1. Met. text. 43.* sed in Syllogismo Dialectico, & Demonstrativo non adsunt differentiæ formales, & essentiales; sed tantùm materiales, ratione scilicet propositionum, quæ sunt materia Syllogismi; ex eo scilicet, quòd propositiones Syllogismi Dialectici sint propositiones contingentes, Demonstrativi verò sint propositiones necessariæ: Ergo divisio Syllogismi ut sic in Dialecticum, & Demonstrativum non est generis in species.

6. *Objectio præcavetur.*

Nec obstat primò authoritas Philosophi; qui *1. Top. cap. 1.* vocat Syllogismum

ſmum Dialecticum, & Demonſtrativum ſpecies ſyllogiſmi ut ſic. Nam Philoſophus *loc. cit.* præfatos duos Syllogiſmos ſolùm vocat ſpecies largô quôdam modô, quatenus important differentias materiales, & conſtant materiâ differenti; ſcilicet propoſitionibus contingentibus, & neceſſarijs; etſi quoad rationes formales, & eſſentiales conveniant. Et ita etiam exponendus eſt Scotus, dum *3. diſt. 23. q. un.* Inductionem vocat ſpeciem argumentationis; Et hôc modô etiam Philoſophus alibi habitum, & diſpoſitionem vocat ſpecies Qualitatis ut ſic, etſi accidentaliter tantùm differant. Nec obſtat, quòd negatis his ſyllogiſmis ut ſpeciebus, nequeant aſſignari aliæ ſpecies Syllogiſmi ut ſic. *Contrà* enim eſt; quòd Syllogiſmo ut ſic pro ſpeciebus aſſignari poſſint quatuor illæ diverſæ argumentationes Syllogiſticæ, quæ conſtruuntur in Barbara, Celarent, Darij, & Ferio, ut bene advertit P. Mayr. & Tartaret.

TRACTATUS OCTAVUS.

In Libros Posteriorum.

PRÆFATIO.

IN Libris Posteriorum, *seu de* Analysi posteriori, *hoc est resolutione posteriori agit Philosophus in particulari de resolutione Syllogismi Demonstrativi, & resolvit ea, quæ demonstrationem, quæ posterior est Syllogismô ut sic, concernunt; unde & intitulationem* posterioris *hi libri sortiti sunt: Syllogismus iste est omnium nobilissimus, quia parit scientiam, tanquam effectum nobilissimum, quam olim Academici Plato, & Socrates negârunt, contra quos Peripatetici in isto Tractatu acriter decretant. De hoc Syllogismo etsi nonnulla in Dialectica* dist. 5. q. 1. *prolegomena attulerim; eadem tamen, & alia ibidem omissa fusiori examine hic perscrutari oportet; cùm exacta notitia Demonstrationis summè necessaria sit ad omnes facultates ritè capescendas. Unde sit.*

DISTINCTIO I.

De Demonstratione.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De quidditate; exiſtentia; & ſpeciebus Demonſtrationis.

1. *Quædã Philoſophi definitio Demonſtrationum.*

NOta primò: Demonſtrationem, & Syllogiſmum Demonſtrativum eſſe ſynonima: Ariſtoteles hìc *cap. 2. tex. 8.* aſſignat duas definitiones, explicantes quidditatẽ Demonſtrationis; quarum prima, quòd *ſit Syllogiſmus faciens ſcire*; hæc definitio data eſt per cauſam finalem, ut rectè obſervat Scotus *quæſt. 11. in lib. Poſter.* finis enim omnis Demonſtrationis eſt generare Scientiam in demonſtrante; unde Demonſtratio communiter à Philoſophis Peripateticis vocatur inſtrumentum ſcientificum; hæc definitio etſi ſit bona: attamen amplectendo ſecundam.

2. *Alia ejuſdem præfertur.*

Dico primò: rectè definitur à Philoſopho Demonſtratio, quòd *ſit Syllogiſmus conſtans præmiſſis veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, cauſiſque concluſionis.* Ita Philoſophus *loc. cit.* & Scotus *loc. cit.* Et ſequuntur Peripatetici omnes, ac Interpretes Philoſophi hìc.

Probatur: hæc definitio conſtat genere, & differentiâ, exprimitque ſufficienter naturam Demonſtrationis per cauſam materialem, oſtendens qualis debeat eſſe materia, ex qua elaborari debet Demonſtratio: Ergo &c. Ly *Syllogiſmus* eſt genus: reliqua ſubeunt rationem differentiæ, & continent conditiones omnes neceſſarias ad ritè inſtituendam Demonſtrationem. Singulæ porro particulæ hujus definitionis elucidatæ ſunt ſuprà in Dialectica *diſt. 5. q. 1.* quò reſpicere non gravetur Lector evolvens hanc quæſtionem; & ampliùs elucidabuntur hìc in progreſſu quæſtionum. Circa ſecundum punctum quæſtionis.

3. *Poſſũt fieri veræ demonſtrationes.*

Dico ſecundò: confici poſſunt veræ Demonſtrationes ſcientiam generantes. Ita Philoſophus hìc *cap. 1.* & communis Peripateticorum; contra Academicos.

Probatur afferendo varias Demonſtrationes: *primò*, vera eſt hæc Demonſtratio, *omne diviſibile in partes æquales, & inæquales eſt par, & impar: ſed omnis numerus eſt diviſibilis in partes æquales & inæquales: Ergo omnis numerus eſt par, & impar.* *Secundò*, vera quoque hæc eſt Demonſtratio: *Omne totum eſt majus ſuâ parte; ſed ulna eſt aliquod totum, & quatuor quadrantes ſunt ejus partes: Ergo ulna eſt major quôvis ſuô quadrante.* *Tertiò*, vera pariter eſt hæc Demonſtratio; *omne animal rationale eſt homo: ſed Plato eſt animal rationale: Ergo Plato eſt homo*: & omnes concluſiones harum Demonſtrationum ſunt ſcientiæ quædam: Ergo confici poſſunt Demonſtrationes ſcientiam generantes. Objectiones Academicorum ſolvam infrà agendo de exiſtentia Scientiarum. Circa tertium punctum quæſtionis.

4. *Duæ dantur ſpecies Demonſtrationis.*

Dico tertiò: duæ duntaxat extant ſpecies Demonſtrationis veræ, ſcilicet propter Quid, & Quia. Ita Scotus *Quodlib. 7.* Et ſequuntur Lychet. Gadi: Ponc. Maſtr. Colum. & alij Scotiſtæ; ac Zabarella cum RR. contra Avicennam, unam tantùm ſpeciem Demonſtrationis propter Quid adſtruentem; & contra Averroem ponentem tres, ſcilicet Demonſtrationem Quia, & Demonſtrationem propter Quid; & Demonſtrationẽ propter Quid, & Quia ſimul.

Probatur: Tum quia omne verum neceſſarium, aliàs ignotum nobis, duplici duntaxat modô poteſt nobis manifeſtari demonſtrativè: Ergo duæ duntaxat extant ſpecies Demonſtrationis veræ. Probat. Ant. tale verum neceſſarium ignotum aut poteſt nobis manifeſtari demonſtrativè à priori, id eſt per cauſam; & tunc habetur una ſpecies Demonſtrationis propter Quid: aut à poſteriori, id eſt per effectum, & habetur altera ſpecies Demonſtrationis Quia: nec ſupereſt ullus alius modus ignotum manifeſtandi demonſtrativè: Ergo duplici duntaxat modô poteſt nobis ignotum manifeſtari demonſtrativè. Tum qui Philoſophus has duas duntaxat ſpecies agnoſcit pro veris Demonſtrationibus, Demonſtrationem Quia. *1. Poſter. text. 30.* Demonſtrationem verò propter Quid *1. Poſter. text. 17. & 18.* Ergo &c. Tum quia Demonſtratio Quia (quam Avicenna eliminat ex claſſe ſpecierum Demonſtrationis) fuit origo ſcientiæ Philoſophicæ; quia ut dicit Philoſophus *1. Met. cap. 1.* homines ex effectuum cogni-

cognitione (ex qua procedit Demonstratio Quia) Philosophari cœperunt: insuper eadem Demonstratio generat veram scientiam: Ergo &c.

5. Oppositiones contra concl. Objicies *primò*: Philosophus *1. Poster. cap. 2.* videtur negare Demonstrationem Quia esse veram Demonstrationem: Ergo non debent statui duæ species Demonstrationis. *Secundò* S. Greg. Nazianzenus *Orat. 34.* ait, discursum ab effectu non esse scientiam: cùm ergo Demonstratio Quia sit discursus ab effectu, non erit scientia; & consequenter nec vera species Demonstrationis generantis scientiam. *Tertiò* potest aliqua res sciri non tantùm scientiâ propter Quid, vel Quia; sed etiam scientiâ propter Quid & Quia simul; taliter scitur hominem esse discursivum per scientiam propter Quid, & quia animal rationale est; & scientiâ Quia, quia actu ratiocinatur: Ergo statuenda est tertia species Demonstrationis.

6. Enodantur. Respondeo *ad Primum* exponendo Philosophum, & dico, eum tantùm velle, quòd Demonstratio Quia non sit tam perfecta Demonstratio, sicut Demonstratio propter Quid, quæ est species perfectissima Demonstrationis: cum quo stat, quòd sit vera Demonstratio: sicut etsi accidens comparatum cum Substantia sit imperfectius ens; est tamen verum ens. *Ad secundum* similiter dico, quòd S. Pater citatus tantùm velit, discursum ab effectu non esse scientiam tam perfectam, sicut est discursus per causam, seu Demonstratio propter Quid, quæ pro medio habet causam: etsi revera discursus ab effectu sit vera scientia; quia est cognitio certa, vera, & evidens. *Ad tertium* Neg. Conseq. quia merè per accidens est, quòd eadem res sciatur simul Demonstratione Quia, & propter Quid. Itaque quando res aliqua sic scitur, non nascitur tertia specialis scientia, ratione cujus statuenda esset tertia species Demonstrationis, distincta à præfatis duabus; quia non resultat tertia connexio necessaria, & essentialis rerum, præter scilicet connexionis causæ ad effectum; & effectûs ad causam, quæ reperiuntur in Demonstratione propter Quid, & Quia.

7. Definitur Demonstratio propter Quid, & Quia. Nota autem secundò: quòd Demonstratio propter Quid (quæ aliàs etiam Demonstratio à priori vocatur) bene describitur *esse illa, quæ procedit per causam proximam, & adæquatam tanquam per medium ad demonstrandam aliquam conclusionem*; ut si assumendo pro medio rationalitatem tanquam causam proximam, & adæquatam risibilitatis Platonis, sic discurram, *omne rationale est risibile: Sed Plato est rationalis. Ergo Plato est risibilis.* Demonstratio verò Quia sic aptè describitur, *est illa quæ procedit per effectum aliquem ad demonstrandam aliquam conclusionem*; ut si assumendo pro medio passionem, quæ dicitur effectus metaphysicus, v. g. risibilitatem Platonis, sic arguam; *omne risibile est rationale: sed Plato est risibilis: Ergo Plato est rationalis.*

QUÆSTIO II.

Quodnam sit medium idoneum Demonstrationis propter Quid; potissimæ; & Quia?

Jam dixi in mox allata sub *notab. 2. priori quæst.* descriptione Demonstrationis propter Quid, Medium Demonstrationis propter Quid esse causam adæquatam, & proximam inhærentiæ prædicati cum subjecto, seu majoris extremitatis cum minori extremitate: sed inquiritur ampliùs, num quodvis genus causæ deservire valeat pro conficienda ejusmodi Demonstratione: & an plura genera causarum simul hoc præstare valeant.

1. Quodvis genus causæ est aptum ad demonstrandum. Dico primò: quodvis genus causæ est idoneum medium ad conficiendam Demonstrationem propter Quid; imò plura simul inservire valent ad eandem numerò Demonstrationem. Ita Scotus *2. Post. q. 57.* Et sequuntur Scotistæ, ac Zabarella; contra Albert. Zabarell. & alios.

Probatur prima pars *primò* authoritate Philosophi, qui *1. Phys. text. 70.* ait, Physicum per omnia quatuor genera causarum scilicet materialis, formalis, efficientis, & finalis posse demonstrare à priori: Et *2. Post. 11.* clarè dicit, omnes quatuor causas tanquam medium ingredi posse in Demonstratione propter Quid. Ergo &c.

Pro-

Probatur secundò eodem pars ratione: discurrendo per singula quatuor genera causarum deprehendes, ea esse apta ad aliquam Demonstrationem cudendam; nam in genere causæ formalis anima v. g. sensitiva, idonea est ad demonstrandum esse sensitivum hominis; sic; *omne quod habet animam sensitivam est sensitivum: sed homo habet animam sensitivam: Ergo est sensitivus.* In genere causæ materialis materia prima apta est ad demonstrandum de corpore humano esse corruptibile sic; *quidquid constat materiâ primâ est corruptibile: Sed corpus humanum constat materiâ primâ: Ergo est corruptibile.* In genere causæ efficientis interpositio terræ idonea est ad demonstrandã Ecclypsim Lunæ hôc argumentô: *quandocunque inter corpus illuminans, & corpus illuminandum interponitur corpus opacum, causatur obscuratio seu Ecclypsis in corpore illuminando: sed per interpositionem terræ inter solem illuminantem, & Lunam illuminandam interponitur corpus opacum: Ergo tunc in corpore Luna causatur obscuratio, & Ecclypsis.* Et tandem etiam in genere causæ finalis apta est deambulatio ad sanitatis procurationem demonstrandum sic; *quod conducit naturæ, & sanitatem invehit, est exercendum ab homine; sed deambulatio post refectionem est ejusmodi: Ergo deambulatio est post refectionem exercenda*: Ergo quodvis genus causæ est idoneum medium ad conficiendam Demonstrationem propter Quid.

Probatur secunda pars: plures causæ diversi ordinis simul possunt ad eundem numerô effectum producendum concurrere; ut patet de causa prima, & secunda respectu productionis hominis: Ergo etiam plura genera causarum simul possunt inservire ad conficiendam eandem numerô Demonsttationem: & propterea ad eandem Demonstrationem: quòd creatura rationalis sit elicitiva actuum humanorum, seu moralium, inservire possunt tum causa finalis; quia videlicet creatura rationalis homo est ad beatitudinem ordinata; tum efficiens; quia ipsa est agens liberum.

Objicies contra primã partem primò: quòd assumitur pro medio idoneo Demonstrationis propter Quid, debet esse necessariũ; cùm Demonstratio hæc ex necessarijs procedat: sed causa materialis non est necessaria; quia ut habet Philosophus, materia est, quâ res potest esse, & non esse: Ergo genus causæ materialis non est idoneum medium ad conficiendam Demonstrationem propter Quid. *Secundò* medium Demonstrationis propter Quid debet præcedere effectum; cùm sit causa: sed genus causæ finalis non præcedit effectum: Ergo &c. *Tertiò* in Medio idoneo Demonstrationis propter Quid debet esse necessaria connexio: sed causa efficiens non necessariò connectitur cum suo effectu; quia potest esse efficiens v. g. pictor, & non esse effectus, v. g. pictura: Ergo &c.

2. *Objicitur varie.*

Respondeo *ad Primum* Neg. Min. & glossando Philosophum, dico, eum loqui de materia, ut usurpatur pro differentia individuali, quæ â Scotistis dicitur hæcceitas; non verò de materia partis, sivè physica, sivè metaphysica, sub quo ratione est unum ex quatuor generibus causarum. *Ad secundum* Dist. Min. genus causæ finalis non præcedit effectum in executione Conc. Min. in intentione Negat. Min. Itaque finis ordine intentionis præcedit effectum, quem causat; & sub hac ratione est vera causa, & aptum medium ad demonstrandum. *Ad tertium* Neg. Min. loquendo de causa Efficiente in actu, de qua procedit conclusio: causa enim actu Efficiens æquè necessariò connectitur cum suo effectu, ac quæcunque alia cum suo causato. Circa secundum articulum quæst.

3. *Sed respondetur.*

Nota primò: *Demonstrationem potissimam* appellari â DD. illam, quæ perfectissimam parit scientiam, scilicet in maxima certitudine, & necessitate, & est semper Demonstratio propter Quid; cum hoc tamen discrimine, quòd non fiat per omnia quatuor genera causarum, ut dixi suprà de Demonstratione propter Quid in communi.

4. *Quid sit Demõstratio potissima.*

Nota secundò: De Passione posse tres definitiones dari; primam formalem, in qua ponitur genus, & differentia circumscripta sivè per subjectum, sivè per terminum; talis est hæc, *Ecclypsis est privatio luminis in Luna â sole recepti.* Secunda causalis, in qua ponitur tantùm causa propria, & adæquata illius passionis; talis est hæc; *Ecclypsis est interpositio terræ inter solem, & lunam.* Tertia ex utraque integrata, & dicitur differre juxta Aristotelem â Demonstratione solâ termino-

norum positione, & situ; includit enim totum id, quod habet Demonstratio; talis est ista; *Ecclypsis est privatio luminis in Luna à sole recepti, causata per interpositionem terra.*

Dico secundò: nec definitio formalis passionis, nec integrata ex causali, & formali; sed causalis tantùm est medium Demonstrationis potissimæ. Ita Doct. *2. Post q. 56.* & sequuntur Tartar. Trombet. Mastr. Bellut. ac alij Scotistæ; & Amicus; contra Zabarell. Fabr. Cajet. Conymbr. &c.

5. *Definitio formalis non est medium in demonstratione potissima.*

Probatur prima pars: illud non est medium in Demonstratione potissima, quò cognitò adhuc contingit quærere, propter quid insit subjecto: sed cognitâ passione de subjecto per ejus formalem definitionem restat adhuc inquirendum, cur insit subjecto; talis enim definitio, quâ definio risibilitatem v. g. dicendo, est aptitudo ad ridendum, non est causa inhærentiæ passionis in subjecto: Ergo definitio formalis passionis non est medium potissimæ Demonstrationis.

6. *Nec integrata ex causali, & formali.*

Probatur secunda pars: quia illa adintegrata definitio non est una per se definitio, sed duæ; medium autem debet esse unum per se: Ergo non est medium potissimæ Demonstrationis.

7. *Sed causalis tantùm.*

Probatur tertia pars: illud est medium Demonstrationis potissimæ per quod satisfit quæstio *propter Quid* ex *2. Post. 8.* sed per causam Passionis satisfit quæstio ex *2. Post. cap. 1.* scientia enim quærit causam, cur passio insit subjecto, quâ cognitâ quiescit statim: Ergo causa, seu definitio causalis passionis est medium.

8. *Causa formalis.*

Dico tertiò: hæc definitio causalis non debet ex quocunque genere causæ constitui; sed solùm ex causa formali subjecti, ita ut sit definitio quidditativa subjecti, & quidem secundùm omnem partem; insuper debet esse causa metaphysicè effectiva passionis. Ita Scotus *cit.* & Scotistæ.

Probatur: quia aliæ causæ extrinsecæ v. g. Finalis, non constituunt propositiones universales per se in primo, vel secundo modo necessarias; quia etsi effectus per se sequatur ad causam; causa tamen non semper, vel saltèm non necessariò convenit subjecto, ut patet de interpositione terræ, quæ est causa Ecclypsis in Luna, & de figura sphœrica quæ est causa illuminationis successivè ejusdem: Ergo hæ causæ non possunt inservire pro medio Demonstrationis potissimæ.

Dixi *quidditativa secundùm omnem partem*; quia illud quod est principium, & causa aliorum, quòd sint talia, est maximè tale *2. Met. 4.* ut ignis est causa, cur alia sint calida, ideo ipse est maximè calidus; sed definitio subjecti est causa, cur alia sint media demonstrandi; nam quo magis aliquod accedit ad definitionem, tantò magis habet rationem demonstrandi, ut patet in passionibus essentialiter subordinatis, quarum prima est magìs demonstrativa, quàm secunda: Ergo cum Demonstratio potissima maximè demonstret, ideo & ejus medium debet esse maximè demonstrativum, quod est solum quidditativum secundùm omnem partem.

Dixi, & *insuper metaphysicè effectiva passionis*; ut ostendatur necessaria connexio passionis cum quidditate, quæ semper ad Demonstrationem potissimam requiritur; effectus enim Metaphysicus, sicut est passio, semper indispensabiliter connectitur cum sua causa. Circa tertiū articulum quæstionis.

9. *Mediū Demonstrationis Quia est passio, vel effectus.*

Dico quartò: Medium aptum Demonstrationis Quia est Passio, vel effectus, vel aliquid concomitans; dummodo hæc omnia necessariam habeant connexionem cum re demonstrata; hæc enim conditio erit necessaria utrique Demonstrationi. Ita communis Scotistarum.

Probatur: omnia enarrata in conclusione inserviunt ad venandam scientiam veram à posteriori: sic passio v. g. rugibilitas deservit ad sciendam essentiam Leonis; item respiratio ut effectus ad sciendum Petrum esse animal: item ignis ad sciendum calorem præsentem: Ergo &c.

QUÆSTIO III.

Singulæ conditiones præmissarum Demonstrationis explicantur.

Suprà *quæst. 1.* in definitione Aristotelica Demonstrationis quinque assignantur conditiones, quibus præmissæ Demonstrationis de-

bent esse modifiatæ, scilicet esse veras, primas, & immediatas; notiores; priores; & causas conclusionis; quæ etsi in Dialectica *dist. 5. q. 1.* tactæ sint; attamen uberiùs hìc evolvendæ sunt. Circa primam.

1. Præmissæ Demonstrationis debent esse veræ.

Dico primò: Præmissæ Demonstrationis debēt omnino esse veræ. Ita Scotus hìc *q. 11.* & communis Scholasticorum.

Probatur: Tum authoritate Philosophi conclusionem asserentis. Tum ratione; juxta communem regulam generalem logicalem, *conclusio sequitur debiliorem partem*, v. g. si una præmissarum est particularis, conclusio debet esse particularis. Ergo etiam si una præmissarum est falsa, conclusio debet esse falsa. Sed conclusio Demonstrationis nequit esse falsa; quia est scientia: Ergo omnes præmissæ Demonstrationis debent esse veræ. Præterea præmissæ sunt causa conclusionis veræ: Ergo ipsæ præcontinere debent veritatem, nemo enim dat, quod non continet aliquô modô.

2. Objectiones enervantur.

Objicies *primò*: secundùm Scotum *q. 15.* hìc, & Aristotelem *1. Prior.* aliquando ex falso sequitur verum; ut si aliquis sic syllogizet; *omnis lapis est animal: sed omnis homo est lapis: Ergo omnis homo est animal*: Ergo præmissæ Demonstrationis non debent necessariò esse veræ. *Secundò*, confici possunt Demonstrationes de Vacuo, de Ente rationis, & similibus, quæ sunt entia falsa, & nullam veritatem continentia: Ergo præmissæ talium Demonstrationum non sunt necessariò veræ; imò non possunt esse veræ; cùm veritas propositionis desumatur à veritate entis, seu objecti.

Respondeo *ad Primum* Dist. Ant. & explicando simul Scotum, ac Philosophum; ex falso sequitur aliquando verum per accidens Conc. Ant. per se Neg. Ant. Itaque ratione formæ syllogisticæ tantùm ex falsa aliqua præmissa sequitur aliquando veritas in conclusione, uti fit in allato exemplo: non tamen ratione materiæ, & per se. *Ad secundum* dicit Scotus, illas Demonstrationes, & scientias esse negativas; non autem positivas, quæ semper est ex veris: & de talibus loquitur conclusio. Dici etiam potest illa entia falsa habere suam veritatem objectivam; nam verissimùm est, Vacuum, & Ens rationis, non esse quid reale: quare propositiones asserentes ejusmodi non realitatem erunt præmissæ veræ. Circa secundam conditionem.

Nota primò: has duas dictiones *primas, & immediatas* non facere duas conditiones distinctas; sed unam; & significant, præmissas debere esse indemonstrabiles per aliud medium à priori, & in eodem genere; & ideo solent dici *propositiones per se nota*; eò quòd non habeant evidentiā ab alio; tales sunt *totum est majus sua parte: & homo est animal rationale.*

3. Præmissæ etiā debent esse primæ, & immediatæ

Dico secundò: Præmissæ Demonstrationis debent etiam esse necessariò primæ, & immediatæ. Ita Scotus *1. Post. q. 11.* & sequuntur Mastr. Bellut. Columb. Ponc. & communis Scotistarum, ac Arriaga, Hurtado &c.

Probatur *primò* authoritate Philosophi hanc conditionem postulantis pro præmissis Demonstrationis. *Secundò* ratione: Si præmissæ Demonstrationis non essent necessariò primæ, & imēdiatæ, possent ulteriùs demonstrari per alias primas, & immediatas: & hæ iterum per alias; & sic fieri posset processus in infinitum: sed hic est declinaodus: Ergo &c.

4. Ly immediata exponitur.

Nota autem secundò: non esse necessariùm semper, ut ambæ præmissæ sint *immediata*, & indemonstrabiles formaliter & actu; sed sufficit, ut sint immediatæ, & indemonstrabiles virtualiter ter ac finaliter (dummodo demonstrans sciat eas resolvere in principia formaliter indemonstrabilia; ut habet Scotus *1. Post. q. 11.*) unde dixit Philosophus *1. Top. cap. 1. Demonstrationem esse ex primis, veris, aut ex ijs, quæ deducuntur ex primis, & veris*: & patet in Demonstratione Quia, cujus præmissæ sunt tantùm primæ, & immediatæ virtualiter, ac finaliter continentur in virtute alicujus principij formaliter primi, & immediati; & sunt finaliter resolubiles in aliquas propositiones priores, ac indemonstrabiles â priori: & hoc sufficit ad veram demonstrationem, ut ex Aristotele *citato* docet Scotus *cit. quæst.* estque ratio ulterior; quia aliàs nulla daretur scientia subalternata: tales præmissæ virtualiter, & finaliter primæ, ac immediatæ sunt istæ, *homo est risibilis, & homo est flebilis, est admirativus &c.* quæ finaliter resolvi possunt in hanc formaliter immediatam, *homo est rationalis.* Circa tertiam Conditionem.

5. Debent etiam esse priores cō, clusione.

Dico tertiò: Præmissæ Demonstrationis pariter debent esse necessariò priores conclusione. Ita Scotus hìc *q. 11.* & *q. 13.* Et sequuntur Fuentes, Poncius, Colum. Mastr. & alij Scotistæ, ac communis.

Pro-

Probatur: Tum quia ita sentit Philosophus hìc. Tum quia ex præmissis procedit intellectus ad inferendam conclusionem: Ergo præmissæ sunt priores conclusione. Tum quia præmissæ sunt causa conclusionis: causa autem est aliquomodo prior suô causatô: Ergo &c. qualis porro sit ista prioritas suprà *tract. 7. dist. un. q. 2.* dictum est.

6. Et notiora.

Dico quartò: præmissæ similiter debent esse notiores, evidentiores, ac perfectiores conclusione. Ita Scotus hìc *q. 11.* & *q. 13.* quem præter suos sequuntur Conimbricen. & alij; contra RR. complures.

Probatur *primò* authoritate Philosophi; qui hanc quoque conditionem assignat pro præmissis Demonstrationis: Ergo &c. *Secundò* ratione; quia conclusio accipit suam evidentiam, perfectionem, ac notitiam à præmissis tanquam causis: Ergo ipsæ præmissæ debent esse evidentiores, perfectiores, & notiores, conclusione, juxta illud axioma Philosophi *1. Post. cap. 2. propter quod unum quodque, & illud magis*, supple, est tale. Quod axioma quidem universaliter, & in omni materia non verificatur: attamen adhibitis quatuor conditionibus (quas vide in Dialectica *dist. 5. q. 1. num. 6.*) in quibusdam materijs, & maximè in præsenti, est verissimum. Præterea illud, à quo aliud dependet, est nobilius independente, ut habet Scotus hìc *q. 13.* Sed à præmissis dependet conclusio quoad notitiam sui: Ergo præmissæ sunt nobiliores conclusione quoad notitiam; & consequenter notiores ipsâ.

7. Oppositiones.

Objicies *primò*: perfectius non ordinatur ad imperfectius: sed præmissæ ordinantur ad conclusionem: Ergo non sunt perfectiores conclusione; nec consequenter notiores. *Secundò* si in aliquo syllogismo construerentur duæ præmissæ de fide, sequeretur conclusio de fide, quæ esset æquè certa, ac ejus præmissæ: Ergo à pari etiam potest ex duabus præmissis notis sequi conclusio æquè nota; sicque præmissæ non necessariò sunt notiores conclusione.

8. Evacuantur.

Respondeo *ad Primum* Dist. Min. præmissæ ordinantur ad conclusionem tanquam quædam media ad finem Neg. Min. tanquam quædam causæ ad suum effectum Conc. Min. non est autem ullum inconveniens, causam tanquam perfectius ordinari ad effectum tanquam imperfectius. *Ad secundum* Neg. Ant. pro secunda parte: nam illa conclusio deducta ex præmissis duabus revelatis, seu de fide quà deducta non esset æquè certa; quia præmissæ acciperent suam certitudinem ex testimonio Divino, seu revelatione, quæ summam generat certitudinem utpote Divinam; conclusio verò ex deductione syllogistica, seu artificio syllogistico connexionis debitæ duorum extremorum cum medio in præmissis, & postea connexionis eorundem inter se in conclusione, humanā tantùm generat certitudinem.

9. Unde oriatur præmissas esse notiores conc.

Nota tertiò: quòd præmissæ sint notiores conclusione, provenire potest ex triplici origine; scilicet vel ex majori certitudine; vel ex majori evidentia; vel ex majori intensione graduum ejusdem rationis specificæ, hôc modô album v. g. ut quatuor est intensius albô ut unum. Et juxta omnes has tres origines semper præmissæ debent esse notiores conclusione: Et *primò* de certitudine majori patet; quia præmissarum certitudo originatur ex certitudine objecti, sicut cujusvis propositionis inde provenit: Certitudo verò conclusionis quà deductæ originatur ex certitudine præmissarum: Ergo certitudo præmissarum debet esse major; juxta illud, *propter quod unumquodque est tale, & ipsum magìs tale*; & consequenter præmissæ debent esse notiores quoad certitudinem. *Secundò* de majori evidentia (quæ est claritas major in cognoscendo opposita obscuritati) probatur; quia conclusio similiter sortitur omnem claritatem ex præmissis; item cognoscibilitas est im̃ediata ac perfectior; conclusionis verò mediata, & imperfectior: Ergo præmissæ habent majorem evidentiam, & consequenter sunt notiores quoad evidentiam majorem. *Tertiò* etiam de majori intensione ostenditur; quia præmissæ sunt causæ æquivocæ conclusionis, de quarum ratione est, quòd sint perfectiores essentialiter effectibus: Ergo præmissæ habent intensiorem rationem specificam, quàm conclusio; & consequenter sunt notiores quoad majorem intensionem. Circa quintam Conditionem.

10. Etiã causa conclusionis debẽt esse.

Dico quintò: præmissæ debent quoque esse causæ veræ conclusionis. Ita Scotus *q. 1. Prol. ad 2. pro Philos.* Et *1. Post. q. 8.* ubi præmissas appellat causas effectivas conclusionis: & sequitur communis Scotistarum.

Pro-

Probationes hujus conclusionis sufficientes adductæ sunt suprà *tract. 7. disp. un. q. 1. con. 2.* Quibus adde hanc: scire aliquam rem, est eam cognoscere per suam causam, ut habet communis doctrina Philosophorum: sed scimus conclusionem per præmissas: Ergo ut præmissa sunt causæ veræ conclusionis.

Nota quartò: Philosophum præter jam explanatas quinque conditiones in definitione assignata Demonstrationis contentas, adhuc alibi desiderare alias quasdam in præmissis ad eandem ritè constituendam, ut videre est *1. Post. cap. 4.* & easdem recenset Scotus hìc *q. 14.* ut videlicet præmissæ Demonstrationis sint necessariæ, ut sint de omni posterioristico, ut sint universales, & incorruptibiles, seu perpetuæ, id est æternæ veritatis, propriæ, & per se; quas omnes vide sufficienter à me explicatas, & probatas in Dialectica *Disp. 5. q. 1. à num. 8.* usque ad *num 10.* inclusivè.

QUÆSTIO IV.

De præcognitionibus; & præcognitis ad Demonstrationem requisitis.

Nota primò: per *præcognitionem* hìc intelligitur aliqua notitia prævia, quam quis priùs habere debet, ut ritè conficere possit Demonstrationem, & scientiam conclusionis in Demonstratione adipisci; *omnis enim doctrina* (inquit Philosophus *1. Post. cap. 1.*) *& disciplina dianoëtica fit ex antecedenti cognitione.* Per *præcognitum* autem intelligitur pariter id, quod prius cognosci debet, ante Demonstrationis structuram completam. Volens itaque Philosophus exhibere normam debitè demonstrandi, & aperire viam sciendi, docet quot sint præcognitiones, & quot præcognita; seu quæ sint præmittenda, & præcognoscenda.

1. Explanatur titulus quæst.

Dico primò: duæ sunt necessariæ præcognitiones ante Demonstrationem. Ita Scotus *1. Post. q. 4.* Et sequuntur Montursf. Columb. Tartar. Ponc. & alij Scotistæ.

2. Duæ præcognitiones sunt necessariæ ad demonstrationē.

Probatur primò authoritate Philosophi, qui *cap. 1.* hìc *text. 2.* asserit duas præcognitiones necessariò esse præhabendas ante Demonstrationem, ut videlicet demonstrans præsciat primò *an sit illa res*, seu subjectum, de quo fieri debet Demonstratio; secundò *quid sit*, id est qualem quidditatem, & naturam habeat illa res, vel subjectum: Ergo &c. *Secundò* ratione: nisi præfatas duas præcognitiones prius intellectus demonstrantis præhaberet, ignoraret, quid sit probaturus: Ergo duæ sunt necessariæ præcognitiones ante Demonstrationē. Prætereà quidditas rei, seu definitio essentialis, & formalis est medium in Demonstratione à priori; & talis quidditas supponit existentiam aliquam rei; Ergo utrumque debet intellectus demonstrantis præviè ad Demonstrationem præcognoscere.

Objicies: tot sunt necessariæ præcognitiones, quot sunt quæstiones præviæ: quia quæstio unum quærit, & aliud supponit; quod autem supponitur, est præcognitio; quia primò cognoscitur: sed quatuor sunt quæstiones præviæ ex Philosopho *2. Post. c. 1.* Ergo & quatuor necessariæ sunt præcognitiones. Respondeo Dist. Maj. tot sunt necessariæ præcognitiones, quot sunt quæstiones in genere Conc. Maj. quot sunt quæstiones in specie Neg. Maj. & similiter Disting. Min. sed quatuor sunt quæstiones præviæ in genere Neg. Min. in specie Conc. Min. & hoc est, quod tantùm vult Philosophus *cit. loc.* Itaque in genere sunt tantùm duæ quæstiones, scilicet *an res sit*, & *quid sit*, & de his tantùm præhaberi debet cognitio à Demonstrante: insuper aliæ duæ in specie, *si est*, & *propter quid est* etiam reducuntur ad has; prima ad *an est*; secunda ad *quid est*.

3. Objectio solvitur.

Dico secundò: tria quoque sunt præcognita necessariò præcognoscenda ante structuram completam Demonstrationis, scilicet subjectum, passio, & principia, seu præmissæ. Ita Scotus *1. Post. q. 4.* & alibi. Et sequuntur Scotistæ citati, & alij.

Probatur *primò* authoritate Philosophi, qui hìc *cap. 1.* præfata tria ut necessaria præcognita ante illationem conclusionis in Demonstratione postulat: Ergo &c. *Secundò* ratione: ut ritè conficiatur Demonstratio, & habeatur scientia per eam, debet prius sciri illud, de quo insti-

4. Tria præcognita sunt præcognoscenda.

instituenda est Demonstratio, & hoc est subjectum conclusionis scientificæ; item sciri debet illud, quod de subjecto demonstratur, & hoc est propria Passio subjecti, seu prædicatum; & tandem debet præcognosci principium, per quod fit talis Demonstratio; & hoc vocantur præmissæ, seu ut loquitur Philosophus *dignitas*: Ergo hæc tria præcognita necessariò sunt præcognoscenda ante structuram completam Demonstrationis. Præterea secundùm Philosophum hic *cap. 1.* ut quis debitam notitiam assequatur alicujus rei, debet ejus principia cognoscere; & hoc sufficit: sed talia principia sunt duæ præmissæ, & duo extrema conclusionis, scilicet subjectum, & prædicatum, seu passio: Ergo &c. Et Nota, quòd actus intellectûs, quibus intellectus demonstrantis attingit ista tria præcognita vocentur *prænotiones*.

5. *Objectio quædam extenuatur.*

Objicies: etiam medium Demonstrationis debet esse præcognitum ante conclusionem: Ergo quatuor præcognita necessariò sunt præcognoscenda. Respondeo Dist. Ant. etiam medium Demonstrationis debet esse præcognitum ut Quod Conc. Ant. ut de Quo Neg. Ant. Itaque medium est tantùm præcognitum ut Quod; nam de ipso ut de Quo nihil præcognoscitur, nec quid sit, nec an sit; aliàs daretur processus in infinitum in præcognitis: præcognita autem, de quibus loquitur conclusio, sunt præcognita de Quo; cujusmodi sunt tantùm tria enumerata in conclusione.

6. *De subjecto præcognosci debet quid sit, & quod sit.*

Nota secundò: de subjecto præcognosci debet *Quid sit*, & *Quod sit*; ut habet Scotus hic *q. 7.* id est quidditas subjecti, & ejus existentia; non quidem necessariò actualis; sed sufficit possibilis, vel non repugnantia ad esse in rerum natura. Ratio primi est, quia quidditas subjecti est medium demonstrandi passionem de subjecto in conclusione; cùm causet principaliter inhærentiam prædicati cum subjecto, in qua consistit conclusio: Ergo talis quidditas debet de subjecto præcognosci. Ratio secundi: quia non entis non est definitio, neque quid rei: sed de subjecto debet præcognosci quid rei: Ergo est ens; & consequenter habet *Quod sit*, seu existentiam. Ratio tertij est: scientia, quæ in Demonstratione acquiritur, est æternorum: sed subjectum secundùm esse actuale non est æternum; sed tantùm secundùm esse possibile: Ergo ejus existentia possibilis tantùm debet præcognosci, & non actualis.

7. *De passione verò quid nominis.*

Nota tertiò: de Passione præcognosci debet quid nominis, id est quid vocabulò tali significetur, & hoc tantùm, ut habet Scotus hic *q. 6.* Ratio primi est; quia nequit fieri, ut unum de alio ostendatur, si ejus nomen ignoretur; nam ignorato nomine res quoque per nomen significata ignoratur, ut insinuat Scotus hic *q. 4.* Passio autem ostenditur de subjecto in conclusione per propriam causam, v. g. risibilitas per rationalitatem in hoc argumento: *omne rationale est risibile; sed omnis homo est rationalis: Ergo omnis homo est risibilis*: Ergo de Passione præcognosci debet quid nominis. Ratio secundi est; de Passione non debet præcognosci *Quid rei*; hoc enim supponit, cùm existat: nec *Quod sit*, seu existentia, cùm in conclusione per demonstrationem concludatur: Ergo de ea præcognosci debet tantùm quid nominis.

8. *De dignitatibus quòd sint veræ.*

Nota quartò: de præmissis seu dignitatibus præcognosci debet, quòd sint veræ; ut habet Scotus *q. 5. in 1. Post.* Ratio est; quia præmissæ seu dignitates sunt causæ conclusionis: Ergo de ipsis præcognosci debet, quòd sint veræ. Deinde si quid aliud præcognosci deberet, forsitan *Quid sint*: sed hoc non: quia cùm præmissæ sint quid complexum, & aggregatum ex pluribus quid, quod non habet Quid simpliciter: Ergo solùm de eis præcognosci debet, quòd sint veræ.

Nota quintò: præcognita tria hactenus recensita, & explanata dici *præcognita proxima*, ad differentiam aliorum quorundam præcognitorum, quæ à Logicis statuuntur, & præcognosci debent ante Demonstrationem, & vocantur *præcognita remota*; suntque quædam axiomata, seu principia lumine naturæ nota; hujusmodi sunt illa, quibus tota ars syllogistica innititur; ut *dici de omni*; & *dici de nullo*; horum notitiam debet demonstrans præ oculis habere, ut ritè conficiat Demonstrationes.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De Circulo; & Regressu Demonstrativo.

1. *Quid sit Circulus.*

NOta primò: per *Circulū* intelligitur argumētatio circularis, id est talis in qua à duabꝰ præmissis fit progressus ad conclusionē; & è contra rursus à conclusione ad præmissas demonstrandas: unde sequitur, quòd ad hoc, ut contingat argumentatio circularis, seu Circulus, intervenire debeat duplex processus arguendi, seu argumentatio duplex; & secunda respectu primæ demum dicetur Circulus; v. g. si procedas sic; *omne animal rationale est risibile: sed omnis homo est animal rationale: Ergo omnis homo est risibilis:* & rursus è contra sic, *omnis homo est risibilis: sed omne animal rationale est homo: Ergo omne animal rationale est risibile;* iste secundus Syllogismus dicitur *Circulus*, seu circularis argumentatio.

2. *Quot modis possit fieri Circulus.*

Nota secundò: Circulum posse institui quatuor modis, uti advertit P. Tarteret. Major. & alij Scotistæ. *Primò* si fiat processus à causa aliqua ad effectū; & è contra ab effectu ad causam; uti contingit in exemplo mox allato in *1. not.* ubi per rationalitatem ut causam ostenditur risibilitas veluti effectus metaphysicus ejus, & è contra rationalitas per risibilitatem, ut effectum. *Secundò*, quando per unam causam in diverso genere ostenditur alia causa; talis contingit in istis duabus argumentationibus, *omnis syllogismus faciens scire, procedit ex veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, causisq; conclusionis: sed Demonstratio est syllogismus faciens scire: Ergo procedit ex præmissis veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, causisq; conclusionis. Et omnis Syllogismus procedens ex veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, causisque conclusionis est syllogismus faciens scire: sed Demonstratio est ejusmodi: Ergo Demonstratio est syllogismus faciens scire:* primus Syllogismus procedit per causam formalem; secundus verò per causam materialem. *Tertiò* quando aliqua conclusio materialis demonstratur pluribus Demonstrationibus, & per eandem, & conclusionem aliqua præmissarum rursus demonstratur. Istæ tres sortes Circuli passim conceduntur tanquam utiles, & bonæ ad circulariter syllogizandum, atq; argumentandum. *Quartò* fit, quando idem per idem eodem modô, & eâdem specie Demonstrationis ex immediatis demonstratur conclusio; v. g. si A. demonstretur per B. & iterum regrediendo per B. demonstraretur A. & utraque sit Demonstratio propter Quid. Hanc speciem argumentandi Philosophi communiter appellant *Circulum vitiosum*, & circulum simpliciter, ac formaliter.

3. *Quid sit Regressus.*

Nota tertiò: per *Regressum* Demonstratorium intelligitur illa specialis argumentatio, quâ fit progressus ab effectu ad causam, & à causa ad effectum; talis regressus fit, si quis probet; *hominem esse rationalem, quia est risibilis*; & rursus *eundem esse risibilem; quia est rationalis;* prior processus est Demonstratio Quia; secundus verò Demonstratio propter Quid. Differt à Circulo quartô modô sumpto; quia in Regressu sunt duæ Demonstrationes diversæ rationis; ut patet in mox allato exemplo; in Circulo verò simpliciter sunt duæ demonstrationes ejusdem rationis, & speciei, scilicet utraque est Demonstratio propter Quid: videtur tamen coincidere cum Circulo primô modô sumpto, ut suprà *not. 2.*

4. *Circulus tertio modo, & Regressus est admittendus.*

Nota quartò: tum Circulum sub tribus primis modis suprà *not. 2.* recensitis; tum Regressum Demonstrativum esse admittendum ut proficuum demonstranti, ut colligitur ex Scoto *1. Prior. q. 4.* Ratio primi est; quia revera causa à posteriori potest ostendi per effectum, v. g. rationalitas per risibilitatem, & è contra; & sic habetur Circulus primô modô: item secundùm Philosophum *2. Physic. 30.* causæ sunt sibi invicem causæ, ut ostendetur in Physica: & sic habetur Circulus secundò modò sumptus: de tertio nulla est difficultas: Ergo &c. Ratio secundi; Philosophus admittit Regressum; nam *1. de anima 11.* docet ex cognitione accidentium nos devenire in cognitionem essentiæ, quæ est eorum causa; & è contra. Deinde bona est ista argumentatio Regressoria, *omne risibile est rationale: sed omnis homo*

homo est risibilis: Ergo omnis homo est rationalis. Et rursus, *omne rationale est risibile: sed omnis homo est rationalis: Ergo omnis homo est risibilis.*

5. *Circulus vitiosus est repudiandus.*

Nota quintò: Circulum simplicem, seu quatrò modò sumptum non esse admittendum ut utilem, & idoneum ad demonstrandum; sed ut vitiosum, ac impossibilem repudiandum, uti colligitur ex eodem Doct. *1. Prior q. 4.* Ratio est primò: quia idem respectu ejusdem nequit simul esse priùs, & posterius; notius, & ignotius eodem: sed si admitteretur Circulus simplex, & formalis (seu ut alij loquuntur uniformis) idem respectu ejusdem esset simul prius, & posterius; notius, & ignotius eodem: Ergo talis Circulus non est admittendus. Prob. Min. præmissæ sunt priores, & notiores conclusione; in Circulo autem simplici, & formali conclusio per transportationem efficitur una ex præmissis, & præmissarum altera efficitur conclusio. Deinde est impossibile idem per seipsum demonstrari: sed si admittatur Circulus formalis, idem per seipsum demonstraretur: Ergo &c. Probat. Min. si v. g. A. esset causa B. & rursus B. esset causa A. etiam A. erit causa sui ipsius; quia quod est causa causæ, est causa causati, in eodem genere causæ: præmissæ autem nempe A. essent causæ conclusionis scilicet B.; & rursus conclusio esset causa præmissarum, quia per conclusionem præmissæ demonstrantur: Ergo conclusio B. esset causa sui ipsius; quia est causa suæ propriæ causæ; sicque idem per seipsum demonstraretur.

6. *Factum Philosophi interpretatur.*

Objicies: Philosophus facit Circulum simplicem, & formalem *2. cæli text. 59.* quando ostendit, stellas esse immobiles, quia sunt sphæricæ; & docet esse sphæricas, quia sunt immobiles: Ergo admittendus est talis circulus. Respondeo Neg. Ant. nam utraque illa Demonstratio non est propter Quid, & in eodem modo, ac specie; unde potiùs est Circulus secundò modò sumptus; vel Regressus demonstrativus, qui conceditur.

DISTINCTIO II.

De Effectu Demonstrationis, scilicet Scientia.

PRÆNOTATIO.

Quoniam à Demonstratione veluti fœcunda parente nascitur scientia ut perfectissima proles, mortalibus accepta, & grata; omnes enim homines, *teste Philosopho,* naturaliter scire desiderant; *idcirco post expeditam distinctionem de Demonstratione, hanc de Scientia subjiciam, atque ita libros Posteriorum complebo. Sit ergo*

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De quidditate; & existentia Scientiæ.

1. Quid sit scientia actualis, & habitualis.

Nota primò: omissis varijs acceptionibus scientiæ, hic agam de scientia in sensu rigoroso, prout est effectus Demonstrationis, & conclusio etiam ejusdem, juxta illud Philosophi *6. Ethic. cap. 3. scientia est conclusionum; intellectus verò principiorum.* scientia sic usurpata est duplex, ut advertit Scotus *1. Post. q. 1.* actualis, & habitualis. *Scientia Actualis* consistit in actu quodam intellectûs demonstrantis, & conclusionem certam ac evidentem inferentis. *Habitualis* verò consistit in habitu acquisito per repetitos actus scientificos; & sic potest bene describi, *est habitus intellectûs ex frequentatis actibus scientificis acquisitus facilitans intellectum ad scientificè operandum.* Circa actualem, de qua potissimè hic agitur.

2. Definitur sciẽtia actualis.

Dico primò: bene definitur scientia actualis perfectissima, quòd *sit cognitio certa, & evidens per propriam causam de objecto necessario habita per discursum Syllogisticum.* Ita colligitur ex Philosopho *1. Post. cap. 2.* Et habet Scotus ibidem.

Probatur: hæc definitio efformata est juxta leges bonæ definitionis: Ergo &c. Ly *cognitio* est genus, reliqua habent rationem differentiæ; & exprimunt quatuor conditiones requisitas ad hoc, ut aliqua cognitio dicatur esse vera scientia, quas breviter hìc elucidabo. Unde

3. Prima cõditio scientiæ est esse cognitionẽ certam.

Nota secundò: prima conditio est, ut cognitio scientifica sit *certa*: est autem certitudo firma intellectûs adhæsio alteri determinatæ parti absque formidine de opposito. Hujusmodi certitudo provenit *primò* ex ipsomet objecto, quatenus in se habet, ut simpliciter, & de potẽtia absoluta non possit aliter se habere: certitudo ex hoc capite resultans, dicitur intrinseca, & *metaphysica*. *Secundò* provenit ex alio capite, & dicitur extrinseca: quod potest contingere multipliciter, vel quia voluntas imperat intellectui, ut taliter judicet, & non aliter; eò quòd moveatur ex aliquo affectu, vel apparenti, seu varia ratione; quò modô Hæretici moventur ad pertinaciter adhærendum suis erroribus, ob apparentes rationes quasdam, suadentes illos errores. Vel quia judicat sic ob eminentem dicentis authoritatem; qua ratione articuli fidei maximam habent certitudinam ob revelationem DEI. Vel tandem quia videt hoc semper naturaliter evenire, judicat esse certum: & hæc dicitur *certitudo physica*.

4. Secũda est esse evidentem.

Nota tertiò: Secunda conditio Scientiæ est, ut sit cognitio *evidens*: est autem evidentia claritas cognitionis, quâ intellectus scientis clarè percipit veritatem objecti, ac connexionem prædicati cum subjecto; unde evidentia dicitur quasi *clara videntia objecti.* Hujusmodi evidentia ortum ducit ex necessitate objecti, quâ intellectâ intellectus illicò percipit connexionem prædicati cum subjecto, rationemque talis connexionis. Porro evidentia ejusmodi statui potest duplex, una ex parte potentiæ, alia ex parte objecti. *Prima* est claritas illa cognitionis jam expressa. *Secunda* est aptitudo aliqua in objecto manifestãdi se clarè, & distinctè intellectui, ita ut statim, ac intellectui objicitur, moveat illum ad sui cognitionem. Et hæc rursus alia est immediata, alia mediata. *Immediata evidentia* habetur, quando intellectus ex simplici apprehensione terminorum statim assentitur illi propositioni: & hæc est evidentia tantùm principiorum. *Mediata* habetur, quando intellectus propter aliud adhuc principium movetur; & hæc pertinet ad conclusionem, utpote quæ evidenter scitur propter præmissas.

5. Tertia est esse de objecto necessario.

Nota quartò: tertia conditio Scientiæ est, ut sit cognitio *de objecto necessario*: observat autem Scotus *1. dist. 3. q. 4.* & cum eo Mastrius, aliique Scotistæ necessitatem esse in duplici differentia; alia enim est necessitas simpliciter, alia secundùm quid. *Necessitas simpliciter* est illa, quâ res aliqua existit ita, ut non possit non existere. *Necessitas secundùm quid* tunc habetur, quando aliqua inter se talem dicunt habitudinem, ut unum includat aliud; quam observãns intellectus, terminos illorum componit unum de alte-

altero affirmando; seu ut sit essentia in objecto talis, quæ habeat passiones necessariò connexas cum illa: in proposito Scientia non debet esse de objecto necessario necessitate simpliciter; quia omnia entia, præter DEUM, sunt contingentia; sed bene necessitate secundùm quid.

6. Quarta est, si per discursum.

Nota quintò: quarta conditio Scientiæ est, ut sit cognitio *per discursum Syllogisticum habita*; quia scientia est cognitio rei per causam, secundùm Philosophum *1. Prior. cap. 2.* dicentem, *scire est rem per causam cognoscere, propter quam res est*; & quidem est cognitio discursiva, ac illativa in bona figura, & modo Syllogistico; cùm sit conclusio Syllogismi demonstrativi: & per hanc conditionem excluditur à ratione Scientiæ rigorosæ notitia principiorum, seu præmissarum, quæ dicitur intellectus. His conditionibus addi solet, quòd Scientia debeat esse *de objecto universali*; nam de singularibus creatis non datur scientia: Ratio est; quia scientia ostendit passionem de proprio, & adæquato objecto: hoc autem nequit esse singulare; aliàs alijs individuis non competeret. Dixi *de singularibus creatis non dari scientiam*; quia de singulari increato datur, puta de Essentia Divina. Similiter additur hæc alia, ut cognitio Scientifica *sit vera*: error enim, & falsitas nō sunt scientia. Circa alterum articulum quæstionis.

7. Possunt dari scientiæ.

Dico secundò: possunt dari multarum rerum scientiæ propriè dictæ in hisce sublunaribus. Ita Scotus *1. dist. 3. q. 4.* Et sequuntur omnes Peripatetici, & TT. contra Academicos (quorum principales sunt Pyrrhonici, Sceptici, Apporetici, & Ephectici; his novissimè adhæsit Hirnhaim in suo *Typho generis humani cap. 3*) negantes posse dari ullas scientias in hisce sublunaribus; eò quòd omnia sint subjecta mutationi, ac vicissitudini; Scientia verò debet esse æternorum, & impossibilium aliter se habere.

Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ; quæ varijs in locis concedit in mortalibus Scientias, sic dicitur de Beseleel Exod. *35. implevítque eum Spiritus DEI, sapientiâ, & intelligentiâ, & scientiâ*; qui proinde mediante habitu Scientiæ infuso utique potuit elicere actum scientificum, & veram Scientiam actualem efficere: & Prov. *18.* dicitur, *cor prudens possidebit scientiam*: Ergo possunt dari scientiæ propriæ dictæ in hisce sublunaribus. *Secundò* authoritate SS. PP. scientias ut possibiles in viatoribus admittentium; ut videre est apud S. Augustinum *lib. 2. contra Academicos.* Et *libro de vera Relig.* ex quo loco sic discurritur; qui dubitat an aliquid sciri contingat, se dubitare non dubitat; sed certus est; non est autem certus, nisi de eo, quod scit: Ergo ipsum, qui se scire dubitat, necesse est concedere, se aliquid scire. *Tertiò* authoritate Philosophi; qui *1. Post. cap. 3.* acerrimè refutat Academicos, possibilitatem Scientiarum negantes: & passim in suis operibus conficit varias Demonstrationes; uti & Euclides in suo Opere: sed conclusio in omni vera Demonstratione, sive sit propter Quid, sive Quia, est propriè dicta Scientia: Ergo possunt dari multarum rerum Scientiæ propriè dictæ in hisce sublunaribus.

Probatur etiam ratione: Tum quia experientiâ percipiunt doctiores homines, se habere multas cognitiones certas, & evidentes per discursum Syllogisticum deductas, v. g. *quòd omne totum sit majus sua parte*; item *quòd omnis triangulus habeat tres angulos*: item quòd *quodlibet est, vel non est*; item quòd *quidquid convenit essentialiter superiori, convenit etiam essentialiter inferioribus*; item quòd *omnis homo est rationalis* &c. Sed hujusmodi cognitiones certæ, & evidentes per discursum Syllogisticum deductæ sunt scientiæ propriè dictæ actuales: Ergo dari possunt scientiæ propriè dictæ actuales. Tum quia hominibus inest naturale desiderium, & appetitus sciendi: natura autem hujusmodi desiderium non frustra implantavit; sed in ordine ad effectum possibilem & satiativum talis desiderij, & appetitûs, qui est actualis Scientia propriè dicta: Ergo talis dabilis est. Tum quia (ut argumentô ad hominem utar) vel Academici cognoscunt certò, & evidenter, nullam posse dari Scientiam; vel non cognoscunt: si hoc cognoscunt: Ergo jam habent aliquam Scientiam, quòd scilicet non sit dabilis ulla Scientia; unde cum Socrate dicere valent, *unum scio, quod nihil scio.* si non cognoscant; sanè imprudenter cum tanta pertinacia, ac sinè ratione negant id, quod tot Doctores illustres veteres, & recentes affirmant.

8. Democritus opponens refutatur.

Objicit primò Democritus: intellectus hominis in his sublunaribus pendet à sen-

à ſenſibus, juxta illud Ariſtotelis *lib. de ſenſu, & ſenſato: dictum nihil eſt in intellectu, quin prius in ſenſu*: ſenſus autem in apprehenſione objectorum, & repræſentatione ſunt fallaces: Ergo intellectus nullam venari poteſt certam cognitionem & ſcientiam. Reſpondeo cum Scoto Diſt. Maj. intellectus hominis in his ſublunaribus pendet à ſenſibus ut ab occaſione Cōc. Maj. & hoc eſt tantùm quod voluit Philoſophus *cit.* dependet à ſenſibus ut à cauſa Neg. Maj. Deinde etſi etiã concederetur, intellectum dependere à ſenſibꝰ etiam ut à cauſa; tamen non omnis ſenſus eſt fallax in apprehenſione, & repræſentatione; ſed tantùm ſenſus malè affectus; bene autem affectus ſenſus non fallit. Et datô tandem quod etiam falleret; nunquid intellectus eundem poſſet corrigere?

9. Et Heraclitus rejicitur.

Objicit ſecundò Heraclitus: omnia in ſublunaribꝰ ſunt perpetuæ mutationi ſubjecta: Ergo certò cognoſci nequeunt, nec de ipſis haberi Scientia. Reſpondeo Diſt. Ant. omnia in ſublunaribus ſunt ſubjecta perpetuæ mutationi quoad exiſtentiam Conc. Ant. quoad eſſentiam Neg. Ant. Itaque res hujus mundi ſublunaris ſunt incorruptibiles, & immutabiles quoad ſuas eſſentias, unde de his haberi poteſt Scientia.

10. Et Cratillus.

Objicit tertiò Cratillus: omnia ſunt in perpetuo fluxu: Ergo ſicut nullus homo bis eundem numerò torrentem poteſt ingredi; ita nemo eandem rem bis poteſt cognoſcere; nec conſequenter de ipſa certam, & ſcientificam notitiam habere. Reſpondeo ut antè; res ſublunares quoad eſſentias non eſſe in ullo fluxu, immutante eaſdem; ſed ſunt ſubſiſtentes, & immobiles; ac conſequenter aptæ ad c[illegible]ſandam Scientiam.

11. Dantur ſcientiæ etiã de novo cõparatæ.

Dico tertiò: datur Scientia comparata de novo, & quidem per ſpecies acquiſitas virtute ſenſuum, ac intellectûs agentis; non autem per ſpecies infuſas, aut influxas ab Ideis, vel Intelligentia. Ita Scotus *1. diſt. 3. q. 4.* Et *2. Poſt. q. 1. & 2.* Et *Quodlib. 13.* ac communis Peripatet. contra Platonem, qui concedebat quidem contra Academicos Scientiam; non tamen de novo; unde dicebat dari Ideas in qualibet ſpecie v. g. humana, bovina &c. quarum quævis & generaret, & influeret neceſſaria ad cognitionem, id eſt ſpecies vel ſenſibiles, vel intelligibiles, juxta naturam cujuſvis ſpeciei; unde inferebat, quòd quivis homo in ſui creatione ſit ſapiens; ſed propter unionem animæ cum corpore obliviſcatur omnium ſpecierum intelligibilium; quando verò audit Magiſtrum docentem, nihil acquirit de novo; ſed tantùm reminiſcitur eorum, quæ oblitus fuerat. Et contra Avicennam, qui docet, nos intelligere per ſpecies infuſas, non ab ideis rerum, ut vult Plato; ſed ab Intelligentia, ita ut prima intelligentia doceat ſecundam, ſecunda tertiam, & ſic per ordinem uſque ad infimam, quæ poſtea ſicut eſt cauſa omnium ſublunarium quoad eſſe; ita etiam influat in homines Scientias rerum.

Probatur prima pars primò authoritate S. Scripturæ; nam in *S. Geneſi* referuntur primi artium, & Scientiarum inventores: Ergo hi Scientias de novo comparatas habuêre, & eas alijs de novo addiſcendas reliquêre. *Secundò* ratione: adhibentur de novo ſtudia ſub Magiſtris, & diſcuntur aliqua de novo, quæ priùs erant incognita: Ergo his adminiculis acquiritur de novo Scientia.

12. Non quidē per ſpecies infuſas, ſed acquiſitas.

Probatur ſecunda pars *primò* authoritate Philoſophi; qui hìc *cap. & text. 1.* dicit, omnem doctrinam, & omnem diſciplinam fieri ex præexiſtenti cognitione: item omnem noſtram cognitionem oriri à ſenſibus. Ergo Scientia, quæ eſt cognitio concluſionis, non eſt per ſpecies infuſas, vel influxas ab Ideis, vel intelligentijs; ſed per ſpecies acquiſitas virtute ſenſuum, ac intellectûs agentis. *Secundò* ſpecialiter contra Platonem; hæc opinio Platonica pugnat cum Fide orthodoxa; nam Conc. Braccarenſe docet, animas eſſe creatas in tempore; Plato autem docet eas eſſe ab æterno, & cum ipſis omnes cognitiones ſcientificas, atque dum corpora ingrediuntur, tantùm recordari cognitionum illarum: Ergo &c. Tandem hæc fabula Platonica nullum habet fundamentum reale, & ænergeticum: Ergo non eſt amplectenda.

13. Platonici expediuntur.

Objiciunt Platonici: fruſtra intellectus ſenſibus alligatus quærit rem antè incognitam, ut de illa Scientiam hauriat; ſicut Dominus quærit fruſtra mancipium fugiens, ſibi antea incognitum; quod etſi etiam occurrens haberet; attamen non cognoſceret: Ergo non eſt aſſerenda Scientia de novo. Reſpondeo Neg. Ant. & ad exemplum de mancipio fugitivo dico

Neg.

Neg. paritatem; disparitas est quia ad cognoscendum mancipium fugitivum, etiam occurrens, Dominus nulla habet principia prævia determinantia, & adjuvantia ad cognitionem talis mancipij; at intellectus sensibus alligatus habet principia determinantia intellectum ad cognitionem rei incognitæ, scilicet discursum artificialem, in quo propter conjunctionem duorum cum tertiò noto, potest inferre conjunctionem ipsorum inter se, antea sibi incognitam.

QUÆSTIO II.

De specificatione; & unitate Scientiæ; ejusque multiplicitate habituali.

1. Scientia specificatur ab objecto formali.

Dico primò: Scientia sumit specificationem, & unitatem ab objecto suo formali ac adæquato, ita ut illæ Scientiæ dicantur distinctæ, quæ habent objecta formalia, & adæquata distincta; illa verò una, quæ habant objectum formale adæquatum unum. Ita Scotus *6. Met. q. 1.* & communis Scotistarum, ac Aversa, Hurrado, Oviedo, Arriagæ &c. contrà Thomistas, qui specificationem Scientiarum statuunt penes variam abstractionem à materiâ; in qua explicanda multùm variant.

Probatur: à quo res aliqua accipit entitatem, ab eo etiam sumit specificationem, ac unitatem: sed Scientia sumit entitatem ab objecto formali, & adæquato: ab objecto enim, & potentia paritur notitia, inquit Philosophus: Ergo etiam specificationem, & unitatem. Deinde rectè concludimus Logicalem Scientiam esse distinctam à Physicali; quia Logica respicit aliud objectum formale, scilicet modum sciendi ut sic, ut dixi *tract. 1. Logicæ dist. un. q. 5. concl. 6.* & aliud Physica, scilicet corpus naturale ut naturale, ut dicā *tom. 2. tract. 1. dist. 1. q. 3. concl. 5.* Ergo Scientia sumit suam specificationem, & unitatem ab objecto formali adæquato. Tandem modus Thomistarum explicandi specificationem, & unitatem Scientiarum per ordinem ad variam abstractionem à materia, est omnino falsus; ut mox patebit in solutione doctrinæ Thomisticæ; & aliunde non suppetit alia via rirè colligendi distinctionem, ac unitatem Scientiarum; quàm per ordinem ad objecta formalia, & adæquata: Ergo ab eis petenda est specificatio, & unitas Scientiarum.

2. Thomistis respondetur.

Objiciunt Thomistæ: Scientiæ meliùs specificantur per abstractionem diversam à materia vel singulari, ut facit Physica, vel à singulari, & sensibili ut facit Mathematica, vel ab intelligibili, ut facit Metaphysica; quia modus iste Scotisticus ad investigandam specificationem Scientiarum non sufficienter explicat in particulari, quomodo omnes res sub una ratione communi objectiva formali conveniant, ut ab ipsa specificentur Scientiæ tanquam ab objecto formali. Respondeo Neg. Ant. & dico quòd per abstractionem, ac præcisionem Thomisticam non bene explicetur in particulari specificatio Scientiarum; quia illud poni debet ratio formalis specificativa Scientiæ, quod est ratio, cur objectum sit scibile, & cognoscibile à Scientia, sed talis non est illa præcisio; non enim per hoc, quod homo est ab individuis abstractus, iden est risibilis; sed quia est rationalis. Deinde tam bene Logica, quàm Metaphysica v. g. abstrahit ab omni materia: Ergo per ordinem ad talem abstractionem, quæ pluribus Scientijs convenit, non rectè explicatur ratio specificans Scientiæ. Tandem quandò dicunt Thomistæ, quòd modus Scotisticus non bene in particulari explicet rationem specificandi quamcunque Scientiam, dico; hoc ad Logicam non pertinere; sed ad unamquamque Scientiam in particulari; sic Physica docet finem ejus esse, considerare entia naturalia, ut conveniunt in hac ratione communi naturalitatis, quæ est ratio specificans Physicam: Musica docet finem ejus esse, considerare numerum, ut sonorum; & in gratiam hujus varias proportiones, & affectiones ponderat, & hæc est ratio specificans Musicam: Metaphysica contemplatur omnia entia secundùm rationes quasdam generales: Practica Scientia operationes ut dirigibiles in materia morali. Mathematica in communi habet considerare quantitatem sub ratione mensurabilis; quas omnes rationes speciales, & formales omnium istarum Scientiarum specificati-

cativas non debet tradere in particulari Logica; sed sufficit, quòd in communi doceat, specificationem universaliter desumi ex ipsa ratione formalis objecti, seu ab illa ratione, sub qua objectum dicitur esse objectum formale Scientiæ, quòd totum præstat modus Scotisticus assignatus.

Circa alterum articulum quæst. num Scientia totalis sit simplex aliqua qualitas; vel multiplex habitus aggregatus, variant DD. S. Thomas cum suis dicit, quamlibet Scientiam esse unum simplicem habitum, per primam demonstrationem illius Scientiæ acquisitum, qui facilitat intellectum non solùm circa illam demonstrationem; sed etiam circa omnes, quibus perficitur per quamdam extensionem. Sed

3. *Scientia nō est una simplex qualitas.*

Dico secundò: Scientia quævis totalis habitualis non est unus specie simplex habitus, seu una simplex qualitas; sed multiplex habitus aggregatus. Ita Scotus *6. Met. q. 1.* Et *q. 3. Prol.* Et *1. dist. 3. q. 7.* Et sequuntur Lychet. Bassol. Tartar. Meur. & communis Scotistarum, ac Nominales, & Blanc. Arriag. Suar. Tolet. aliique RR.

Probatur *primò*: Scientia Logicalis non est una simplex qualitas; sed aggregatum ex multiplici habitu Logicali; uti pluribus ostendi *tract. 1. Log. dist. un. q. 8. concl. 1. & 3.* Ergo à pari idem dicendum de quavis alia Scientia totali. *Secundò* ad Scientiam aliquam totalem habitualem causandam concurrunt plures specie distincti actus demonstrationum specie distinctarum; quia illi actus habent objecta specie distincta: Ergo Scientia totalis habitualis ab illis genita non est unus specie simplex habitus. *Tertiò* habitus est quoddam semen actûs, ad quem inclinat potentiam; semina autem specie differunt, si illorum fructus specie differant: Ergo &c. *Quartò*, & est ratio Scoti, potest quis habere primam conclusionem Scientiæ, & consequenter habitum facilitantem intellectum ad illam conclusionem; & tamen non esse ita facilis ad alias conclusiones eliciendas, sicut est ille, qui jam habet Scientiam totalem: Ergo ad eas eget novo habitu Scientiæ; & consequenter Scientia totalis habitualis ab eo tandem acquisita non est unus simplex habitus; sed aggregatum quoddam plurimum habituum particularium specie distinctorum, juxta objectorum distinctionem.

4. *Thomistarum rationes.*

Objiciunt Thomistæ *primò*: secundùm Philosophum *6. Ethic. cap. 7.* dicitur, Sapientiam esse Scientiam. Ergo quævis Scientia est unicus habitus. *Secundò*, est unicus habitus prudentiæ; etsi versetur circa plura distincta specie: Ergo idem dicendum de habitu Scientiæ. *Tertiò*, Scientia est species qualitatis ut sic: sed nulla species est collecta ex pluribus speciebus: Ergo neque Scientia ex pluribus speciebus habituum partialium.

5. *Enervātur.*

Respondeo *ad Primum* exponendo Philosophum *cit.* & dico, eum duntaxat dicere, Sapientiam esse Scientiam eminenter; quia ipsius munus est probare principia omnium Scientiarum; non autem vult sapientiam esse Scientiam formaliter, & utrumque unum simplicem habitum. *Ad secundum* Dist. Ant. est unicus habitus prudentiæ genere, seu unitate aggregationis, & ordinis Conc. Ant. unicus specie Neg. Ant. Itaque etiam habitus prudentiæ circa specie diversa versans est multiplex specie. *Ad tertium* Neg. Min. nam quando species est aliquod aggregatum, uti in proposito est quævis Scientia totalis, colligitur ex pluribus speciebus, id est ex partialibus entibus specie distinctis.

6. *Unitas scientiæ est aggregationis.*

Dico tertiò: unitas cujusvis Scientiæ totalis est unitas aggregationis, & ordinis, quæ tamen generica suô modô dici potest. Ita Scotus *1. dist. 3. q. 7.* Et *6. Met. q. 1.* Et sequuntur VanSichen, Ponc. Herman, & alii Scotistæ, ac Nominales, Hurtado &c. contra Thomistas, & P. Mastrium.

Probatur prima pars: Tum à paritate Logicæ, quæ est Scientia quædam totalis; habens unitatem duntaxat aggregationis, & ordinis; uti ostendi *tract. 1. q. 8. concl. 3.* Ergo idem à pari dicendum de quacunque alia Scientia. Tum quia quævis Scientia totalis est multiplex habitus, ut *priori conclusione* ostensum est: sed hi habitus specie distincti ob specificam distinctionem objectorum, & actuum, à quibus geniti sunt, nullam habent inter se unitatem unionis physicæ; cùm quilibet talis habitus sit species completa qualitatis, directè in prædicamento collocа-

Zz

locabilis; & consequenter impotens facere compositionem physicam per unionem physicam: Ergo habent tantùm unitatem aggregationis, & ordinis, quatenus scilicet omnes simul in intellectu constituuntur, & aggregantur cum aliquo ordine; id est, quia ordinantur ad unum, puta ad sciendum totaliter omnes conclusiones talis Scientiæ; sicut omnes milites in uno exercitu aggregato ordinantur ad impugnandum hostem.

7. Quæ ex generi ca dici potest.

Probatur secunda pars: objectum adæquatum cujuslibet Scientiæ est unum genere: Ergo ab eo Scientia sumere potest aliquam unitatem genericam: non aliam autem quàm aggregationis: Ergo unitas aggregationis dici potest generica. Præterea ab omnibus habitibus partialibus Scientiæ totalis aggregatis abstrahi potest conceptus unus genericè communis omnibus illis objectis: Ergo à tali unitas aggregationis Scientiæ vocari potest generica.

QUÆSTIO III.

De subalternatione Scientiarum.

1. Unde oritur dependentia, & subalternatio scientiarum.

Nota primò: *Subalternatio Scientiarum* est quædam positio unius Scientiæ sub alia; seu dependentia unius Scientiæ ab alia. Oritur autem ejusmodi dependentia ex triplici capite, unde & triplex solet statui subalternatio. *Primò* ratione finis, quando scilicet finis unius Scientiæ refertur ad finem alterius Scientiæ: ex hoc capite ars frænofactoria, & equestris subalternantur militari: & navifactoria navigatoriæ; nam navigatio est finis navis, & militia fræni, ac equitationis. *Secundò* oritur ratione objecti, quando videlicet objectum uniusScientiæ continetur sub objecto alterius Scientiæ; idque vel *essentialiter*, dum scilicet objectum subalternatæ contrahitur per differentiam specificam, & ut sic contractum continetur sub objecto subalternantis tanquam species sub genere; hâc viâ Metaphysica sibi subalternat omnes alias Scientias ratione sui objecti, quod est *Ens in genere* transcendens objecta aliarum Scientiarum. Vel *accidentaliter*, per hoc, quòd objectum Scientiæ subalternatæ addat differentiam accidentalem objecto subalternantis: hâc viâ Medicina subalternatur Physicæ; quia Physica considerat corpus naturale sub ratione naturalitatis; Medicina verò sub ratione sanabilitatis, quæ est differentia accidentalis, corporis naturalis contractiva. *Tertiò* tandem oritur ista dependentia ratione principiorum; quando nimirum principia unius Scientiæ demonstrantur ostensivè per principia alterius; adeóque illa dependent ab his tanquam conclusiones à præmissis v. g. principium hoc medicinæ *cõtraria contrarijs curantur* demõstratur per principium hoc Physicæ *contraria se mutuò expellunt ab eodem subjecto*: unde dici solet, *ubi desinit Physicus, ibi incipit Medicus*.

2. Definitur scientia subalternans, & subalternata.

Nota secundò: ex dictis Scientia subalternans sic potest bene describi; *est illa Scientia, quæ sibi subordinat aliam ratione objecti accidentaliter contracti, & ratione principiorum*. Subalternata verò sic, *est illa quæ alteri subordinatur ratione objecti, & principiorum*: v. g. subalternans Scientia est Physica respectu Medicinæ; subalternata verò est Medicina.

3. Conditio prima scientiæ subalternatæ.

Nota tertiò: in communiori sententia ad hoc ut una Scientia censeatur alteri verè subalternata, tres concurrere debent conditiones principales; ad quas aliæ, si quæ afferantur, reducuntur. *Prima* est, ut subalternata Scientia habeat pro objecto aliquid contentum sub objecto subalternantis; hæc conditio assignatur à Philosopho *1. Post. 20*, & est sic intelligenda, quòd si Scientia subalternata assumat aliquam speciem contemplandam, illa sub objecto subalternantis tanquam species sub genere contineri debet: vel si idem omnino subjectum consideret, super illud addere debet differentiam aliquam accidentalem, cujus exemplum suprà *nat. 1.* adduxi de differentia accidentali *Sanabilis*, sub qua ut superaddito Medicina considerat objectum Physicæ, scilicet corpus naturale. Ratio hujus conditionis primæ est; quia omnis conditio Scientiæ præcipuè ortum ducit ab objecto: Ergo si una alteri subalternetur, ac ab illa dependeat, necesse erit, ut objecta illarum quoq; sibi subalternata sint. Hæc con-

conditio elucet in Medicina, quæ subalternatur Physicæ; quia considerat idem objectum scilicet corpus naturale; sed sub ratione, & differentia accidentali differenti, scilicet *sanabilis*.

4. *Secunda conditio.*

Nota quartò: *Secunda conditio* Scientiæ subalternatæ est, ut differentia, quam addit Scientia subalternata supra objectum subalternantis, quod pariter contemplatur, sit merè accidentalis; ut colligitur ex Scoto *q. 3. Prol.* Et *3. dist. 24. q. 1.* non verò essentialis, ut arbitrantur nonnulli DD. Ratio hujus habetur primò ex philosopho, qui *1. Poster. 30.* docet, quòd subjectum Scientiæ subalternatæ debeat esse alterum, quod est accidentaliter differre ab objecto subalternantis; quia differentia essentialis facit aliud; accidentalis verò alterum, ex eodem Philosopho: *Secundò* si illa differentia superaddita esset essentialis, omnes Scientiæ dicerentur in rigore subalternatæ Metaphysicæ, quod tamen non conceditur. *Tertiò* sequeretur, quòd subalternata nō dependeret à subalternante; nam haberet principia propria immediata & per se nota, absque eo, quòd ea à Scientia subalternante mutuet; quia passiones de illo objecto demonstrabiles adæquatè dependerent ab illo cum tali differentia v. g. Scientia de homine habet propria immediata principia, non probata in alia Scientia; nam risibilitas adæquatè, & primò ab hominis quidditate fluit: sed sequela est falsa; quia Scientia subalternata dependet à subalternante, ut hàc præcisâ non haberet, unde suas conclusiones probaret; nec esset Scientia. Hæc conditio apparet rursus in Medicina subalternata, quæ addit differentiam merè accidentalem super objectum Physicæ subalternantis.

5. *Tertia conditio.*

Nota quintò: *Tertia conditio* est, ut principia Scientiæ subalternatæ demonstrentur in Scientia subalternante, & ut ejus principia sint conclusiones demonstratæ in subalternante, ac in eodem intellectu conveniant utraque Scientia. Hæc colligitur ex Scoto, *q. 3. Prol.* Ratio primi est; quia dependentia Scientiæ ratione objecti arguit quoque dependentiam in principijs, quæ virtualiter in objectis continentur: Ergo cùm Scientia subalternata dependeat à subalternante in ratione objecti, etiam dependebit in ratione principiorum. Ratio secundi est; quia propterea recipitur ab omnibus, maximè à Scoto illud dictum, *ubi desinit subalternans, ibi incipit subalternata*; Scientia verò quæcunque subalternans, desinit in conclusione: Ergo principia subalternatæ sunt conclusiones demonstratæ in subalternante. Et hoc patet ampliùs in hoc exemplo; nam postquam Scientia Geometrica fecit hanc Demonstrationem v. g. *omnis circulus habet latera æqualiter distantia*: *sed omne vulnus rotundū est circulus*: *Ergo omne vulnus rotundum habet latera æqualiter distantia*: accedit Scientia Chirurgica, & assumendo conclusionem hanc demonstratam pro principio, seu præmissa sic Syllogizat: *omne vulnus rotundum habet latera æqualiter distantia*: *sed omne vulnus habens latera æqualiter distantia est difficulter sanabile*: *Ergo omne vulnus rotundum est difficulter sanabile*. Ratio tertiæ partis est; quia ut ait Scotus, de ratione Scientiæ est, ut sit notitia certa, & evidens ex principijs certis, evidentibus, ac immediatis causata: sed notitia conclusionis alicujus subalternatæ in intellectu non habente Scientiam subalternantem, non est talis: quia certitudo, & evidentia conclusionis oritur à certitudine, & evidentia principiorum, quæ non sunt in illo intellectu, in quo non est etiam Scientia subalternans: Ergo ut sit talis requiritur, ut conveniat cum Scientia subalternata in eodem intellectu: unde Perspectivus non habens Geometriam, sed solùm cognoscens principia per fidem à Magistro ea tradente, non habet veram Scientiam Perspectivam subalternatam Geometriæ.

QUÆSTIO IV.

De subjecto, seu objecto Scientiæ.

1. *Quid sit objectū, & subjectum.*

Nota primò: in præsentiarum idem esse objectum, & subjectum Scientiæ. Est autē *subjectum* seu *objectum* id, circa quod Scientia versatur: dicitur *Objectum*, quod ethymologicè derivatur ab *objicio*, eò quòd subjectum, quod contemplatur Scientia, obijcia-

ijciatur, & offeratur intellectui Scientiam venanti, vel ipsimet Scientiæ, ut ab ea cognoscatur. Dicitur verò *subjectum*, vel in ordine ad passiones, quæ de ipso demonstrantur; vel quia quasi sustentat totam Scientiam, & est basis ac fundamentum ipsius. Objectum, & Subjectum Scientiæ genericè acceptum varias habet divisiones, scilicet in materiale, & formale; in adæquatum, & inadæquatum; in primum, & secundum; in motivum, & terminativum; in naturalis attingentiæ, naturalis inclinationis, & supernaturale &c. quas omnes vide debitè explicatas suprà *tract. 1. Log. dist. un. q. 5.*

Dico primò: Nulla Scientia potest probare demonstrativè à priori existentiam sui subjecti; bene tamen à posteriori. Ita Scotus *3. Elench.* Et *q. 3. Prol.* Et sequuntur Faber, Columb. Lychet. Mastrius, & alij Scotistæ, contra Tartaret. Bassol. & alios Scotistas quoad primam partem.

2. Nulla Scientia potest à priori demõstrare exi stentiã sui obiecti.

Probatur prima pars: subjectum est prius, & præsupponitur in quavis Scientia; est etiam notius in Scientia; cùm sit radix, primum consideratum, & receptaculum omnium, quæ ad eam quoquò modò pertinent: Ergo nulla Scientia potest probare demonstrativè à priori existentiam sui subjecti. Consequentia tenet; quia Demonstrativa probatio à priori debet procedere ex notioribus; adeoque cùm subjecto nihil notius sit in Scientia, illud à priori demonstrativè probari nequit. Confirmatur: quod est suppositum, & præcognitum in Scientia, non est quæsitum & ignotum: Sed subjectum est in Scientia suppositum, & præcognitum, juxta Philosophum *1. Post. cap. 1. text. 1.* Ergo subjectum non est quæsitum, & incognitum; & consequenter nec demonstrabile à priori.

3. Bene tamen à posteriori.

Probatur secunda pars *primò* ex Philosopho, qui *2. Physic.* probat demonstrativè à posteriori objectum, seu subjectum Scientiæ Physicæ, scilicet corpus naturale, per motum veluti effectum: Ergo Scientia potest probare demonstrativè à posteriori, id est per effectum existentiam sui subjecti. *Secundò*, objectum Scientiæ Theologicæ, scilicet DEUS, à posteriori potest à Theologia Demonstrari, ut habet Scotus *1. dist. 2. q. 2.* Ee patet ex illo Scripturæ, à *magnitudine speciei* (id est creaturæ, quæ est effectus DEI) *cognoscibiliter potest Creator horum videri*: Ergo idem dicendum de quavis alia Scientia, quòd à posteriori possit demonstrare existentiam sui subjecti.

Dico secundò: entia per accidens nequeunt esse subjectum debitum unius Scientiæ rigorosæ. Colligitur ex Scoto *2. dist. 3. q. 4.* Et *3. dist. 7. q. 1.* Et sequuntur Bargius, Mastr. Bellut. & alij Scotistæ, ac Alensis; contra Amicum Blanc. Hurt. Masium, & P. Meurif.

4. Entia per accidens nequeunt esse subiectum debitum Scientiæ.

Probatur: in entibus per accidens non reperitur una essentia, nec una passio, quæ sunt medium demonstrationis parientis Scientiam; sed multiplex essentia, & multiplex passio: Ergo nequeunt esse subjectum debitum unius Scientiæ rigorosæ. Tum quia, ut arguit Scotus, ens unum per accidens nequit de aliquo dici per se; nec de ipso potest aliquod prædicatum per se enunciari; sed scientia quævis est de propositionibus per se: Ergo nulla propositio scientifica potest formari de ente per accidens; & consequenter nulla Scientia de ipso haberi ut subjecto.

Dico tertiò: similiter entia singularia quà talia, Deò exceptò, non possunt esse per se primò subjectum Scientiæ. Ita Scotus *q. 3. Prol.* Et *2. dist. 3. q. 6.* Et communis Scotistarum; ac Amicus, Rubius, Aversa &c.

5. Nec entia singularia.

Probatur *primò* authoritate Philosophi; qui *3. Met. 53.* negat Scientiam de singularibus, quà talibus. *Secundò* ratione Doctoris *cit. 2.* entia singularia quà talia non habent definitionem, quæ ut medium posset inservire ad demonstrandas passiones; neque passiones peculiares ipsis quà singularibus convenientes: Ergo entia singularia quà talia non possunt esse per se primò subjectum Scientiæ. Ant. Probat. Definitio, & passiones sunt specierum per se primò; non verò individuorum, seu singularium: Ergo &c.

6. Exceptò DEO.

Dixi in conclusione, *Deò exceptò*, qui est ens singularissimum; quia cùm DEI essentia sit de se hæc, nec communicabilis pluribus cum sui divisione, ideo passiones, vel quasi passiones de ipso per se primò, & immediatè demonstrantur, ut patebit in Theologia.

Nota secundò: Scotum *q. 3. Prol.* inter cæteras qualitates subjecti alicujus Scientiæ etiam hanc assignare, quòd *ratio*

tio primi subjecti sit continere in se primò virtualiter omnes veritates illius habitûs, cujus est subjectum: de cujus sensu altercantur nostrates. Conveniunt autem omnes circa ly *primò*, quòd in dicta propositione Scotistica capiatur pro primitate adæquationis, ita ut idem sit continere primò, ac continere adæquatè: adæquatè autem continere est in continendo non dependere ab alijs; sed alia ab ipso, ita ut circumscriptô per impossibile omni aliô, adhuc contineret; & nihil contineat, nisi per ipsius rationem.

7. *Quid ly primò in illo axiomate ratio subjecti primi debet primo continere &c. dicat.*

8. *Multiplex continentia elucidatur.*

Nota tertiò: pro pleniori intellectu dictæ propositionis: continentiam aliam esse *essentialem*, quâ unum continet aliud in primo modo dicendi per se; sic definitum continet suam definitionem; item inferius suum superius. Alia est *potentialis*, quâ superius continet passiones suorum inferiorum; sic animal continet passiones hominis, & bruti. Alia *unitiva*, quâ unum continet aliud sibi realiter identificatum, formaliter autem distinctum; sic subjectum continet suas passiones, item anima suas potentias. Alia *virtualis*, quâ unum continet aliud in esse producibili ab ipso, id est quâ continens potest producere suum contentum in esse. Quia autem duplex est esse, scilicet reale, & cognitum; hinc duplex quoque est continentia virtualis, una quâ unum potest aliud producere in esse reali, sive in esse realis existentiæ, ut DEUS creaturam; altera quâ unum potest producere aliud in esse cognito; sic objectum continet evidentiam rei in esse cognito. Et quia rursus aliud est esse physicum, & aliud metaphysicum; propterea rursus quoq; alia est continentia virtualis physica alia metaphysica. Continentia virtualis physica est quâ aliud potest producere in esse physico, ut DEUS creaturam; Metaphysica, quâ unum aliud potest originare quoad esse metaphysicum, ut subjectum passiones, quæ pullulant ab ejus essentia. Alia tandem est *eminentialis*, quâ unum dicitur continere aliud perfectiori modô, quàm sit in se ipso; hâc aurum continet eminentialiter argentum, licèt argentum producere nequeat.

9. *Quid sint veritates mediatæ, & immediatæ.*

Nota quartò: veritates, quas subjectum Scientiæ secundùm Scotum dicitur continere, esse in duplici differentia; quædam enī sunt *imediatæ*, quarū aliquæ constant ex subjecto, ejusque definitione, ut *homo est animal rationale*, quas tale subjectū continet essētialiter actualiter; aliquæ verò integrantur ex subjecto, & passione, quas tale subjectum continet virtualiter, & hæ appellantur immediatæ immediatione causæ; quia causa earum immediata assignatur, ut *rationale est risibile*. Quædam verò sunt *mediatæ*, quæ constituuntur ex subjecto, & passione; vocantur *mediatæ*; quia earum immediata causa non traditur. est autem hìc sermo de passionibus intrinsecis, quæ præter subjectum nil aliud denotant; non verò de extrinsecis, quæ semper aliquid extrinsecum respiciunt, ut ecclypsibilitas Lunæ.

10. *Subjectū Scientiæ continet omnes veritates ejus.*

Dico quartò: rectè Scotus docuit, quòd subjectumScientiæ adæquatum contineat in se primò, & virtualiter omnes veritates illius habitûs scientialis, cujus est subjectum. Ita omnes Interpretes Scoti.

Probatur: quod continet omnes propositiones immediatas, & mediatas, continet virtualiter omnes veritates ejus Scientiæ, cujus est subjectum: sed subjectum Scientiæ adæquatum continet omnes propositiones immediatas; quia harum subjectum continet prædicatum, eandemque evidentiam: propositiones autem immediatæ continent mediatas puta conclusiones: Ergo subjectum Scientiæ adæquatum continet virtualiter omnes veritates ejus Scientiæ, cujus est subjectum. Præterea causa adæquata alicujus effectûs continet virtualiter eum effectum: sed subjectum est causa adæquata partialis habitûs Scientialis, cujus est subjectum: Ergo &c.

11. *Tam quoad esse reale, quàm esse cognitum.*

Dico quintò: subjectum Scientiæ adæquatum continet in se primò virtualiter veritates omnes talis Scientiæ tam quoad esse reale, quàm quoad esse cognitum. Ita colligitur ex Scoto *q. 2. lat. Prol.* & alibi, & sequuntur Columb. ac alij Scotistæ; contra Nominales.

Probatur de esse reali; subjectum continet quoad esse reale suas passiones, quæ in tali Scientia demonstrantur, cùm eas originet: Ergo etiam continet veritates fundatas in ejusmodi passionibus.

Probatur etiam de esse cognito: veritates in esse cognito dependent à subjecto Scientiæ, cùm veritas sit conformitas actûs cum objecto, seu subjecto: Ergo subjectum Scientiæ adæquatum continet in se primò

primò virtualiter veritates talis Scientiæ quoad esse cognitum.

12. *Subjectum Scientiæ debet esse necessarium.*

Dico sextò: subjectum Scientiæ adæquatum debet quoque esse necessarium necessitate secundùm essentiam, ita ut aliter se habere nequeat, quoad connexionem suorum prædicatorum essentialium inter se. Colligitur ex Scoto *1. dist. 3. q. 4.* & sequitur communis Scotistarum.

Probatur: Scientia habita de suo subjecto adæquato, debet esse vera, ac certa notitia: sed hujusmodi veritas, & certitudo supponit necessariam connexionem prædicatorum essentialium, & consequenter necessitatem quoad essentiam subjecti, nam vera non esset hæc conclusio scientifica, *Ergo omnis homo est rationalis*, nisi prædicata essentialia hominis necessariò connexa essent: Ergo subjectum Scientiæ adæquatum debet esse necessarium necessitate secundùm essentiam.

Dico septimò: ad subjectum adæquatum Scientiæ totalis omnia in tali Scientia considerata debent dicere ordinem, & aliquam attributionem. Ita colligitur ex Scoto *q. 3. Prol.* Et *6. Met. q. 1.* Et sequitur communis Scotistarum.

Probatur: Scientia totalis est quoddam ens artificiosum cum fundamento in rebus ipsis cognitis: Ergo omnes ejus partes debent esse inter se connexæ, & ad unum ordinatæ. Præterea omnia objecta partialia in Scientia totali assumuntur à Scientia in gratiam objecti adæquati. Ergo omnia dicunt aliquem ordinem, & attributionem ad ipsum. Tandem patet inductione omnium Scientiarum totalium, quòd ad earum objecta adæquata omnia in ipsis considerata aliquomodo referantur, attribuantur, & ordinentur; sic in Logica omnia objecta partialia referuntur, & attribuuntur syllogismo ut sic, vel modo sciendi ut sic, juxta variam ejus extensionem, & traditionem, de qua *tract. 1. Log.*; sic quoque in Physica, ut dicam *tom. 2. Scholæ Philosoph. tract. 1. dist. 1. q. 3.* omnia ad corpus naturale dicunt aliquem ordinem, & ad ipsum referuntur, vel ut partes componentes, vel ut passiones, vel ut principia passionum, vel ut opposita subjecto, quorum cognitio conducit ad subjecti exactam cognitionem, unde dicebat Philosophus in Postprædicamentis cap. de oppos. *eandem Scientiam esse contrariorum*; vel aliquò aliò modò; & præcipuè vel ut partes subjectivæ, vel ut principia, & passiones harum partium subjectivarum: Ergo ad subjectum Scientiæ totalis omnia in tali Scientia considerata debent dicere ordinem, & aliquam attributionem. Circa alterum articulum quæst.

Nota quintò: reliqua concernentia Scientiam, sparsim in alijs Philosophiæ tractatibus afferuntur: signanter de rationibus practici, & speculativi, quarum alterutrum participat omnis Scientia, egi suprà *tract. 1. Log. dist. un. quæst. 4.* à *not. 1.* usque ad *not. 5.* inclusivè; quo remitto Lectorem pro venanda completa notitia hujus distinctionis de Scientia.

TRACTATUS NONUS.

In Libros Topicorum.

PRÆFATIO.

In hoc postremo Tractatu hujus primi Tomi Scholæ Philosophicæ Scotistarum plura discutienda forent, quæ apud Philosophum & Doctorem in Topicorum libris proponuntur de Syllogismo probabili, seu Dialectico: Sed quoniam pleraque ex eis in Dialectica Dist. 5. examinata, & resoluta sunt; idcircò pauca duntaxat, ibidem prætermissa, hìc disquirentur.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

Quid sit Opinio; Fides; Dubium; suspicio; & Error; quæque eorum differentiæ?

1. Dicitur Opinio habitualis, & actualis.

Nota primò: Quoniam syllogismus Topicus constat præmissis opinativis, id est solam Opinionem, & probabilitatem continentibus; unde & syllogismus *opinativus*, ac probabilis dicitur; idcirco rectè hic inquiritur, quid sit Opinio. Dari autem Opinionem in intellectu hominis nemo dubitat: & habitualis existentiam ostendit Philosophus *1. Post. cap. 24.* actualis verò inde colligitur, quòd præter necessarias, etiam dentur in mente nostra propositiones contingentes, quibus potest subesse falsum, & quas mens elicit cum quadam formidine de opposito, quæ proinde sunt Opiniones actuales, seu assensus opinativi; talis est hæc propositio *omnis mater diligit suas proles.* Philosophus *cit. 1. Post. text. 44.* definit Opinionem actualem, quòd *sit existimatio, id est assensus, immediatæ propositionis, & necessariæ.* Sed clariùs

2. Definitio Opinionis.

Dico primò: bene definitur Opinio actualis, quòd *sit assensus determinatus de aliquo objecto cum formidine de opposito.* Est ad principia Philosophi *cit. loc.* & Scoti *3. dist. 24.* Habitualis verò Opinio erit habitus aliquis inclinans ad similes assensus opinativos actuales.

Probatur: hæc definitio ritè explicat naturam definiti, habetque cætera requisita pro bona definitione Ergo &c. Ly *assensus* est genus: reliqua subeunt locum differentiæ. Dicitur *assensus determinatus*, ut Opinio distingvatur à Dubio, quod neutri parti determinatum præbet assensum: sed fluctuat inter utramque partem contradictionis. Dicitur *de aliquo objecto*, ut ostendatur id, suprà quod cadit determinatio assensûs opinativi, quod est objectum, circa quod probabiles rationes pro & contra dantur. Additur *cum formidine de opposito* ad differentiam Opinionis à Scientia; nam Opinio versatur circa objectum variabile, quod aliter se potest habere, & ideo semper adest formido, uti patet in assensu hujus propositionis *omnis mater diligit suas proles*, cujus objectum aliter se potest habere; nam inveniuntur quædam Matres, quæ non diligunt suas proles, sed eas trucidant, etiam absque prævio baptismó; quare intellectus hunc assensum generalem, *omnis mater diligit suas proles* cum formidine enunciat, timendo ne oppositum ejus scilicet *aliqua mater non diligit suas proles*, verificetur.

3. Quid sit propositio probabilis intrinsecè, & extrinsecè.

Nota secundò: Opinionem actualem idem fermè esse, quod propositionem mentalem probabilem: est autem propositio probabilis illa, quæ quidem hîc & nunc ex motivo rationabili procedit, nullam tamen præsefert certitudinem, aut evidentiam, neque necessariam connexionem prædicati cum subjecto, tales sunt hæ, & similes, *honores sunt procurandi*, & *divitiæ sunt expetendæ.* Varios gradus propositionis probabilis vide declaratos suprà in Dialectica *disp. 5. q. 2.* Probabilitas alia est intrinseca, alia extrinseca. *Intrinseca* est, quæ fulcitur rationibus comprobantibus propositionem; *Extrinseca* est, quæ desumitur ab authoritate vel S. Scripturæ, vel legum, vel testimonio DD. v. g. S. Evangeliorum, Juris Canonici, & S. Augustini, Scoti, S. Thomæ. Circa Fidem.

4. Varia Fidei usurpatio.

Nota tertiò: Fidei vocabulum variè usurpatur. *Primò* accipitur pro veracitate, seu fidelitate in promissis servandis: hoc sensu procedit illud Scripturæ *1. ad Corinth. 10. fidelis est DEUS. Secundò* capitur pro conscientia, seu notitia, quam quis habet de eo, quod operatur: hoc sensu Jura appellant bonæ fidei possessorem illum, qui bonâ conscientiâ retinet aliquam rem. *Tertiò*, & ad propositum capitur pro assensu intellectuali, quô quis assentitur alicui propositioni ob authoritatem dicentis. Et in hoc sensu.

5. Definitio Fidei.

Dico secundò: rectè definitur Fides actualis, quòd *sit assensus firmus, & determinatus circa aliquod objectum ob testimonium dicentis fide digni.* Est ad principia Scoti *Quodlib. 14.*

Probatur: hæc definitio rectè explanat naturam Fidei ut sic, estque efformata juxta leges probæ definitionis: Ergo &c. Ly *assensus* est genus: reliqua statuuntur pro differentia. Dicitur *assensus firmus*, ut exprimatur tum potentia elicitiva Fidei, quæ est solus Intellectus assen-

assentiens; tum ut Fides differentietur à Dubio, & à suspicione. Dicitur *& determinatus* circa aliquod objectum, ad ostendendum Fidem nō esse ad actum iode- terminatum; sed determinatè elicitum de aliqua re. Apponitur *ob testimonium dicentis fide digni* ad distingvendam Fidem à Scientia, quæ innititur motivo Scientifico; Fides verò testimonio alicujus dicentis seu testificantis, rem ita se habere, sicut enunciatur.

6. *Quid fides increata, & creata.*

Nota quartò: quia autem testimonium est duplex scilicet increatum, quod infallibile est; & creatum, sub quo continetur Angelicum, & humanum; ideo duplex quoque Fides assignari potest, scilicet increata seu Divina, quæ fulcitur testimoniō DEI increatō; & creata, quæ innititur testimonio vel humano, vel Angelicō. De Divina fusè ago *tom. 4. Schol. Theolog. tract. 1. dist. 1. q. 1.* Et sequentibus. Circa Dubium

7. *Definitio Dubij.*

Dico tertiò: Bene decribitur Dubium, quòd *sit actus intellectûs quasi in æquilibrio pendens propter sufficientes utriusque partis rationes, nesciens cuinam parti debeat assentiri.* Est ad principia Scoti.

Probatur: Hæc descriptio debitè exprimit naturam Dubij, eamque distingvit ab alijs actibus intellectûs: Ergo &c. Ly *actus* est genus: reliqua sunt pro differentia: & patent ex ipsa terminorum claritate.

8. *Ejus divisio.*

Nota autem quintò: Dubium aliud esse positivum, aliud negativum. *Dubium positivum* est actus judicij intellectualis affirmans neutram partem sufficienter probari. Negativum est suspensio judicij sine actuali determinatione ad utramque partem contradictionis. Circa Suspicionem.

9. *Quid suspicio.*

Dico quartò: aptè describitur Suspicio, quòd *sit actus intellectûs, quô debiliter judicamus aliquid esse probabile; illi tamen nec assentimur, nec dissentimur.*

Probatur: quia meliùs explicari nequit Suspicio, & ex ipsis terminis claris patet hæc descriptio: Ergo &c.

10. *Differentia Opinionis, fidei dubij, suspicionis, & Scientiæ.*

Nota sextò: ex hactenus resolutis patent differentiæ Opinionis, Fidei, Dubij, & Suspicionis inter se, & à scientia. Nam Opinio differt à Scientia, quòd ipsa sit conjuncta cum formidine oppositæ partis; Scientia verò non, sed firmiter, & intrepidè adhæret suo objecto, ac uni parti. Ex eodem principio Dubium, & Suspicio differenciantur à Scientia: Fides verò ob eadem differt, quòd sit obscura; Scientia verò sit evidens. Opinio deinde discriminatur à Fide per hoc, quòd Fides pro motivo habeat authoritatem dicentis; Opinio verò non, sed aliud medium probabile: à Dubio autem distingvitur, quòd Opinio sit determinata ad unam partem; Dubium verò non, sed pendet quasi in æquilibrio. Fides differt à Dubio; quòd Fides nitatur necessariò testimoniō dicentis; Dubium autem non. Suspicio etiam differt ab Opinione, quòd assensus Opinionis cadat directè super objectum; non verò reflexè super probabilitatem objecti, sicuti fit in actu Suspicionis: & ob eandem rationem differentiatur à Dubio, & à Fide. Error tandem ab his omnibus differt per falsitatem, quam importat.

11. *Quid sit error.*

Dico quintò: Error bene describitur, quòd *sit actus intellectûs, quô falsum pro vero judicat.*

Probatur: hæc descriptio bene exprimit naturam erroris intellectualis: Ergo &c. Ly *actus* est genus: reliqua ponuntur pro differentia.

12. *Quomodo connectatur cum opinione.*

Nota septimò: formido, quæ se tenet ex parte actûs opinativi, vel est de essentia Opinionis; vel saltèm est proprietas ejus; vel modus intrinsecus. Ratio est; quia formido indispensabiliter est connexa cum actû opinativo quà tali; imò per eam differt Opinio à Scientia: Ergo est vel de ejus essentia; vel proprietas; vel modus intrinsecus Opinionis.

13. *Et obscuritas cum fide.*

Nota octavò: obscuritatem quoq; saltèm esse proprietatem Fidei. Ratio est; quia & hæc concomitatur indispensabiliter omnem actum Fidei, eumque reddit inevidentem, & ænigmaticum; cùm propositiones creditæ provenientes à testimonio dicentis ex terminis non pateant; neque determinent intellectum ad assentiendum: unde Fides Divina in S. Scriptura 1. *ad Cor. 13.* vocatur *visio per speculum in ænigmate* ob hujusmodi obscuritatem annexam.

QUÆSTIO II.

Num Opinio, & Scientia possint esse simul in eodem intellectu de eodem objecto?

Dico

1. Habitus Opinionis, & Scientiæ possunt esse simul.

Dico primò: habitus Opinionis, & Scientiæ possũt naturaliter quoad entitatem esse simul in eodem intellectu de eodem subjecto. Ita colligitur ex Scoto *3. dist. 24.* q. un. & sequuntur Lealis, Poncius, & alij Scotistæ, ac Conimbr. Fonseca, Ruvius, atque alij RR. contra Cajetan. Levan. Complut. Alensem. & S. Thomam &c.

Probatur primò: habens habitum Scientiæ de aliqua conclusione, potest eandem, quando non proponitur ipsi per medium scientificum, probare per medium probabile opinativum, aut assentiri ipsi propter dictum viri sapientis, & tunc repetitò tali assensu producere habitum Opinionis; sed in tali casu non perderet habitum Scientiæ; quia postea occurrente medio scientifico adhuc experiretur se facilem ad assentiendum scientificè tam bene, quàm si produxisset illum habitum, vel actum Opinionis: Ergo actus Opinionis potest stare cum habitu Scientiæ.

Probat. secundò: potissima ratio, ob quam repugnarent habitus Scientiæ & Opinionis, est, quia essent principia actuum oppositorum determinativa intellectum ad actus claros, & obscuros inter se incomponibiles: sed hæc ratio non urget; Ergo &c. Prob. Min. naturaliter defactò ego habeo principium actuum oppositorum; quia voluntate meâ possum elicere amorem, & odium; item possum habere habitum intensissimum temperantiæ, & deinde elicere aliquos actus intemperantiæ, qui suum habitum producent, in tali casu habitus temperantiæ multùm intensus stat cum remisso habitu intemperantiæ, & tunc utrôq; potero tanquam principijs diversis producere aliquos actus temperantiæ, & aliquos intemperantiæ: Ergo à pari cùm nõ plus opponantur habitus Fidei Scientiæ & Opinionis poterunt stare simul ut diversa principia actuum oppositouum.

2. Objectio dissolvitur.

Objicies primò: albedo, & nigredo sunt connaturaliter incompossibiles in eodem subjecto; quia natæ sunt causare effectus incompossibiles, scilicet disgregare, & congregare visum: Ergo cùm habitus Scientiæ & Opinionis hujusmodi effectus producant, non stabunt simul in eodem subjecto. Respondeo argumentum esse pro conclusione; quia albedo, & nigredo possunt esse simul in eodem subjecto in gradu remisso naturaliter; quod sufficit pro assertis habitibus, licèt non in summo. Deinde est disparitas manifesta; quia albedo non posset applicari ad suum effectum, quin & nigredo applicaretur, adeoque in tali casu una alterius destructionem inferret: sed positis duobus habitibus Scientiæ, & Opinionis ejusdem conclusionis in eodem intellectu posset applicari unus ad suum effectum, & non alter; posset enim occurrere medium demonstrativum, non propositô probabili, & sic uterque suo tempore posset habere effectum suum.

3. Replicæ expediuntur.

Dices primò: Ergo semper stabunt simul habitus Scientiæ cum opposito habitu Opinionis. Respondeo Neg. illatum; quia actus frequentati Opinionis producunt tandem habitum Opinionis intensiorem, qui est formaliter expulsivus habitus Scientiæ.

Nota hìc primò ex Scoto *3. dist. 33.* actum oppositum non corrumpere formaliter habitum oppositum; quia non est forma formaliter contraria habitui; sed virtualiter tantùm, quatenus producit habitum, qui postea formaliter destruit habitum oppositum, & sic oppositus habitus destruitur, quomodo producitur prius; id est non totaliter, sed paulatim.

Dices secundò: species impressæ contrariæ in summo possunt naturaliter esse simul in eadem potentia: Ergo & habitus oppositi: Ergo unus alium paulatim non destruit. Respondeo Neg. Conseq. disparitas est; quia species sunt principia simplicieter necessaria, completiva potentiæ in actu primo proximo; at habitus sunt inclinationes non simpliciter necessariæ ad actus. Deinde sicut eadem potentia ut sic potest in opposita, ita potest etiam esse informata oppositis speciebus; at sicut non potest esse æquè inclinata ad opposita, quia inclinatio non relinquit potentiam indifferentem, ut faciunt species, sed trahit illam ad unam partem, ideo nequit esse informata habitibus contrarijs in gradibus intensis, unde habitus erit quid medium inter actum, & potentiam.

4. Et Objectio.

Objicies secundò: habitus isti possunt esse simul: Ergo & actus. Respondeo Neg. Conseq. disparitas petenda, est ex experientia, quâ constat, quòd intellectus non moveatur â motivo incerto, &

opinativo, dum habet certum, & demonstrativum, & consequenter actum Opinionis, & Scientiæ simul non elicit: item experientiâ constat, quòd quis possit habere habitum opinativum ut 8. & postea per aliquod actus producere etiam habitum demonstrativum ut 2. tunc sunt simul isti duo habitus: semper ergo in gradu tantùm remisso possunt esse simul.

5. *Actus Opinionis, & Scientiæ nequeunt esse simul.*

Dico secundò: actus tamen Opinionis, & actus Scientiæ nequeunt naturaliter esse simul in eodem intellectu de eodem subjecto. Ita Scotus in *3. dist. 24. quæst. un.* & S. Thomas *q. 14. de verit: art. 9. ad 6. & 1. Post. lect. 44.* & sequuntur communiter Scotistæ, ac Thomistæ, cum Themistio, Philosop. Averroe, Albert. Lincon. Ægidio &c. contra Alensem, S. Bonaventuram, Richard. Marsil. Hurtad. Ovied. & ex Scotistis contra Bassol. Tartaret. &c.

Probatur *primò* authoritate Philosophi; qui conclusionem tenet *1. Post. cap. 26.* Ergo &c. *Secundò* ratione; actus Scientiæ petit objectum necessarium, ac invariabile, Opinio autem contingens, & variabile: Ergo cum idem objectum nequeat esse necessarium, & contingens, consequenter nec respectu ejusdem objecti nequit esse simul Scientia, & Opinio. Consequentia tenet; aliàs intellectus affirmaret contradictoria de eodem; nam per assensum scientificum judicaret prædicatum cum subjecto habere necessariam connexionem; & per opinativum non, uti Aristoteles tenet *1. Post. cap. ultima*: Ergo &c.

6. *Replica refellitur.*

Dices: potest intellectus utrumque affirmare per diversa media; & ideo per hoc tollitur contradictio. Respondeo Neg. Assumptum, quia quòd à parte rei prædicatum sit necessariò connexum cum subjecto, vel non necessariò connexum, non pendet ex medio cognoscendi; sed ex medio essendi, id est ex ipsa intrinseca causa inhærentiæ unius cum alio; cùm ergo hæc semper sit una, & eadem, nequit per unum medium ostendi ab intellectu modò habere contingentem connexionem, modò per aliud habere necessariam.

Probatur tertiò: datò quòd Opinio versetur circa objectum non variabile, sed necessarium in se, per medium tamen probabile cum annexa formidine; quia nimirum non penetratur necessitas objecti per illud medium; adhuc Opinio nequit consistere cum Scientia de eodem objecto; quia de ratione Scientiæ est, quòd tollat ab intellectu omnem formidinem, & trepidationem: Ergo &c.

7. *Alia responsio replica rejicitur.*

Dices cum Tartaret. quid implicat per diversos actus elicere de eodem objecto assensum formidolosum, & assensum scientificum, ac certum? hæ enim duæ formæ formido, & certitudo pugnant tantùm inter se respectu ejusdem actûs. *Contrà*, formido, & certitudo formaliter repugnant etiam respectu diversorum actuum; aliàs si hoc Tartareti inventum (quod multi ex RR. sequuntur) idoneum esset ad salvandum contradictionem de effectibus repugnantibus in eodem subjecto per solam formarum pluralitatem, possemus dicere non repugnare etiam naturaliter contraria in summo in eodem subjecto, v. g. calorem, & frigus in aqua; velle, & nolle in eadem voluntate respectu ejusdem objecti; quia adsunt diversæ formæ salvantes hanc repugnantiam: quæ doctrina sanè everteret magnam Philosophiæ partem; nam ex effectibus consueverunt Philosophi deducere incompossibilitatem formarum, unde procedunt.

Probatur quartò verbis Doctoris *3. dist. 34.* dicentis; *cùm inducuntur medium probabile, & demonstrativum ad eandem conclusionem, si bene percipiatur vis medij demonstrativi, nullum assensum generat aliud medium Dialecticum impeditum jam à demonstrativo, veluti à causa fortiori, & longè efficaciùs suadente; ac convincente; unde intellectus non movetur illô; imò si moveretur, negligeret medium Dialecticum; sicuti si quis ad aliquod objectum videndum posset uti lumine solis, utique exigua candela lumen contemneret*: Ergo &c.

8. *Quid, & quale de medio Dialecticum operetur.*

Nota hîc: quòd intellectus quidem imbutus demonstratione possit cognoscere qualis, & quanta sit probabilitas medij Topici, seu Dialectici ad eandem conclusionem inducti; attamen ab eo non movebitur; unde in tali casu habebit rationem probabilem pro objecto præcisè; non pro motivo. Nota præterea, quod quando non bene percipitur vis medij demonstrativi (est enim satis abscondita, & abstrusa, ut indicavit Aristoteles *2. Met. 15.*) tunc multùm juvant, ad ejus vim percipiendam rationes probabiles, & sapientum authoritates: & quia ita contingit ut plurimùm, hinc est, quòd in consueto modo probandi conclusiones, etiamsi demonstratio suppetat, adducantur ulteriùs

riùs etiam rationes probabiles, & authoritates, quæ veluti viam disponant ad percipiendam demonstrationem; & hoc est, quod probat tantùm fundamentum contrariæ sententiæ dicentis, experientiâ constare, quòd Philosophi priùs discipulos instruant authoritatibus, & rationibus probabilibus; ad quæ postea addunt rationes demonstrativas, quæ nō destruunt rationes probabiles; aliàs frustrà in ipsis inculcandis laboràsset Professor; hoc inquam fundamentum solùm probat, quòd per illas rationes probabiles disponant discipulos ad percipiendam vim demonstrationis supervenientis, quam ab initio non statim penetràssent ob ejus difficultatem; perceptâ autem semel, & penetratâ illâ vi, dico destrui omnem Opinionem discipuli antè habitam de eodem asserto; ut habet expressè Scotus 3. *dist.* 24. illis verbis: *si quis habeat primam Opinionem de aliquo, & superveniat Demonstratio, corrumpitur Opinio*; quia ubi major est juxta adagium, cessat minor; illa autem corruptio non fit actu positivo, quô intellectus Opinionem respueret, & quasi ab ea dissentiret; sed quia de illa ampliùs non curat, nec ampliùs movetur ab illa.

9 Nec etiā supernaturaliter possunt componi actus Opinionis & Scientiæ simul.

Dico tertiò: sat probabile est, quòd nec etiam supernaturaliter possit esse simul in eodem intellectu actus Opinionis, & Scientiæ. Ita colligitur ex Scoto 3. *dist.* 24. *num.* 13. Et sequuntur Colum. atque communior Scotistarum; contra Ponc. Mastr. Bellut. Herman. &c.

Probat. Tum quia etiam supernaturaliter implicat idem objectum posse aliter se habere, simulq; non posse aliter se habere: objectum autem actûs Opinionis potest aliter se habere, quia est contingens; objectum verò Scientiæ non potest aliter se habere, quia est necessarium; Ergo implicat etiam supernaturaliter esse in eodem intellectu actus Opinionis, & Scientiæ de eodem objecto. Tum quia etiam supernaturaliter idem intellectus nequit esse actualiter certus, & non certus; formidolosus, & non formidolosus circa idem objectum; cùm hæc sint contradictoria; sed esset actualiter certus, & incertus; formidolosus & non formidolosus, si supernaturaliter possunt esse simul in eodem intellectu actus Opinionis, & Scientiæ de eodē objecto: Ergo nequeunt esse simul in eodem intellectu de eodem objecto. Prob. Min. ratione actûs Opinionis, intellectus esset actualiter formidolosus; ratione verò actûs Scientiæ esset non formidolosus; quia Scientia intrepidè adhæret objecto: Ergo esset simul formidolosus, & non formidolosus.

10. Objectioni obviatur.

Objicies. ponamus casū quòd Deus supernaturaliter replicet Petrum Nissam, & Pragam, & in utroque loco percipiat hanc propositionem, *totum est majus suâ parte*, hac tamen ratione, ut Nissæ eam percipiat demonstrativè per medium efficax, Pragæ verò probabiliter per medium topicum: Ergo tunc in eodem intellectu erit simul de eodem objecto, actus Scientiæ, & actus Opinionis: Respondeo quòd factâ ejusmodi replicatione, & perceptione demonstrativâ illius propositionis, intellectus haberet actum Scientiæ tum Nissæ, tum Pragæ, & nullô modô actum opinionis; nam ut ait Scotus 4. *dist.* 10. *q.* 2. *quæcunque sunt priora essentialiter ipsô Ubi, uniformiter insunt corpori, quantumvis habenti diversa Ubi, nec variabuntur variatô ipsô Ubi*, actus autem Scientiæ est prior essentialiter ipsô Ubi; cùm hoc sit relatio, illud qualitas. Deinde quia mediū demōstrationis est efficacius, & fortius; ideo determinabit intellectū Petri replicati efficaciùs ad cognoscendam illam propositionem tantùm demonstrativè.

11. Corollarium.

Ex dictis infertur: quòd à fortiori nec idem entitativè actus intellectûs possit simul de quacunque potentia esse Opinio, & Scientia respectu ejusdem objecti. Ratio est; nam si idem intellectus simul nequeat esse scientificus, & opinativus de eodem objecto, qui tamen est potentia universalis: Ergo nec idem entitativè actus. Tum quia implicat, ut idem actus sit simul conjunctus cum formidine, & carens formidine respectu ejusdem objecti: alias esset & non esset conjunctus cum formidine; quòd dici nequit: Ergo &c.

QUÆSTIO III.

An Scientia, & Fides sive humana, sive Divina possint esse simul in eodem intellectu de eodem subjecto.

1. Fides habitualis potest componi cū habitu Scientiæ.

Dico primò: tam Fides humana, quàm Divina habitualis, & Scientia habitualis quoad entitatem possunt esse naturaliter simul in eodem intellectu de eodem objecto; item Fides habitualis, & Scientia actualis. Ita

Sco

Scotus *3. dist. 2. q. 1.* Scotistæ, & plures Neutrales; contta Thomistas.

Probatur prima pars ratione Scoti: habitus Fidei, & Scientiæ, non formaliter sed virtualiter tanrùm, vel causaliter sibi opponuntur; quatenus nnus causat effectum incompossibilem cum effectu alterius eodem tempore; & quatenus fortior impedit, seu suspendit causalitatem alterius; sicut facit Medium Dialecticum, & Demonstrativum respectu ejusdem objecti simul applicatum; ubi Demonstrativum movendo impedit Dialecticum in causando: Ergo possunt esse simul quoad entitatem in eodem intellectu circa idem objectum. Consequentia tenet; quia duæ species intelligibiles virtualiter sibi oppositæ defactò simul cohærent in eodem intellectu, v. g. species albedinis & nigredinis: Ergo & à pari isti duo habitus virtualiter tantùm oppositi.

Probatur secunda pars: quia & hæc duo non dicunt formalem oppositionem: Ergo &c. Probat. Ant. Potest perfectus Philosophus, qualis erat Dionysius Areopagita, eliceret actum Demonstrationis, & Scientiæ propriè dictæ de Existenria DEI, dum actualiter baptizatur: sed in hujus intellectu tunc esset simul actus Scientiæ; & habitus Fidei de Existentia DEI; hic enim infunditur in Baptismo; nec est ratio ipsi denegandi hujusmodi infusionem quoad entitatem: Ergo Fides habitualis, & Scientia actualis cohærere possunt in eodem intellectu.

2. Non itē actualis Fides cum actu Scientiæ.

Dico secundò: Fides tamen actualis tam humana, quàm Divina, & scientia actualis nequeunt componi simul in eodem intellectu de eodē objecto naturaliter; imò probabilirer nec supernaturaliter. Ita colligitur ex Scoto *3 dist. 24. q. un.* Et sequuntur Lychet. Baslol. Columb. &c. Scotistæ, ac Thomistæ; contra Poncium, & RR. Arriag. Amic. Suar. &c.

Probatur prima Pars de fide humana, idem simul nequit esse obscurum, & clarum; ut patet de aëre, qui vel est obscurus, vel lucidus: sed per fidem actualem humanam intellectus redditur obscurus quoad objectum, quod crederet; & per Scientiā actualem redderetur clarus circa idem objectum, quod sciret: Ergo Fides actualis humana nequit componi simul cum Scientia actuali in eodē intellectu de eodem objecto naturaliter; imò nec ob eandem rationem mox datam probabiliter supernaturaliter. Præterea Fides Divina nequit naturaliter componi simul cum Scientia actuali in eodem intellectu de eodem; ut patebit *ex probationibus secundæ partis conclusionis*, mox adducendis: Ergo à pari idem dicendum de Fide humana.

Probatur secunda pars de Fide Divina primò authoritate S. Scripturæ, & SS. PP. nam Apostolus *1.* ad Corinth. *13.* dicit: *cùm venerit, quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est*: id est, ut glossant Theologi, cùm in Patria venerit Scientia perfecta, seu visio clara beatifica, evacuabitur Fides, quæ imperfecta, & obscura est. Et S. Augustinus tract. *46. in Joannem* ait, *quid est Fides? nisi credere, quod non vides?* Et Gregorius hom. *26. in Ev.* explanans illum passum, *quia vidisti me Thoma credidisti*, dicit, *profectò liquet, quod Fides illarum rerum est, quæ apparere non possunt*, id est sciri: Ergo &c.

Probatur secundò eadem pars, ratione Scoti *3. dist. 24. ad tertium principale*: si in eodem intellectu simul duplex medium ad cognoscendam unam eandemque propositionem reperias, scilicet Demonstrativum, & Dialecticum, id est scientificum, & opinativum: Dialecticum nō movet ad eliciendam actualem Opinionem circa illam propositionem; eò quòd impediatur totaliter à Demonstrativo medio, utpote fortiori, & evidentiori: Ergo pariter si in eodem intellectu respectu ejusdem objecti reperiatur medium scientificum evidens evidentiâ rei, & medium Fidei, innixum solummodò aurhoritati revelantis, hoc non movebit ad actum Fidei; quia similiter impeditur à fortiori medio scientifico, ne moveat.

Roboratur hæc ratio *primò* solidâ paritate: si lumen debile stellæ, & lumen perfectum meridianum solis simul applicētur ad illuminandum aërem, lumen stellæ nullam prorsus habet actionem illuminativam respectu aëris, ob potens lumen Solis, illud omnino prævenientis, & impedientis: Ergo etiam dum motivum Fidei, & scientificum simul applicantur intellectui, motivū Fidei tanquam obscurum, nullam habebit actionem productivā actûs Fidei, ob præsentiam motivi scientifici prævenientis, & impedientis. Consequentia tenet à pari: Tum quia ex natura rei magìs trahitur intellectus motivô efficaci, & clarô, quàm obscurô; utì patet experientiâ: Tum quia si ad assentiendum huic primo principio: om-

omne totum est majus suâ parte, moveatur quis per sensum visûs, quô hoc videt; nullô modô movetur narratione Pauli tale principium narrantis.

Roboratur *Secundò*: sicut in voluntate plena possessio boni impedit desiderium illius, & electionem mediorum; quibus idem bonũ procuretur: ita plena possessio veri in seipso immediatè, impedit usum medij ad idem verum comparandum, per actum Fidei. Ex quibus omnibus rationibus patet; stante actu Scientiæ de aliquo objecto credibili, non posse elici ullum actum Fidei, circa idem objectum: adeoq; hos duos actus nunquam naturaliter posse componi.

3. *Etiam supernaturaliter.*

Probatur, quòd probabiliter nec supernaturalitet ijsdem fundamentis, quibus secunda pars fuit fundata, & solidata; quæ fundamenta maximè probatio secunda Scoti, cum suis corroborationib⁹, si bene expendantur, convincunt etiam de absoluta DEI potentia, nõ posse componi simul in eodem intellectu, circa idem objectum actum Scientiæ, & actum Fidei; ut notat bene Cardinalis de Lugo *Disp.2.sect. 2.n.81.* quia incomponibilitas horum actuum non solùm consurgit ex defectu naturali causæ effectricis, non habentis virtutem sufficientem ad ponendum utrumque actum simul; hunc enim defectum posset DEUS supplere, tanquam Causa Prima: sed nascitur ex repugnantia inter ipsos actus; eò quòd alter impediat conditionẽ indispensabiliter requisitam ad objectum alterius attingendum & possidendum: sicut enim plena possessio boni impedit desiderium illius, & electionem mediorum, quibus idem bonum procuretur: ita plenissima possessio veri in seipso immediatè impedit usum medij, ad idem verum comparandum.

Probatur secundò: Idem objectum nequit esse evidens, & inevidens de ulla potentia; quia sunt contradictoria formaliter, vel saltèm virtualiter, hoc est talia, ex quibus sequitur contradictio; sed hoc fieret in opposita doctrina: Ergo &c.

4. *Recentiores opponentes quietantur.*

Objicies primò ex Recentioribus contra secundam partem conclusionis: nisì Fides actualis stare posset cum Scientia actuali, sequeretur quòd Deus in sacris litteris aliquos articulos inutiliter proponeret credendos, qui Scientiâ verâ à multis sciri possent: qualis est Existentia Dei, quæ tamen juxta Apostolum ad Hebr. *11.* debet credi; *oportet*, inquit, *accedentem ad Deum credere*: Ergo &c. Resp. Neg. sequelam Ant. nam ut rectè advertit noster Doctor Subtilis *2. dist. 2. q.3.* res scibiles per Scientiam demonstrationis adhuc fructuosè, & utiliter à Deo communitati proponuntur credendæ, propter plurimos, qui res illas demõstrari nequeũt; aut investigandis demonstrationibus suis multa falsa, & errores permiscent; ut dicit D. Augustinus *18. de Civit. DEI cap 41.* Hi proinde utiliter illas res credere possunt, quas docti possunt scire.

5. *Alia eorũ via præcluditur.*

Objicies secundò ex ijsdem: Beatissima Virgo scivit se Christum concepisse sinè opere maritali: & Apostoli viderunt clarè passionem, & alia mysteria Christi; unde ait Joan. *Epist.1.c.1.* *Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus* &c. sed tam B. Virgo, quàm Apostoli habuerunt Fidem simul: Ergo &c. Respondeo Dist. Min. Beata Virgo & Apostoli habuerunt Fidem simul de his ijsdem articulis, quos sciverunt evidenter, Neg. Min. de alijs Conc. Min. Itaque dici potest cum S. Bonaventura *3.dist.24 art.2.q.1.* quòd Beatissima Virgo habuerit Scientiam experimentalem, quâ scivit se sinè opere maritali concepisse hominem; tamen se concepisse Personam Verbi solâ Fide novit: & Apostoli mysteria quæ viderũt, & cognoverunt clarè in se nõ cognoverunt simul per Fidẽ.

Quod si velis adhuc in B. Virgine, & Apostolis absolutè salvare Fidem de omnibus; dic eos habuisse Fidem in præparatione animi: quia parati erant, ut Fidem elicerent, circa omnes articulos, & mysteria, cessante Scientiâ experimentali, vel aliâ, quam actu habeant: cui præparationi animi correspondebat meritum, & præmium Fidei; quod nostris actibus Fidei datur.

6. *Amico & Suarez respondetur.*

Objicies tertiò ex Amico, & Suarez. impugnando secundam probatinnẽ secundæ partis: potest idem objectum esse evidens, & inevidens, clarum & obscurum sinè contradictione; cum contradictoria debeant esse secundùm idem: quod nõ contingeret, etsi idem objectum esset evidens, & inevidens; quia per diversa media competeret ei esse evidens, & inevidens: Ergo &c. *Contrà*: si hæc Neoterica doctrina subsisteret, ut diversitas mediorum tollat contradictionem; sanè ex diversis motivis semper possemus de eodem à parte rei cõtradictotia prædicata verificare etiã quòd res sit, & quòd nõ sit. Imò possemus naturali-

raliter reconciliare omnem repugnantiam duorum effectuum repugnantium, in eodē subjecto v.g. caloris summi, & frigoris summi; quia ob diversitatem formarum, à quibus procedunt dicam eos non repugnare; & consequenter posse stare naturaliter simul; quod tamen est contra omnem sensum. Itaq; diversitas motivorum non sufficit ad tollendam contradictionem, & repugnantiam, quæ in objecto esset, quod sequitur esse evidens, & inevidens.

7. *Et P. Poncio.*

Objicies quartò ex Poncio nostro: de absoluta potentia possunt componi simul, in eodem subjecto duæ qualitates contrariæ in summo, v. g. calor, & frigus: Ergo & Fides cum Scientia. Respondeo Neg. Conseq. disparitas est; quia duæ qualitates contrariæ calor v. g. & frigus sibi contrariantur tantùm ex generali ratione contrarietatis, quæ contrarietas ab absoluta potentia DEI potest superari: sed Fides actualis, & Scientia actualis contrariantur sibi ex speciali ratione, scilicet ob contradictionem, quæ involvitur in objectis eorum; eò quòd unum destruat formale objectum alterius; Fides enim destruit evidentiam, & claritatem objecti quæ est essentialiter, & formaliter contenta in objecto Scientiæ.

QUÆSTIO ULTIMA.

De Habitibus.

IN Logica hactenus explicata sparsim & signanter in his Topicorum libris sæpe facta est mentio de Habitibus Fidei, Opinionis, & Scientiæ: unde meritò pro calce hujus Tomi quædam de Habitibus in communi distinctiùs proponenda & resolvēda sunt. Unde

1. *Descriptio habitus ut sic.*

Dico primò: rectè describitur Habitus generatim sumptus, quòd sit qualitas adventitia, difficulter à subjecto mobilis, intrinsecè vel elevans, vel facilitans subjectum ad similes actus eliciendos. Ita colligitur ex Scoto quæst. 36. prædicam. Et 1. dist. 3. q. 3.

Probatur: Hæc descriptio aptè exprimit naturam Habitûs ut sic: Ergo &c. Ly qualitas est genus: reliqua habent rationem differentiæ. Dicitur adventitia, ad distinctionem Habitûs à qualitatibus aliis, præsertim secundi modi. Dicitur difficulter à subjecto mobilis ad distinctionem actuum, & specierum intelligibilium non fixarum, quæ facillimè evanescunt ex intellectu; & ideo rationem Habitûs non merentur. Dicitur intrinsecè vel elevans ut comprehendantur sub hac generali descriptione etiam Habitus infusi, qui etsi non facilitent, elevant tamen potentias suas, & facultatem præbent operandi. Additur vel facilitans subjectum &c. ut exprimatur munus Habitûs acquisiti, cujus est facilitare, & promptam reddere potentiam, seu subjectum, cui inhæret ad operandum, & producendos novos actus similes illis, à quibus sunt geniti; uti patet in Habitu Scientiæ Logicalis, qui facilitat intellectum Logici ad promptè definiendum, dividendum, & argumentandum.

2. *Dātur habitus in intellectu.*

Dico secundò: dantur Habitus in intellectu ad judicandum, & discurrendum. Ita Scotus 1. dist. 17. q. 2. Et 2. dist. 3. q. 10. Et 3. dist. 33. q. 1. Et sequuntur Scotistæ omnes, contra quosdam Recentiores.

Probatur primò authoritate Philosophi, qui 2. Ethic. 5. dividit ea, quæ sunt in anima in potentiam, passionem, & habitum; ubi sub Habitu quoq; comprehendit Habitus intellectûs ad judicandum: & discurrendū Ergo &c. Item 5 Ethic. cap 4 ponit quinq; Habitus intellectuales: Ergo admittit Habitus in intellectu.

Probatur secundò experientiâ: homines exercitati in aliqua Scientia experiuntur in se promptitudinem quamdam, & facilitatem ad judicandum, & discurrendum circa objecta talis Scientiæ: sed hujusmodi promptitudo, & facilitas provenit ab Habitu acquisito exercitiò plurimorū actuum judicii, & discursûs: Ergo dantur Habitus in intellectu ad judicandum, & discurrendum. Deinde in voluntate extant Habitus ut infrà ostendam: Ergo etiam in intellectu. Tum potentia indifferens, & difficilis ad operandum eget determinatione, & facilitatione aliquâ intrinsecâ: sed intellectus est potentia indifferens, & difficilis à principio ad judicandum, & discurrendum: Ergo eget determinatione, & facilitatione intrinseca: hanc autem præstant Habitus intellectuales: Ergo dantur Habitus intellectuales.

3. *Oppositioni satisfit.*

Objicies primò: illa promptitudo, & habilitas, quam experiuntur homines exercitati ad judicandum, & discurrendum, non provenit ab aliquo Habitu intellectuali; sed à speciebus impressis: Ergo ex hoc capite non probatur existentia Habituum intellectualium. Respondeo Neg. Ant. quia species impressæ sunt simpliciter necessariæ ad judicandum, & discurrendum; illud autem à quo provenit promptitudo, & habilitas ad judicandum, & discurrendum, non est simpliciter necessarium. Deinde Logicus initians potest habere species impressas ad bene judicandum, & discurrendum à Magistro perceptas; & tamen necdum habet promptitudinem ad expeditè, & faciliter operandum: Ergo à talibus speciebus nequit provenire illa promptitudo, & habilitas.

4. *Et replica.*

Dices: Logicum necdum habere species impressas intensas, puras, & debitò coordinatas, de quibus solis intelligitur, quòd efficiant illam promptitudinem ad judicandum, & discurrendum. Contrà, nec etiam ab ejusmodi intensis, puris, & coordinatis speciebus impressis provenire potest illa promptitudo; quia Christus viator habuit purissimas, intensissimas, & coordinatissimas species impressas vitiorum concupiscentiæ, intemperantiæ; sicut & omnium aliorum objectorum ob eminentem suam Scientiam; & tamen in eo nulla fuit promptitudo, & habilitas proxima ad peccandum.

Dico tertiò: etiam in voluntate, & appetitu sen-

sensitivo extant Habitus. Ita Scotus 3. dist. 33. q. un. cit. suprà: & sequuntur Orbellus, Vorr. Columb. Occam. Suar. &c.

5. Dantur etiam habitus in voluntate.

Probatur primò authoritate SS. PP. præsertim D. Augustini lib. de distinctionibus & in Enchir. 28. Et S. Gregorij 4 & 10. Moral. qui monent bonos Habitus esse retinendos, malos verò expellendos: Sed Habitus moraliter boni, & mali solent in voluntate, & appetitu sensitivo potissimè residere: Ergo in his potentijs extant Habitus.

Probat: secundò specialiter de voluntate: virtus est habitus electivus: electio autem est in voluntate 6. Ethic: 3. Habitus autem, & actus sunt in eodem subjecto: Ergo in voluntate est Habitus virtutis. Deinde voluntas est potentia indifferens, & determinabilis ad actus prosecutionis, vel fugæ, virtuosos & vitiosos promptè eliciendos: Ergo ad hos determinatur, & facilitatur per superadditos Habitus. Tandem experientiâ compertum habemus, nostram voluntatem post longum exercitium actuum Justitiæ v. g. reddi facilem ad similes actus justos cursus eliciendos: sed hujusmodi facilitas oritur ab Habitu acquisito, Justitia: Ergo in voluntate extat Habitus Justitiæ: est autem eadem ratio de alijs, quoq; Habitibus volitivis: Ergo &c.

Probatur etiam specialiter de appetitu sensitivo: Philosophus 1. Ethic: cap: ult: in parte irrationali, id est in appetitu sensitivo, ut glossat Commentator, collocat Habitus virtutum moralium, puta fortitudinis, temperantiæ &c. Ergo in appetitu sensitivo extant aliqui Habitus. Deinde appetitus sensitivus est pariter potentia indifferens ad objecta appetibilia: Ergo potest determinari per aliquos Habitus superadditos. Tandem experientiâ quòque constat, appetitum animalem posse refrenari solô exercitiô virtutum, & inclinari habilitarique ad opera laudabilia ethicè, & bona: Ergo hæ producunt aliquem Habitum in ipso.

6. Objectio expeditur.

Objicies contra primam partem: promptitudinem, & determinationem voluntatis ad operandum provenire à vehementi cognitione delectabilitatis, & bonitatis objecti; non autem ab aliquo Habitu: Ergo &c Respondeo Neg: Ant: nam Christus habuit vehementissimã & intensissimã cognitionẽ delectabilitatis, & bonitatis objectorum; & tamen non habuit promptitudinẽ, & determinationẽ in voluntate ad operandum vitiosè: Ergo ejusmodi promptitudo debet ab alio, id est ab Habitu provenire.

Dico quartò in corpore animato humano, & brutali, eorúmque organis, seu membris possunt esse aliqui Habitus. Ita Scotus 3. dist. 33 q. un: Et sequuntur Scotistæ omnes, ac Nominales; contra Thomistas.

Probatur primò authoritate Philosophi, qui 7. Ethic: cap. 1. Et 1. Mag: Moral. cap. 7. videtur concedere in animalibus docilibus, & disciplinabilibus (cujusmodi sunt equi, canes, simiæ &c.) Habitum, negando illum in inanimatis: Ergo &c.

7. In corpore animato quoq; dãtur habitus.

Probatur secundò ratione; experientia quotidiana ostendit, pictores post frequens exercitium reddi in manibus habiliores, & promptiores ad pingendum, & musicos in ijsdem organis, & membris habilitari ad ritè tangendum cytharam, fides, testudinem, organum, aliaque musica instrumenta, item Vocalistas in lingua ad canendum; idem dicendum de artificibus machanicis, & saltatoribus, digladiatoribus, &c. sed hujusmodi habilitas, ac promptitudo arguit in illis membris, & corpore Habitum: Ergo in corpore animato, ejúsque membris possunt esse aliqui Habitus.

Probatur specialiter de corpore brutorum: Tum quia experientiâ quoq; constat, equos in Scholis equestris exercitatos primis diebus difficillimè in gyrum posse agi; postmodum verò post repetitas complures gyrationes, & circulationes reddi valde habiles ad perficiendos gyros, aliásque differentias artificiosas motûs, quod utique in Habitum contractum est referendum. Tum quia Philosophus 6. Ethic 13. dicit, pueris, & bestijs naturales insunt Habitus. Tum quia in praxi visum est, Elephantem expeditè exarâsse litteras, uti narrat Athenæus: & corvum salutâsse Cæsarem, ut refert Plinius: & in canibus Europæis instructis, ac disciplinatis, quàm mira dexteritates, artes, & joci in dies, maximè in hisce nostris regionibus videntur, ad quæ habilitantur beneficiô Habituum contractorum: Ergo &c.

8. Habitus concurrunt effectivè ad actus sequẽtes.

Dico quintò: probabiliùs est, quòd Habitus concurrat activè effectivè ad subsequentes actus eliciendos similes illis, à quibus est generatus. Ita colligitur ex Scoto 1. dist: 17. q. 2. ubi etsi oppositam sententiam etiam ut probabilem defendat; in hanc tamen magis inclinat. Et sequuntur Lycet: Vigere Vorr. Columb. & alij Scotistæ; ac S. Thomas, Cajet: Occam &c. contra Durand. Vasq: Hurtad: &c.

Probatur primò authoritate Philosophi; qui 6. Ethic: 6. dividit Habitum practicum in activum, qualis est prudentia, quæ est Habitus cum recta ratione activus; & factivũ, qualis est ars, quæ est Habitus cum recta ratione factivus effectivè: Ergo censet Habitus concurrere activè effectivè ad actus subsequentes eliciendos similes illis, à quibus est genitus.

Probatur secundò ratione: Tum quia Habitus supernaturalis gratiæ est activus; est enim principium operativum actionis meritoriæ: sed est eadem ratio de Habitibus naturalibus, qui sunt principia cooperativa actuum subsequentium: Ergo &c. Tum quia experientiâ constat, homines exercitatos, seu habituatos plus operari, quàm non exercitatos seu non habituatos: hoc autem in habituum est refundendum; non verò in potentiam, quæ eôdem modô operatur, si sit naturalis potentia: Ergo Habitus influit activè effectivè in actus subsequentes similes illis, à quibus est genitus.

9. Corollarium.

Ex his infertur: quòd Habitus influat in substantiam actûs subsequentis similis illis, à quibus est generatus, ut etiam habet Scotus 4. dist: 49. q 2. Ratio est; quia Habitus est causa activa, & effectiva partialis actûs subsequentis: Ergo influit in substantiam actûs subsequentis, sicut potentia.

10. Habitus generatur ab actibus pravijs effectivè.

Dico sextò: Habitus effectivè causatur, & generatur immediatè ab actibus pravijs. Ita Scotus 1. dist: 3. q. 9. Et sequuntur Faber, Columb: Vorr: Suar: & alij, contra Durand: qui docet Habitum gigni à pravia dispositione actuũ, & contra Buridanum, qui vult eum nasci quidem per actus; at non ut per causam effectricem, sed ut per viam quamdam.

Probatur primò authoritate Philosophi; qui 2. Ethic: 1. dicit, sicut ædificando ædificatores, & cytharizando cytharœdi efficiuntur; ita justa agendo justi, temperata agendo temperati, fortia fortes: Ergo actus ædificationum efficiunt habituatos ædificatores, & actus cytharizatiqnũ habituatum cytharœdum, & actus justitiæ repetitæ habituatum justum, & actus temperantiæ frequentati temperantem habituatum, & actus repetiti fortitudinis, habituatum fortem; ac consequenter Habitûs causa effectiva immediata sunt actus pravij. Secundò ratione;

tione; Tum quia ita colligitur ex communi illo, & recepto axiomate Philosophico, Habitus generantur ab actibus, ubi ly ab causalitatem effectricem immediatam indicat. Tum quia illud censetur causa immediata effectrix, cui assimilatur effectus: Sed Habitus genitus ut effectus assimilatur actibus prævijs v. g. Habitus Logicæ actibus Logicalibus prævijs definitionum, divisionum, argumentationum: Ergo &c.

21. Sed frequentatu.

Dico septimò: Habitus perfectus non causatur, & generatur ab unico actu prævio; sed ad ejus productionem requiruntur plures repetiti. Ita Scotus 2 dist. 3. q. 6. Et dist. 17. q. 2. Et sequuntur Faber, Colum. Vorr. Raccon. Suar. &c. contra Durand. Hurtad. &c.

Probatur primò authoritate Philosophi; qui 2. Ethic. 7. Et 2 Ethic. cap. 1. loquens de Habitu intellectuali, dicit eum comparari usu, tempore, experientiâ, & consuetudine; quæ omnia pluralitatem & repetitionem actuum præviorum expetunt. Et stabiliendo hanc eandem Doctrinam 1. Ethic. cap. 8. utitur similitudine unius hirundinis, quæ non facit ver; sicut itaque una hirundo non facit ver, ita nec unicus actus plantat Habitum. Secundò experientiâ; quâ constat Logicum ex unica definitione non acquirere habitum promptè definiendi; sed opus esse repetere sæpius actus definitionum: unde rectè statuitur à Philosophis, & signanter à Scoto 2. dist. 17. q. 2. illud axioma, ex frequentatis actibus generatur Habitus: Ergo &c.

22. Intenduntur per subsequentes actus.

Dico octavo: Habitus semper intenduntur & perficiuntur per novos actus subsequentes similes. Ita Scotus 2 dist: 3. q. 1. Et sequitur communis Philosophorum.

Probatur: à quo res aliqua accipit esse, ab eodem sortitur perfectionem successivam majorem suò esse; perfectio enim major sequitur rem, cujus est perfectio; sicut modus modificatum: sed Habitus accipiunt suum esse ab actibus: Ergo pariter ab actibus sortiuntur perfectionem majorem & intensiorem successivam. Perficiuntur autem, & intenduntur Habitus tam per actus remissos, quàm æquè intensos; ut habet Scotus loc: cit. Ratio est; quia sicut omnis forma etiam imperfecta perficit materiam: ita omnis actus etsi remissus perficere valet suum Habitum; cùm Habitus sit ens perfectibile, & quivis actus ens perficiens.

23. Habitus corrũpitur per actus oppositos effectivè.

Dico nonò: Habitus per se, & effectivè corrumpuntur per oppositos actus; formaliter verò per Habitus contrarios inductos. Ita colligitur ex Scoto 3 dist: 35. q un:

Probatur prima pars: contraria ab eodem subjecto se expellunt, juxta Philosophum cap. de oppos: Ergo cùm actus oppositi sint contraria quædam Habitus præexistentis, ideo effectivè expellent, & corrumpent eundem Habitum.

24. Formaliter verò per Habitus contrarios.

Probatur secunda pars: duo Habitus contrarij sunt duæ formæ oppositæ: sed duæ formæ oppositæ formaliter se expellunt ab eodem subjecto: Ergo Habitus præexistens expellitur & corrumpitur formaliter per Habitũ novum contrarium inductũ. Circa Divisionẽ Habitûs posui quasdam partitiones ejusdem suprà tract. de Prædicament: dist: 6. q 3. not, 1 quibus addo sequentes. Unde

25. Divisiones Habitûs.

Nota primò: Habitus primò dividi potest in infusum, & acquisitum. Habitus infusus vocatur ille, quem DEUS creaturæ infundit; tales sunt Fides, Spes, Charitas, tres virtutes Theologicæ. Acquisitus vocatur ille, qui arte & labore acquiritur; talis est Habitus Logicæ, Physicæ, Astrologiæ, & alij Habitus scientiales. Secundò partitur in cognoscitivum, & apetitivum; seu in intellectualem, & moralem. Cognoscitivus est, qui residet in intellectu; tales sunt omnes Scientiæ Habituales. Appetitivus est, qui residet in voluntate, seu potentia appetitiva; tales sunt Habitus justitiæ, ac alij. Tertiò in virtutem, & non virtutem. Virtus est Habitus electivus rectâ ratione determinatus; tales sunt omnes Habitus virtutum moralium temperantiæ, fortitudinis; item alij Habitus virtuosi. Non virtus erit Habitus aliquis, qui ex actibus indifferentibus esset genitus, & nec bonus, nec malus, talis esset Habitus discurrendi de historijs mundi, ex frequenti lectione politica indifferenti contractus. Quartò in speculativum, & practicum. Speculativus est qui inclinaret ad actus speculationum. Practicus, qui ad actus practicos, seu praxes inclinaret. Exemplũ primi Habitus est Logica & Physica. Exemplũ secundi Habitus construendi domos, pingendi &c. De his satis dixi tract: 1. Log: dist. un: q. 4. De Habitibus singulis in particulari pro materia appropriatione tractatur tum in decursu totius Philosophiæ tum in Theologia.

Finit Logica Universa.

ETHI-

ETHICA
SEU DE
ENTE MORALI.

TRACTATUS UNICUS. DE ETHICA *SEU* PHILOSOPHIA MORALI.

PRÆFATIO.

SÆ*piùs altà mente revolvi aureum illud dictum Platonis* lib. de Philos. *dicentis;* philosophari non est plurima scire; sed seipsum cognoscere, quod sapere est: seipsum autem cognoscere est prudentiam, & justitiam colere, adeò ut Philosophi munus sit dirigere, & corrigere humanas actiones: *quod sanè fit ex prævia scientia Ethica, & Philosophiæ moralis: Unde dignissima hæc facultas à Racone* in suo præl. moral. *vocatur* vitæ magistra, morum regula, animi medicina, & voluntatis Pharus. *Hujus primus Author, & Sator à D. August.* 8. civit. 3. *fertur fuisse Socrates, qui neglectò studiò scientiarum naturalium, totum se moralibus mancipavit. Eandem mirificè excoluerunt scriptis tum idem S. Pater* loco cit. cap. 5. *tum Plutarchus* 2. de placidis cap. 1. *& Aristoteles* in decem lib. Ethic. ad Nicomachum; *item in libris 2. magnorum moralium; item in libris Moralium ad Eudemium: item* in libris Politicorum; Ocronomicorum *&c. Ego pro moderato meo instituto scribendi eam præsenti Tractatu illustrabo. Unde esto.*

DI-

DISTINCTIO I.

PROOEMIALIS.

QUÆSTIO I.

De quidditate; diviſione; & qualitate Ethicæ, ſeu Philoſophiæ Moralis.

1. *Quid nominis Ethica.*

Nota primò hoc vocabulum *Ethica* ſignificare, conſvetudinem; unde quia ſcientia iſta dirigens actiones humanas ſecundùm rectam rationem, ad finem honeſtum, & bonum ſpectat conſvetudines ſeu aſſvetudines comparandas mediantibus bonis habitibus, idcirco Ethica appellatur: dicitur etiam *moralis Phyſica*; quia de moribus, uſu, & habitu acquiſitis diſceptabat, ut obſervat Doctor Subtilis *4. diſt. 14. quæſt. 3. §. hic dicitur*; & innuit Ariſtoteles *1. mag. mor. cap. 7.* Ex his.

2. *Deſcribitur Ethica.*

Dico primò: *Ethica* rectè deſcribitur, quòd *ſit ſcientia practica ad mores rectè componendos, & inſtituendos ordinata*. Eſt ad mentem Scoti, & Ariſtotelis mox citatorum.

Prob. hæc deſcriptio bene explicat naturam, & differentiam Ethicæ: Ergo &c. Ly *Scientia* eſt genus; reliqua habent rationem differentiæ: dicitur *practica*, ad diſtinctionem ſcientiarum ſpeculativarum: additur *ad mores rectè componendos* &c. tum ad differentiam aliarum ſcientiarum practicarum v. g. Geometricæ practicæ, medicinæ &c. Tum ut oſtendatur objectum, & finis, circa quæ verſatur Ethica; ſcilicet circa mores, id eſt actiones humanas probè inſtituendas; hoc eſt conformiter ſecundùm dictamen rectæ rationis, & præſcriptum legum.

3. *Quid ſit actio humana.*

Nota autem ſecundò: per actionem humanam, ſeu actum humanum intelligi illam actionem, quæ elicitur abhomine liberè & deliberatè, per voluntatem ex prævia cognitione intellectiva; ut habet Scotus *4. diſtinct. 6. quæſt. 3.* & D. Thomas *p. 2. quæſt. 1. art. 1.* dicens: *illæ ergo actiones propriè humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt*. Circa diviſionem Ethicæ.

4. *Ethica alia eſt ingenita, alia acquiſita.*

Nota tertiò: eam primò dividi in *Ingenitam*, & *Acquiſitam*. *Ethica Ingenita* eſt ſynderesis, ſeu congenita rationis lex, quæ illuminat de generalibus principijs morum; v. g. *aliquod numen eſt colendum; Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris; Virtutes ſunt colendæ*. Eſtq; in re ipſa conſcientia hominis, lex cordis, & ſignatum ſuper nos lumen vultûs DEI, quô (ut ait Apoſtolus ad Rom. *cap. 2.*) *Gentes, quæ legem non habent*, (ſubintellige Moſaycam, vel Evangelicam) *naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus*; ut ſcilicet convincatur homo bene, vel malè egiſſe.

Acquiſita, eſt ſcientia uſu acquiſita, inſtruens homines circa mores probè inſtituendos; de qua in præſentiarum eſt tractatus.

5. *Acquiſita eſt vel generalis; vel particularis.*

Nota quartò: Ethica acquiſita ſubdividitur in Generalem, & particularem. *Generalis* eſt ſcientia practica in genere ordinans omnes homines ad ſectandos probos mores. *Particularis* eſt illa, quæ determinatum aliquod genus hominum v. g. Religioſos, ad determinatas actiones laudabiles, honeſtas, & probas hujus ſtatûs, profeſſionis, aut Religionis, inſtituit.

Nota quintò: Particularis Ethica

6. *Particularis rursus vel monastica, vel oeconomica, vel politica.*

ca rursus subdividitur in Monasticam, Oeconomicam, & Politicam. *Ethica Monastica* est, quæ ordinat hunc, vel illum hominem in particulari ad ritè agendum moraliter circa se, ut videlicet motus suarum passionum insurgentium debitè comprimat, actiones suas ad ultimum finem dirigat, & conformiter legibus Divinis, & humanis justis operetur. *Oeconomica* est, quæ ordinat qualiter probè operandum in familia: Unde respicit Patremfamilias, liberos, & servos, quid, quo pacto, & ratione unusquisque eorum, vivere, & agere debeat. De hac extant *libri duo Oeconomicorum* Aristoteles. *Politica* est, quæ ordinat qualiter probè operandum circa Regnum, Provinciam, vel Urbem: qua ratione nimirum Rex, Principes, aut Magistratus regimen suum ritè instituere, & subditi obedientiam præstare debeant; quibus sancitis, artibus, & exercitijs, Regnum, Provincia, vel Urbs gubernanda, excolenda, & exercenda; quibus præmijs boni remunerandi, & mali, quibus pœnis plectendi, &c. de hac extant *libri octo Politicorum* Aristotelis nuper egregiè commentati à Sylvestro Mauro.

Nota sextò: Ethicam Politicam occupari, & versari circa triplex gubernium, aut Monarchiæ, aut Aristocratiæ, aut Democratiæ, regulando scilicet actiones Præfectorum, ut sint convenientes rectæ rationi, & conformes justis legibus. Est autem *Monarchia* gubernium unius duntaxat Supremi Principis, absolutè Moderantis. *Aristocratia* est gubernium quorundam paucorum Optimatum, virtute, sapientiâ, & æquitate præcellentium. *Democratia* est gubernium plurimorum de populo, & de Optimatibus promiscuè concurrentium ad expeditiones faciendas. Circa tertium Articulum quæstionis.

7. *Ethica est scientia propriè dicta.*

Dico secundò: Ethica est scientia propriè dicta. Ita Scotus *quæst. 4. prol. §. ad argumenta principalia circa BB.* Et sequitur communis Philosophorum.

Prob. *primò* authoritate Aristotelis; qui *2. Met. cap. 1.* & alibi recenset scientias speculativas, & practicas, inter quas quoque connumeratur Ethica: Ergo &c. *Secundo* ratione: ille habitus est propriè scientia, qui dirigit, & inclinat ad veras demonstrationes conficiendas similes, à quibus est genitus; uti patet ex Aristotele *7. top.* ubi omnem habitum demonstrativum asserit esse scientificum: Sed Ethica est habitus, qui dirigit, & inclinat ad veras demonstrationes conficiendas, à quibus est genitus: Ergo est scientia. Prob. Min. Ethica dirigit, & inclinat ad has, & similes demonstrationes; *omne summum bonum est ultimus finis: sed DEUS est summum bonum: Ergo DEUS est ultimus finis.* Item: *supremum numen est adorandum; DEUS est supremum Numen: Ergo est adorandus.* Item: *operationes rectæ rationi conformes sunt exercendæ: Sed tales sunt virtutes morales, Justitia, Misericordia, &c. sunt operationes rectæ rationi conformes: Ergo sunt exercendæ.* Ergo Ethica est habitus qui dirigit, & inclinat ad veras demonstrationes conficiendas similes, à quibus est genitus.

8. *Et quidem practica.*

Dico tertiò: Ethica est scientia practica. Ita Scotus *quæst. 4. prol. §. contra istam propos.* Et communis DD.

Prob. *primò*; authoritate Aristotelis; qui *1. Ethic. 3.* & *10. Ethic. cap. 10.* Ethicam appellat studium rectæ rationis, subaudi, practicæ, & mores dirigentis. *Secundo* ratione: Ethica est directiva praxis formalis, puta operationis voluntatis, ut conformetur rectæ rationi, & legibus; ut virtutes exerceantur, mala evitentur, parentes colantur & similes probæ actiones ponantur: Ergo est scientia practica.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De objecto; fine; necessitate; & utilitate Ethicæ.

1. *Quid sit objectum Ethicæ.*

Dico primò: Objectum adæquatũ Ethicæ est Viator probis moribus instituendus. Deducitur ex Scoto. *q. 3. prol. §. ad primum argum. 1. quæst. in solut. 3.* Et ex Aristotele *1. Eth. 4.* contra Pont. ponentem virtutem hujus scientiæ objectum; & contra alios assignantes felicitatem humanam.

Prob. primò: omnia quæ in Ethica tractantur aliqua ratione ad viatorem probis moribus instituendum referuntur: Ergo is est objectum adæquatum Ethicæ. Probatio Antecedentis patebit ex progressu quæstionum ponẽdarum; nam de bono, fine, & beatitudine vera agitur in Ethica, quæ ad viatorem referuntur, ut incentiva proborum morum seu actionũ humanarum ejus: de intellectu, seu rectâ ratione; & voluntate ac libero arbitrio, quæ velut conditiones, vel ut principia elicitiva proborum morum, seu operationum moralium honestarum ad eundem referuntur: de conscientia recta, legibus & habitibus acquisitis Ethicis, quæ tanquam regulæ directivæ bonorum operum, & actionum probarum moralium ejus reducuntur; & de virtutibus, quæ sunt ipsæ mores probi, seu actiones humanæ bonæ moraliter elicitæ Viatoris: & tandem de malo, beatitudine fallaci, conscientia erronea, scrupulosâ &c. peccatis &c. quæ ad viatorem moribus probè instituendum referuntur ut opposita bono, felicitati veræ, conscientiæ rectæ, &c. & virtutibus &c. quæ per se referuntur ad eundem viatorem: oppositorum autem eadem est disciplinatio, & ratio: Ergo omnia quæ in Ethica tractantur, aliqua ratione ad viatorem moribus probis instituendum referuntur.

Probatur secundò: Viator ut probis moribus instituendus consideratur ab omni specie Ethicæ particularis; putà à Monastica ut dirigibilis, & moralizabilis circa seipsum; in Oeconomica, ut rectè instruendus circa regimen familiæ, & subjectionem ejusdem; in Politica, ut prudenter se gerens in functionibus gubernij, & subjectione Principis: præterea idem viator habet passiones demonstrabiles in Ethica, nimirum dirigibilitatem sui in genere moris, &c. præsupponitur etiam in Ethica an sit, & quid sit viator moribus probis instituendus; habet tandem Principia particularia actionum humanarum, puta voluntatem, & habitus, quæ sunt conditiones objecti adæquati: Ergo Viator ut probis moribus instituendus rectè assignatur pro objecto adæquato Ethicæ. Circa secundum punctum quæstionis.

2. *Quis finis naturalis Ethicæ.*

Dico secundò: finis naturalis Ethicæ rectè statuitur honesta vita, temporalis ac naturalis beatitudo, seu felicitas acquirenda. Ita colligitur ex *1. Ethic. 4. & 5.* & ex Seneca *Epist. 88.* & habet Aur. Colum. Frassen &c.

Probatur: finis ex Aristotele *2. Physic. text. 29. & 31.* est cujus gratiâ aliquid fit: sed quæ ab Ethica fiunt gratiâ honestæ vitæ, & temporalis beatitudinis ac felicitatis acquirendæ fiunt: Ergo honesta vita, & temporalis beatitudo ac felicitas, rectè statuitur finis Ethicæ. Prob. Min. *de prima parte*; ideo enim Ethica varias præscribit regulas actionis humanæ, puta conscientiam, leges, &c. Ideo pariter secernit bonum à malo, & ostendit, quæ rectæ sint operationes, ut homines honestè vivant: Ergo honesta vita est finis Ethicæ. Prob. eadem Min. *de secunda parte*; ideo Ethica in tota sua latitudine ordinat ad bonos, & probos mores assequendos, ut tandem ijs mediantibus viator assequatur scopum suum, ad quem habet naturale desiderium, qui est possessio beatitudinis naturalis, & temporalis, infrà explicandæ, quæ viatorem sufficienter contentum efficit pro hac mortali vita: Ergo temporalis & naturalis beatitudo seu felicitas rectè statuitur finis Ethicæ. Accedit, quòd nihil congruentiùs assignari possit pro fine Ethicæ, quàm vita honesta; & beatitudo naturalis, per cujus considerationem Ethica distinguitur ab omni alia scientia: Ergo &c. Circa tertium punctum Quæstionis.

Dico

3. *Ethica est necessaria omnibus hominibus.*

Dico tertiò: Ethica necessaria est omnibus hominibus perfectum usum rationis habentibus, cujuscunque sint statûs, & conditionis.

Prob. Ethica instruit, qua ratione probè vivendum in hac vita, qualiter operationes rectæ rationi consentaneæ sint eliciendæ, refrænandi inordinati motus passionum naturalium; Regna, Respublicæ, regiones & familiæ benè gubernandæ; debitus cultus Numini supremo exhibendus; obedientia parentibus, Principibus, Magistratibus, alijsque superioribus præstanda; in summa docet, quo pacto vita rectè componenda in genere moris: sed hujusmodi instructio, & doctrina est necessaria omnibus hominibus perfectum usum rationis habentibus, cujuscunque status & conditionis: Ergo &c.

4. *Locus quidam ex Aristotele interpretatur.*

Objicies: Aristoteles *1. Ethic.* dicit, quòd Juvenis non sit idoneus Auditor Philosophiæ moralis, seu Ethicæ: Ergo &c. Respondeo interpretando Philosophum, & dico eum duntaxat velle, quòd non sit tam aptus Auditor Philosophiæ Moralis, sicut vir defectu maturati judicij & prudentiæ; simpliciter tamen aptus, & idoneus est ad hanc disciplinam capescendam; & ejus cognitio ipsi magis, quàm viro est necessaria: nam juvenes acriùs passionum, vitiorúmque motibus, ac insultibus agitantur, propter dominantem, & ebullientem in eo calorem naturalem: Unde talis debet callere præcepta, & regulas Ethices de refrænandis iisdem motibus. Circa ultimum punctum quæstionis.

5. *Ethica cæteris Philosophiæ partibus est utilior.*

DICO quartò: Ethica cæteris Philosophiæ partibus est utilior.

Probat. *primò*: cæteræ Philosophiæ partes, Logica, Physica, & Metaphysica reddunt hominem duntaxat bonum respectivè, hoc est bonum in tali facultate peculiari, puta Logicum bonum, physicum bonum, & metaphysicum bonum: Ethica autem reddit hominem absolutè bonum, puta virtutibus moralibus conspicuum, alijsque bonis moribus instructum: Ergo Ethica est utilior cæteris Philosophiæ partibus. *Secundò*: major utilitas Ethicæ præ alijs Philosophiæ partibus colligitur ex eo, quòd hæc facultas ordinetur ad expulsionem, & cautelam vitiorum, quibus homo excluditur à naturali beatitudine, & temporali fœlicitate summè utili: Ergo &c. *Tertiò*: cognoscere seipsum, & practicè moderari suis passionibus est magis utile, quàm speculativè nosse res alias; imò summa Philosophiæ veræ consistit in cognitione sui; uti constat ex Platone *lib. de Philos.* dicente; *philosophari non est plurima scire; sed seipsum cognoscere, quod sapere est*: sed hoc præstat Ethica: Ergo Ethica est utilior cæteris Philosophiæ partibus.

DISTIN-

DISTINCTIO II.

De Principijs motivis Ethicarum actionum.

PROLOQUIUM.

UT Viator ſuas actiones Ethicas ſeu humanas promptè eliciat, & probatos laudabiléſque mores edat, ſolet naturaliter allici à certis cauſis extrinſecis, quæ ſunt, bonum, finis, beatitudo ſeu felicitas aſſequenda; unde hæc rectè vocantur principia motiva; *quibus ſcilicet movetur ad probè operandum; de his in præſenti diſtinctione. Unde ſit.*

QUÆSTIO I.

De bono Ethico; & malo ei oppoſito.

1. *Varia acceptiones Boni.*

NOta primò: hoc vocabulum, *Bonum*, varias habere uſurpationes, & conſequenter diviſiones. Primò; uſurpatur pro *bono tranſcendente*; hôc ſenſu eſt una ex Metaphyſicis propietatibus entis, conveniens omni enti. Secundò *pro bono naturali*; hôc ſenſu omne conveniens, congruum, & appetibile dicitur bonum: Tertiò, *pro bono ſupernaturali*; & hoc, vel increato, vel creato; bonũ ſupernaturale increatum eſt DEUS; creatum eſt beatitudo, quæ eſt ſummum bonum hominis. Naturale rurſus aliud eſt *bonum animi*; cujuſmodi ſunt virtutes; aliud *bonum corporis*; cujuſmodi ſunt bona ſanitas, pulchritudo, &c. aliud *bonum fortunæ*, cujuſmodi ſunt divitiæ: aliud *bonum honeſtum*, quod appetitur propter ſe, licètque naturam rationalem, cujuſmodi eſt omnis virtus: aliud *bonum utile*, quod gratiâ alterius appetitur, ut opes & bonum delectabile, cujus præſentia affert habenti delectationem. Quartò: uſurpatur pro *bono morali* (de quo hìc) & eſt illud, quod rectæ rationi conſentaneum eſt, allicitque noſtram voluntatem ad bene operandum Ethicè. Unde.

2. *Deſcribitur bonum morale.*

Dico primò: bene deſcribitur bonum morale, *eſt illud quod ratione conformitatis integræ cum dictamine rectæ rationis, natum eſt movere voluntatem viatoris, ad laudabiliter operandum.*

Prob. hæc deſcriptio bene elucidat naturam boni moralis; convenítque omni & ſoli: Ergo &c. per ly *eſt illud quod ratione conformitatis*, datur intelligi bonum morale, ut contradiſtinguitur à bono naturali, debere importare convenientiam, ac conformitatem ad rectam rationem tanquam ad regulam actionum Ethicarum: per ly, *integræ cum dictamine rectæ rationis*, datur intelligi ad bonum morale requiri convenientiam completam, & complexionem omnium earum rerum, quas recta ratio ſuadet ineſſe; uti ſunt, objectum conveniens, circumſtantiæ honeſtæ, modus, & finis honeſtus, ex quibus omnibus integratur bonitas moralis, juxta illud D. Dionyſij de Div. Nom. cap. 4. *bonum eſt ex integra cauſa.* Additur ly *natum eſt movere voluntatem* &c. ut exprimatur boni moralis principatio; nam bonum morale quà tale influit tantùm in actiones Ethicas in genere cauſæ allicientis, ſeu moventis appetitum elicitum viatoris, ſeu voluntatem. Additur tandem *ad laudabiliter operandum*, ut oſtendatur effectus, quem bonum morale allicitivè principians natum eſt ponere, qui eſt actio laudabilis, ſeu operatio Ethica, in genere moris bene elicita. Circa exiſtentiam hujus Boni,

Dico

3. *Extat bonum morale.*

Dico secundò: datur in hoc mundo Bonum morale. est communis Ethicorum.

Prob. *primò:* authoritate S. Scripturæ, boni moralis existentiam exprimentis; unde *2. Paralip. 24. cap. fecit quod bonum est coram Domino* Et Matt, *5. ut videant opera vestra bona;* Ergo &c. *Secundò:* authoritate Ecclesiæ, quæ cantat in Officio divino D. Laurentij; *Laurentius bonum opus operatus est:* Ergo &c. *Tertiò* ratione: experientiâ constat, nos sæpiùs elicere operationes Ethicas integrè conformes dictamini rectæ rationis, in quibus proinde relucet bonum morale; tales sunt cultus, quô colimus supremum numen; administratio justitiæ vel exercitium alterius virtutis moralis.

4. *Quidam textus S. Scripturæ exponitur.*

Objicies: S. Scriptura Joan. 19. ait: *mundus totus in maligno positus:* Ergo nil boni ampliùs in ipso extat. Resp. Glossando scripturam cum D. Augustino *tract. 3. in Joan.* & dico, per mundum ibi non intelligi totam collectionem hominum mundi; sed solos vitiosos incolas mundi, plenos malignitate, & varijs vitijs. Circa malum, quod opponitur bono morali.

5. *Usurpationes variæ mali.*

Nota secundò: *Malum* posse primò usurpari, & dividi variè pro varietate boni, cui adversatur malum & quô privat: ad propositum tamen magis celebratur illa D. Augustini doctrina, quâ usurpat, & partitur *1. de. lib. cap. 1.* Malum, in malum naturæ, & malum moris. *Malum naturæ* est privatio perfectionis naturalis; tale malum esset partus monstruosus, v. g. homo biceps, & quadrudes. *Malum moris*, est privatio perfectionis moralis: hoc si privet perfectione morali, seu rectitudine debita inesse actui, ob legem naturæ, vel aliam obligantem sub peccato Theologico, dicitur *Malum culpæ*; cui deinde correspondet *Malum pœnæ*. id est privatio boni aliàs debiti: hoc Malum subeunt damnati in inferno, ubi privantur bonô beatitudinis, aliàs debitæ rectè viventibus.

6. *Descriptio mali moralis.*

Dico tertiò: rectè describitur Malum morale, ut opponitur bono morali, quòd *sit privatio moralis boni, seu conformitatis actûs voluntatis, quâ viator conformari debuit dictamini rectæ rationis in operatione sua ethica.*

Prob. primò authoritate SS. PP. qui Malum morale describunt per ordinem ad privationem boni moralis, quod bonum formaliter consistit, in conformitate actûs voluntatis cum dictamine rectæ rationis. Unde D. Dionysius *4. de Div. Nom.* ait: *malum est perfectionis, boni, proprij privatio.* Et S. August. *in Enchir. cap. 11. quid est autem aliud Malum, quod dicitur, nisi privatio boni?* Ergo &c.

Prob. secundò ratione: hac definitione aptè exprimitur natura mali moralis: Ergo &c. Ly, *privatio* est genus; reliqua statuuntur pro differentia. Dicitur *privatio moralis boni*, ad distinctionem boni naturalis, & aliorum bonorum; & ut detur intelligi Malum morale formaliter non esse aliquid positivum; sed privativum; ut docent citati PP. additur *seu conformitatis actûs voluntatis*, ad majorem declarationem formæ, quâ Malum morale privat, quæ est conformitas actûs voluntatis, in qua formaliter consistit bonum morale. Subditur tandem, *qua viator conformari debet cum dictamine rectæ rationis &c.* ad designandam regulam, quam respicit prædicta conformitas, quæ est dictamen rectæ rationis. Ex hactenus dictis.

Infertur primò: tunc operationem, vel actum aliquem esse Ethicè, & moraliter bonum: quando specificatur à bono morali, suprà definito; seu quando est integrè conformis dictamini rectæ rationis: tunc verò erit malus moraliter, quando specificabitur à Malo morali, hic descripto; seu quando erit difformis rectæ rationi.

7. *Extant multa mala moralia.*

Dico quartò: existit in hoc mundo multiplex Malum morale. Est communis Ethicorum.

Prob. *primò* authoritate S. Scripturæ asserentis, & referentis varia Mala; unde de suo Malo peccati ingemiscit David Psal. 50. *Tibi soli peccavi, & Malum coram te feci.* Et Eccles. 4. dicitur, *oculus malus ad Mala &c* Et *Matth. 6.* jubemur orare ad Dominum, *libera nos à Malo:* Ergo &c. *Secundò* authoritate SS. PP. Mali existentiam affirmantium, ut videre est apud Div. Hieronymum, *in cap. 6. Jeremiæ.* Et S. August. *in Psal. 34.* Et Chrysost. *hom. 40. in Matth.* Ergo &c. *Tertiò* ratione: experientiâ constat nos aliquando ponere actus difformes rectæ rationi, & legibus, v.g. dum detrahimus proximo, irascimur proximo, blasphemamus DEUM, vel Sanctos, resistimus

mus superiori legitimo, aut aliam actionem Ethicam distortam elicimus, in quibus proinde relucet Malum morale: Ergo existit Malum morale.

8. *Malum quâ tale non est allicitivum voluntatis ad sui amorem.*

Dico quintò. Omnis Ethicè operans semper allicitur & movetur ab aliquo bono, saltèm repræsentato ut tali; unde Malum quâ tale nunquam est allicitivum voluntatis ad sui amorem & prosecutionem. Ita colligitur ex Scoto *4. dist. 49. q. 10.*

Prob. primò authoritate D. Dionysij *cap. 4. de Div. Nom.* dicentis: nemo intendens ad malum operatur. Secundò authoritate Aristotelis *1. Ethic. cap. 1.* scribentis: omnis ars, omnis doctrina, actio atque electio bonum appetere videtur. Tertiò ratione: malum qua tale non est appetibile objectum; quia non est conveniens: Ergo nequit esse allicitivum voluntatis ad sui amorem, & prosecutionē; & consequenter illud, quod allicit Ethicè operantem, semper est aliquod bonum, saltèm operanti sic repræsentatum ut bonum, v. g. dum homo movetur ad homicidium, aut aliud facinus circa alium perpetrandum, movetur à positione vindictæ, quæ ei repræsentatur per rationem errantem, ut bona & conveniens hîc & nunc; unde dixit D. August. lib. 10. Confess. cap. 8. *nec ipsum Catilinam amavisse sua facinora; sed ubique aliud, cujus gratiâ illa perpetrabat*, scilicet propter vindictam.

9. *Dæmones peccantes respiciunt ad aliquod bonum.*

Obicies: Dæmones in inferno alliciuntur, & moventur â malo Theologico, id est à peccatis, ad amplius peccandum: Item illi, qui ex præfixa malitia peccant: Item illi, qui se spontè laqueò suffocant: Ergo &c. Resp. Neg. Ant. nam & Dæmones sibi repræsentant aliquod bonum in suis peccatis, quæ in inferno patrant; putant enim sese per ea plùs displicere DEO vindici, & ultori eorum peccatorum; atque ita bonum vindictæ intendunt; præterea ex displicentia illa arbitrantur se consecuturos aliquam voluptatem; ex eò quòd animus furentis pro delicijs habeat, adversario ingratum quid moliri. Similiter peccantes ex præfixa malitia concipiūt, ac repræsentant sibi in actibus peccaminosis bonum alicujus delectationis, vel satisfactionis humanæ, quam ut finem operationis sibi præfigunt; v.g. ex determinata malitia occidens hominem repræsentat sibi in homicidio vindictã, vel ruinam proximi, vel gustum ex sanguine humano effuso resultantem, vel alia. Similiter dico de illis, qui laqueô se suffocant, qui concipiunt & repræsentant sibi hujus actionis finem aliquē particularem, puta terminationem malorum & anxietatum, quas patiuntur; aut alium.

QUÆSTIO II.
De Fine Ethico.

1. *Finis alius est ultimus; alius non ultimus.*

Nota primò: *Finem* (ut alias ejus divisiones taceam tactas alibi) dividi primò in Ultimum, & non Ultimum. *Non Ultimus* est, qui ulterius ad alium ordinatur; talis est v. g. largitio denariorum, quæ ordinatur ad sublevandam miseriam egeni, & obtinendam gratiam DEI. *Ultimus* est qui non ordinatur ad aliud, sed ejus gratiâ fiunt reliqua; talis est beatitudo supernaturalis. Hic finis rursus partitur in finem Ultimum secundùm quid, & Ultimum simpliciter, seu absolutè. *Finis Ultimus secundùm quid* est in certo aliquo genere; sic v.g. sanitas intenta à Medico est finis omnium curationum, medicinarum, & industriarum, quas Medicus adhibet, ut sanet ægrotum. *Finis Ultimus simpliciter* est ille, qui in omni prorsus genere est ille, ad quem omnia ordinantur entia; talis est DEUS solus, ut dicetur infrà.

2. *Alius naturalis; alius supernaturalis.*

Nota secundò: finem secundò partiri in Naturalem, & Supernaturalem. *Naturalis* est, quem Viator naturæ viribus attingere potest; talis est felicitas humana, seu naturalis contemplatio, & amor DEI. *Supernaturalis* est, ad quem attingendum præter naturæ vires requiritur etiam auxilium DEI speciale; talis est felicitas æterna, seu visio, & fruitio DEI superna. Supernaturalis subdividitur in Objectivum, & Formalem; *Objectivus* est ipsum objectum supernum videndum, & fruendum. *Formalis* est operatio, quâ attingitur dictum objectum.

3. *Datur finis ultimus naturalis.*

Dico primò: datur finis Ultimus simpliciter tam naturalis, quàm supernaturalis actionum Ethicarum. Ita habet communis consensus Philosophorū, & Theologorum.

Prob. prima pars *de fine naturali* authoritate Aristotelis; qui *2. Met. text. 8.* docet, dari aliquod necessarium in agentibus præsertim intellectualibus, quod habet rationem simpliciter ultimi finis. Et *2. Met. cap. 2.* asserit, in essentialiter subordinatis non procedi in infinitum: cùm itaque ab Authore naturæ omnia sint ad invicem ordinata, ac dispositain numero, pondere, & mensura, sequitur actiones quoq; Ethicas suum proprium, & simpliciter ultimum finem naturalem habere, ad quem ab eodem Authore naturæ ordinatæ sunt.

Prob. secundò ratione: tum, *quia in unoquoque genere datur unum, quod est metrum, & mensura aliorum*, ut inquit Philosophus *10. Met. cap. 2.* Ergo & in genere moris datur unus finis naturalis simpliciter ultimus actionum Ethicarum. Tum quia datur unum simpliciter principium primum efficiens, à quo pendent omnia efficientia: Ergo etiam dari debet aliquis finis naturalis simpliciter ultimus, quem respiciant omnes actiones Ethicæ. Tum quia experientiâ constat, homines quiescere, & alios amplius non investigare fines, postea quam DEUM per contemplationem, & amorem (qui est finis simpliciter ultimus naturalis, ut infrà ostendam) sunt adepti: Ergo datur finis naturalis ultimus simpliciter actionum Ethicarum.

4. *Et supernaturalis.*

Prob. secunda pars *de fine supernaturali*, primò authoritate S. Scripturæ; datur beatitudo supernaturalis, quæ cōsistit in visione, & fruitione DEI, sed hæc est simpliciter ultimus finis supernaturalis actionum Ethicarum: Ergo datur finis supernaturalis simpliciter ultimus actionum Ethicarum. Maj. est articulus fidei, definitus in Clem. *ad nostram de hæreticis*: & Trident. *Seß. 25.* & patet ex illo Joan. *3. cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicut est.* Prob. ergo Min. beatitudo supernaturalis consistens in visione, & fruitione DEI, ultimatè, & completè quietat, ac satiat appetitum hominis, juxta illud Psal. 16. *tunc satiabor, cùm apparuerit gloria tua*: Ergo hæc est simpliciter ultimus finis supernaturalis actionum Ethicarum.

Dico secundò: DEUS benedictus solus est simpliciter ultimus finis allicitivus actionum Ethicarum. Colligitur ex Scoto *1. dist. 2. q. 2. §. inter 3. conclusiones*, & est communis Christianorum Philosophorum; contra Stoicos, & alios plures Ethnicos Philosophos, quorum opiniones infra refutabuntur agendo de beatitudine ultimata.

5. *Deus solus est ultimus finis actionum Ethicarum.*

Prob. tum quia ita constat ex S. Scriptura *Apoc. 1.* ubi DEUS dicit de se, *Ego sum principium & finis*: Ergo &c. Tum quia solus DEUS est beatitudo supernaturalis objectiva hominis: Ergo & finis simpliciter ultimus omnium actionum ejus Ethicarum. Tum tandem, quia illud est finis simpliciter ultimus actionum Ethicarum, ad quem referuntur omnes actiones Ethicæ; ad beatitudinem autem supernaturalem omnes actiones Ethicæ referuntur, tanquam media moralia proportionata ad eandem summam felicitatem consequendam: Ergo &c.

6. *Ethicè operans nequit duos fines adæquatos simul intendere.*

Dico tertiò: Ethicè operans nequit intendere simul plures fines adæquatos, & ultimos; colligitur ex Scoto *1. distinct.* citata.

Prob. primò authoritate S. Scripturæ; nam *Isai. 20. cap.* dicitur; *angustum est stratum, ita ut alter decidat; & pallium breve utrumque operire nequit*; quem passum commentantes S. Scripturæ Interpretes dicunt, eum debere intelligi de amore voluntatis Ethico, qui duos fines adæquatos, & ultimos, ac sibi non subordinatos intendere nequit: unde etiam dicebat Salvator Matth. *6. nemo potest duobus dominis servire*: Ergo &c.

Prob. secundò ratione: tum quia quivis finis adæquatus, & ultimus quà talis adæquat actionem Ethicè operantis, & eandem ultimatè terminat: Ergo eadem actio nequit ulteriùs ab alio fine adæquari, & ultimatè terminari; aliàs simul adæquaretur, & terminaretur à primo; & non adæquaretur, & non terminaretur; quod contradictionem involvit. Tum quia; ut in Libris Physicorum dixi, idem effectus nequit habere duas causas totales, & adæquatas effectrices: Ergo nec etiam eadem operatio Ethica poterit respicere duos fines ultimos & adæquatos.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De Beatitudine Ethica.

1. *Beatitudo alia eſt naturalis, alia ſupernaturalis.*

NOta primò: ad propoſitum Beatitudinem aliam eſſe naturalem, aliam ſupernaturalem. *Supernaturalis* definitur à Boëtio *2. de Conſol. proſa. 2. Status bonorum omnium aggregatione perfectus*; ſed expeditiùs deſcribi poteſt, quòd *ſit illud ſummum bonum, quo adeptò appetitus ejus completè ſatiatur, & ultimatè quieſcit tanquam in fine ultimo.* De hac tractare ex profeſſo ſpectat ad Theologos: quare vide *Tom. II. Scholæ meæ Theolog. Tract. IX. Diſt. I. Naturalis beatitudo* (de qua pertinet in Ethica agere) bene deſcribitur, quòd *ſit ſtatus, in quo hominis viatoris nativa deſideria ita complentur, ut hic verè contentus vivat.* Et hæc eſt unum ex principijs motivis, & allicitivis ad bene Ethicè operandum.

2. *Beatitudo naturalis vel eſt perfecta, vel imperfecta.*

Nota ſecundò: Beatitudinem hanc naturalem aliam eſſe perfectam, aliam imperfectam. *Perfecta Beatitudo naturalis* eſt, quæ omnia deſideria nativa, ac cupiditates viatoris hominis explet, omnemque prorſus miſeriam ab eo excludit, ita ut nullius mali, aut incommodi eventu, & occurſu turbetur. *Imperfecta* eſt, quæ deſideria viatoris utcunque explet, & ſufficienter contentum efficit; licèt omnem prorſus miſeriam ab eo non excludat. Utraque eſt Objectiva, & Formalis. *Objectiva* dicitur ipſum objectum contentans hominem: *Formalis* verò operatio, qua homo attingit illud objectum contentans.

3. *Viator hic nequit aſſequi beatitudinem naturalē perfectam.*

Dico primò: Viator in hoc ſtatu viæ nequit aſſequi perfectam beatitudinem naturalem; bene tamen imperfectam. Ita communis Philoſophorum.

Prob. prima pars authoritate S. Scripturæ; aſſerentis univerſaliter in hac lachrymarū valle dari varias miſerias, afflictiones, mortes, & ſimilia incommoda, quæ pugnant cum perfecta beatitudine ſeu felicitate ſtatûs viæ: unde dicitur Job. 14. *homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis miſerijs;* quas cōtemplans vetus Heraclitus ſemper flebat. Et Eccleſ. 1. *vidi cuncta, quæ fiunt ſub Sole, & ecce univerſa vanitas, & afflictio ſpiritûs.* Et Sap. 9. *dicitur, omnes morimur, & ſicut aqua dilabimur.* Et propterea bene cecinit Poëta. Æn. 2.

Ubique luctus, ubique clamor, & plurima mortis imago. Ergo &c.

Prob. ſecundò authoritate SS. PP. ſtatum hujus viæ paſſim miſerum proclamantium in ſuis Scriptis, & hominis viatoris exiguam, calamitoſam, & incommodis plenam conditionem effigiantium; unde D. Bernardus (cui conſonat Ariſtoteles *apud Strabæum*) eandem *in ſuis meditationibus cap. 3.* deſcribens ait; hominem viatorem eſſe ſperma fœtidum, ſaccum ſtercorum, cibum vermium, imbecillitatis exemplum, temporis ſpolium, fortunæ luſum, inconſtantiæ imaginem, invidiæ & calamitatis trutinam: Ergo is in ſtatu viæ nequit aſſequi perfectam beatitudinem naturalem, utpote quæ excludit omnes miſerias, & incommoda ſimilia.

Prob. tertiò ratione: in hoc ſtatu viæ Viator nullo genere entis, & objecti creati ultimatè explet omnia deſideria ſuæ animæ; ut infrà patebit, examinando ſingula bona hujus vitæ; & propterea Pſalmiſta ſuſpirat aliud objectum Divinum ſuæ cupiditatis ſatiativum ultimatè dicens; *ſicut cervus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te DEUS.* Et ideo D. Auguſt. *1. Conf. 1.* rectè ait: *quoniam feciſti nos Domine ad te, irrequietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*: Ergo Viator in hoc ſtatu viæ nequit aſſequi perfectam beatitudinem naturalem.

4. *Bene tamen imperfectā.*

Prob. ſecunda pars *primò* authoritate Divi Auguſtini; qui imperfectam beatitudinem naturalem concedit protoparentibus noſtris in Paradiſo *lib. 11. de Civit. cap. 12.* dicens: *quis enim primos illos homines in Paradiſo negare audeat beatos fuiſſe* (ſcilicet beatitudine naturali) *ante peccatum? Secundò* ratione: quia experientiâ conſtat, quoſdam viros in DEI contemplatione perfectos, ita contentari in hac vita, ob adhæſionem affectûs tenaciſſimam cum DEO bonorum omnium fonte, ut nullis temporalibus moleſtijs, aut preſſuris, quas patiuntur, turbentur à requie interna animæ; ſed ſorte ſuâ contentiſſimi vivant; quod ſanè arguit magnam felicitatem, & beatitudinem naturalem; etſi non omnimodè completam, & ulti-

ultimatè satiativam, ob desiderium supernæ civitatis Christi, ad quam aspirant dicendo cum Apostolo, *cupio dissolvi, & esse cum Christo:* Ergo Viator in hoc statu viæ potest assequi saltèm imperfectam beatitudinem naturalem. Sed circa hujus objectum

5. *Veterum varia opiniones de beatitudine objectiva naturali.*

Nota tertiò: varias esse opiniones, maximè antiquorum Philosophorum, in quonam consistat betitudo objectiva naturalis, allicitiva actionum nostrarum Ethicarum; ut videre est apud Aristotelem *1. & 7. Ethic.* & Sanctum Ambrosium *2. de Offic.* Unde refert Divus Augustinus *19. Civit. cap. 1.* Marcium Varronem numerâsse 288. oppositas sententias de felicitate hac humana; quæ ad tres classes reduci possunt, videlicet ut quædam versentur circa bona fortunæ, ut objecta felicitatis temporalis; quædam circa bona corporis; & alia tandem circa bona animi.

6. *Quid bona fortunæ, corporis, & animi.*

Nota quartò: per *bona fortunæ* hìc intelligi, bona aliqua externa hujus mundi; cujusmodi sunt potissimè divitiæ, potestas, honor, & gloria. Per *bona corporis* intelliguntur perfectiones quædam afficientes corpus Viatoris hominis; & sunt potissimè sanitas, pulchritudo, & fortitudo. Per *bonâ animi* intelliguntur perfectiones aliquæ afficientes immediatè animum, seu animam; cujusmodi sunt ipsa substantia animæ rationalis, ejus facultates, habitus, & operationes contemplativæ cælestium.

7. *Beatitudo objectiva naturalis non consistit in bonis fortunæ.*

Dico secundò: in nullis fortunæ bonis consistit vera objectiva beatitudo naturalis, & temporalis felicitas. Deducitur ex Scoto *4. distinct. 49. q. 1. §. ad primam Quæst.* Et sequitur communis Philosophorum Christianorum; contra Academicos, & alios veteres.

8. *Puta in divitijs.*

Probatur discurrendo per singula bona fortunæ; *primò* non consistit in divitijs, seu opibus; tum quia Sacræ Literæ divitiarum accumulationem, & affectum dissvadent; quòd non facerent, si in eis consisteret vera beatitudo naturalis objectiva; dicitur namque Matth. 6. *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.* Et Psal. 61. *divitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Tum quia SS. PP. ratione felicitatis, & beatitudinis veræ naturalis objectivæ apertè denegant divitijs; unde Augustinus *libro 1. de Disciplina Christiana cap. 1.* ait: *pecunia te non facit beatum.* Et Chrysologus in *quodam Sermone* â divitijs excludit securitatem, & quietem, quæ est conditio beatitudinis veræ naturalis, dicens: *auri custos, servator argenti securitatem non habet, nescit quietem.* Et Gregorius *in cap. 8. Lucæ*, asserit, opes affligere mentem; quòd non præstarent, si in eis sita foret vera beatitudo temporalis objectiva; *cogitationum suarum*, inquit, *punctionibus mentem lacerant, & cum usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant.* Et Sanctus Hieronymus *in Psalmum 83.* ait, divitias esse peccati effectum; quod repugnat veræ beatitudini naturali; *omnis dives*, inquit citatus Doctor, *aut iniquus, aut iniqui hæres est.* Tum quia divitiæ non satiant ultimatè desiderium nativum hominis, ut patet ex illo Ecclesiastici cap. 10. *avarus non implebitur pecuniâ:* Et ex illo Poëtæ:

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Insuper opes sunt incentivum malorum plurium; unde Seneca in *lib. de paupert. hoc enim efficiunt divitiæ, inflant animos, superbiam, & arrogantiam pariunt, invidiam contrahunt, & eò usque mentem alienant; ut fames pecuniæ nos etiam nocitura delectet:* Ergo in illis bonis Fortunæ, quæ divitiæ appellantur, non consistit felicitas, & vera beatitudo naturalis objectiva.

9. *Potestate.*

Prob. etiam quod nec *in potestate*, potentia, & imperio, seu dignitate, quæ est altera species bonorum fortunæ; tum quia potestas, dignitas, & imperium, exposita sunt varijs imperfectionibus, quæ cum vera felicitate, & beatitudine objectiva non cohærent; puta passionibus: unde Sap. 6. dicitur: *potentes autem potenter tormenta patientur.* Item eadem subjacent varijs molestis curis; unde Agrippa *ad August. apud Dionem l. 53. necessum est, ut qui magnum imperium gerat, multis curis, & motibus conficiatur.* Item Gubernatores, ac potestatem habentes vivunt cum perenni timore, ne dignitatem acceptam amittant; ijdem odio multiplici afficiuntur; sollicitudine premuntur, vigilijs, & laboribus confu-

conſumuntur pro ſubditorum cōſervatione; unde rectè Seneca *ad Polib.* ait; *magna ſervitus eſt ex magna fortuna, omnium ſomnos vigilia Principis offendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vocationem illius occupatio:* Ergo in his bonis fortunæ, quæ poteſtas, & imperium, ſeu dignitas appellantur, non conſiſtit vera felicitas, & beatitudo naturalis objectiva.

10. *Honore.*

Prob. præterea, quòd *nec in honore*, quæ eſt tertia ſpecies fortunæ bonorum. Tum quia & honor ſuas habet annexas miſerias, & pœnas, aliàs incompoſſibiles cum vera felicitate, & beatitudine naturali objectiva; Unde D. Chryſoſt. *in Matth.* ſcribit; *honoris magnitudo his, qui pro digno vivunt honore, ſtimulus incipit eſſe pœnarum.* Tum quia honor eſt in honorante, ut ait Ariſtoteles *1. Ethic. 5.* & non in ipſo honorato: volente ſigno exteriori declarare honorati æſtimationem, & dignitatem; unde retractari poteſt ab honorante pro libitu, & ſic facilè evaneſcet; Felicitas autem & beatitudo eſt in ipſo beato, & ſtabilis. Tum quia honor eſt expoſitus magnæ ſollicitudini, qua honoratus eundem ſtudet conſervare; beatitudo verò debet eſſe res curis carens, unde rectè D. Chryſ. *in quodam ſermone*, ait: *honores ſollicitudo inſeparabiliter comitatur; pompa & favor mundi fumus eſt, & aura ſubitò evaneſcens:* Ergo in bonis fortunæ, quæ honores dicuntur; non rectè ſtatuitur vera beatitudo naturalis objectiva.

11. *Gloria & fama.*

Prob. tandem *de gloria*, & fama mundi, quæ eſt quarta ſpecies bonorum fortunæ: Gloria eſt quoque quiddam inconſtans, mutabile, & amiſſibile, quod beatitudini repugnat, utpote quæ eſt perpetua, & inconcuſſa: gloria item ſæpe eſt fucata, inanis, reddens homines elatos, inſolentes, pendet totaliter ab arbitrio hominum; eandem quærere ſæpe involvit imperfectionem: unde S. Bernardus *in ferm. 12. non recti planè, ſed perverſi animi eſt, quærere gloriam, & non exercere virtutem; & velle coronari, qui non legitimè certaveris:* quæ omnes conditiones gloriæ ſunt incompatibiles cum vera felicitate, & beatitudine naturali objectiva: Ergo hæc in gloria non conſiſtit.

12. *Neque tem-*

Dico tertiò: ſimiliter vera objectiva beatitudo naturalis, & vera felicitas temporalis hominis, non conſiſtit in ullis bonis corporis. Deducitur ex Scoto *4. diſt. 11. q. 4.* Et eſt contra Epicureos, ac Mahometanos; qui felicitatem in voluptatibus corporeis ſtatuunt.

…ſiſtit in bonis corporis.

Prob. primò in communi: bona corporis, puta valetudo, ſeu ſanitas, robur, pulchritudo, & voluptas ſenſuum, non explent deſideria nativa hominis Viatoris ultimatè: ſæpe ſunt irritamenta vitiorum, ſunt communia bonis, & malis, imò & brutis; unde Seneca ad *Lucullum* ait; *valet homo, valent & Leones; formoſus eſt, & pavones, velox eſt, & equi; vocem habent, ſed quantò clariorem canes, acutiorem aquilæ, graviorem tauri, dulciorem melioremque luſciniæ:* ſed vera felicitas, & vera beatitudo naturalis objectiva debet explere deſideria hominis, convenire ſolis hominibus, & quidem bonis duntaxat, inclinare ad virtutes: Ergo &c.

13. *Puta in ſanitate.*

Prob. ſecundò: ponderando ſingula bona corporis in particulari: primò *ſanitas, ſeu bona valetudo, & robur* ſunt labilia, & de facili evacuantur per morbos, impugnantur continuò per primarum qualitatum in corpore humano reſidentium pugnam inter ſe; ab elementis, à beſtiis venenoſis, & malis hominibus; quæ omnia non cohærent cum vera felicitate objectiva: Ergo &c.

14. *In pulchritudine.*

Secundò *pulchritudo* hominis eſt quoque res vana, inſtabilis, & *triduana febri* (ut loquitur Boëtius *lib. 3. de conſ. pro. 3.*) *poteſt diſſolvi:* Unde Prov. 31. dicitur; *vana eſt pulchritudo:* Et Poëta:

Forma bonum fragile eſt, quantùmque accedit ad annos
Fit minor, & ſpatiò carpitur illa ſuô.

Ergo &c.

15. *In voluptatibus carnis & ſenſuum.*

Tertiò: *voluptates carnis, & ſenſuum*, cujuſmodi ſunt, epulæ, venus, &c. damnant finaliter hominem, juxta illud Job. *21. ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad infernum deſcendunt;* Eædem obruunt mentem, deprimunt intellectum, tollunt rationem, diſſolvunt bonam temperiem corporis, morbos inducunt, inclinant ad omne genus vitiorum, ſunt communes pecudibus; unde Boëtius; *nihil cauſæ eſt, quin pecudes quoque beatæ eſſe dicantur, quarum omnis ad explendam corporalem lacunam feſtinat intentio:* Ergo in hujuſmodi bonis voluptatis non conſiſtit beatitudo naturalis vera objectiva.

Dico

16. *Neque consistit in bonis animi.*

Dico quartò: nec tandem *in bonis animi*; aut alia quacunque re creata, consistit vera felicitas, & vera beatitudo naturalis objectiva. Deducitur ex Scoto *4. dist. 49. q. 1. & 8.* Est contra Zenonem, Stoicos, & Platonicos quosdam.

17. *Non in substantia anima, potentijs, operationibus &c.*

Prob. prima pars discurrendo per singula bona animi: primò non consistit *in substantia animæ*; tù quia hæc est communis bonis, & malis, felicibus, & non felicibus hominibus. Tum quia substantia animæ non explet nativa desideria hominis: aliàs etiam damnatus esset beatus, utpote gaudens substantiâ animi seu animæ. Nec etiam *in usu facultatũ animi materialium, & sensitivarum*; quia & hæ potentiæ sunt communes hominibus, & belluis; sunt insuper defectibiles, volubiles, & corruptibiles &c. Nec *in usu spiritualium facultatum*, puta intellectûs & voluntatis; quia hæ potentiæ sunt obnoxiæ defectibus, puta intellectus erroribus physicis in cognoscendo; voluntas erroribus moralibus, seu peccatis in appetendo illicita. Præterea nec etiam consistit *in habitibus animi*, puta virtutibus; quia cum his stare potest multa miseria, quæ sæpè animum etiam sapientis deficit, cujusmodi est tormentum injustum, &c. Item habitus animi reperiuntur etiam in dormientibus; qui tamen tunc beati dici nequeunt. Nec tandem *in operationibus animæ rationalis contemplativæ cœlestium*, v. g. syderum, intelligentiarum, seu substantiarum separatarum, & cœlorum; quia hæ quoque expositæ sunt multis erroribus; sunt communes bonis, & malis; non satiant ultimatè animam; sunt ordinatæ ad aliud, puta ad aliud summum bonum consequendum: adeóque in his consistere nequit vera beatitudo naturalis objectiva.

18. *Nec in ulla re creata.*

Prob. secunda pars: quæcumque res creata aliquam miseriam, & imperfectionem annexam habet, incompossibilem cum vera beatitudine naturali objectiva: unde rectè dicitur Eccl. *1. vanitas vanitatum, & omnia vanitas, & afflictio spiritus*; præterea nulla res creata satiat desiderium hominis; unde Bernard. *serm. de dedicat.* ait; *avida mens hominis potest rebus creatis occupari, satiari non potest*: Ergo in nulla re creata consistit vera beatitudo naturalis objectiva. Unde

19. *Sed in solo DEO.*

Dico quintò: in solo DEO consistit vera completa felicitas, & beatitudo naturalis objectiva hominis. Ita colligitur ex Scoto *in 1. dist. 1. q. 2.* & sequitur communis Philosophorum Christianorum.

Prob. Tum authoritate D. August. *lib. contra Adimantum ante cap. 19.* dicentis; *tota beatitudo in solo DEO inconcussè figitur*. Tum quia solus DEUS explere potest omnia nativa desideria hominis; cùm solus sit omnis boni origo; solus omnibus modis bonus; puta bonitate essentiali, quàm habet ratione infinitè perfectæ naturæ, seu Divinæ Essentiæ; Est bonus bonitate principij, quàm habet ex eo, quòd omnia bona principiet, juxta illud Gen. *Vidit DEUS cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Est bonus bonitate communicationis; ex eo, *quòd omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Jac. 1. Est bonus bonitate exemplari; quia rectissima DEI voluntas est exemplar, & regula nostrarum operationum, juxta illud Matt. 5. *estote ergo & vos perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Item solus DEUS est expers omnis miseriæ, defectûs; solus perfectissimus, undequaque plenus omni contentamento invariabili: Ergo solus DEUS rectè statuitur vera completa felicitas, & beatitudo naturalis objectiva hominis.

20. *Beatitudo verò formalis consistit in contemplatione naturali DEI ut provisoris, ac in amore ejusdem.*

Dico sextò: beatitudo verò formalis naturalis hominis Viatoris pro hoc statu viæ consistit in contemplatione naturali DEI, quatenus rerum humanarum Provisoris, ac in amore ejusdem. Ita Trismegistus, *cap. 19. sui Pœmander.* pluresque alij veteres Philosophi, qui in contemplatione supremæ veritatis, & præstantissimæ bonitatis dilectione (quorum utrumque solus DEUS est,) beatitudinem naturalem posuère; accedunt Philosophi Christiani.

Probatur: Tum quia istæ duæ operationes, contemplatio scil. DEI ut rerũ humanarum Provisoris, & ejusdem amor seu fruitio, explent desideria nativa hominis Viatoris, quantùm pro hoc statu viæ concessum est, contentant eundem, ac quietant sufficienter, ne ulteriorem investigent prosperitatem, stabilem finem suarum operationum; eædem firmant ipsum, ne per adversos casus dejiciatur, vel per prosperos eventus

tus extollatur; homo enim mediante contemplatione Dei haurit notitiam supremi alicujus, ac sapientissimi Conditoris, & Moderatoris rerum omnium, disponentis singula in pondere, numero, & mensura, ac coordinantis eadem ad fines salutares proficuos creaturæ rationali; ex quo tandem idem Viator promptè sese huic divino subjicit Moderatori, eique adhæret per amorem; & demum ita in se erigitur, ac stabilitur, ut nullis eventibus sinistris ab interna mentis quiete abstrahatur; quod veræ formalis beatitudinis naturalis, & felicitatis temporalis argumentum est: Ergo beatitudo formalis naturalis hominis viatoris pro hoc statu viæ consistit in contemplatione naturali DEI, quatenus rerum humanarum Provisoris, ac in ejusdem amore.

21. *Quidam objecto obviatur.*

Objicies istæ duæ operationes nō sunt stabiles, sicut debet esse beatitudo: Ergo &c. Resp. primò: Neg. Ant. nam in proposito illud dicitur stabile, quod nullis sinistris fortunæ casibus everti potest; istæ autem duæ operationes, contemplatio scilicet, & amor DEI, multis sinistris fortunæ eventibus possunt everti. Resp. Secundò: Dist. Ant. non sunt stabiles quoad existentiam, Con. Ant. quoad effectum, Neg. Ant. Itaque licèt contemplatio, & amor DEI quandoq; alijs actibus beati interrumpatur; semper tamen effectus ejus remanet, quæ est interna mentis quies, & lætitia.

DISINCTIO III.

De Principio productivo actionum Ethicarum.

PROLOQUIUM.

AD eliciendas ac producendas actiones Ethicas plura concurrunt, puta intellectus, appetitus sensitivus, DEUS, Angeli, astra & voluntas; quare hic decidendum erit, quodnam ex his sit verum principium productivum, & elicitivum operationis moralis, quà talis, seu humana, seu Ethica, & quo pacto reliqua concurrentia illam moveant. Quare sit

QUÆSTIO I.

Voluntas statuitur pro principio productivo actionum Ethicarum; & ejus liberum arbitrium declaratur.

I. *Sola voluntas humana est principium proprium actionum ethicarum.*

DIco primò: sola voluntas humana dicenda est proprium, & verum principium productivum actionum Ethicarum. Ita Scotus *dist. 41. q. unicâ*: Et deducitur ex Aristotele *2. Ethic. 2.* & est communis Philosophorum, ac Theologorum.

Prob. Tum quia actiones Ethicæ sunt idem, quod actus humani; sed actuum humanorum principium verum, & proprium productivum, est sola voluntas humana: Ergo &c. Probatur Min. sola voluntas est, quæ dat actibus humanis rationem veri liberi, per quam hi ab alijs actibus, puta cognoscitivis, sensitivis, &c. distinguuntur essentialiter: Ergo actuum humanorum, principium verum, & proprium productivum est sola voluntas. Tum quia communis omnium scholasticorum de Ethica, & actibus humanis tractantium sensus tenet, & appellat solos illos actus Ethicos, & humanos, qui à voluntate eliciuntur: Insuper illi actus soli sunt laude, vel vituperio digni, meriti vel de-

demeriti capaces, (cujusmodi sunt actiones Ethicæ) qui à voluntate proficiscuntur, vel saltèm imperantur ab ea: Ergo hæc sola est proprium principium productivum actionum Ethicarum.

2. *Voluntas principians ethicè prærequirit cognitionem directivam.*

Dico secundò: ut tamen voluntas verè principiet, & producat actionem Ethicam, prærequirit cognitionem quandam directivam intellectûs, sed tanquam conditionem duntaxat sinè qua non. Ita Scotus, & D. Thomas cum suis; contra Nominales.

Prob. Prima pars authoritate SS. PP. dicentium ad omnem operationem voluntatis, & consequenter etiam Ethicam, necessariò præcisè concurrere illustrationem & directionem intellectûs; ut videre est apud D. Anselmum. *lib. de concor. præscient. 16.* & apud S. Bernardum *lib. de gratia & libero arbitr.* in principio; unde etiam D. Augustinus *lib. 10. de Trin. cap. 1.* ait; *rem prorsus ignotam amare omninò nullus potest.* Et hinc ortum illud vulgare Philosoph. *nil volitum, nisi præcognitum*: Ergo &c.

Prob. secundò ratione: voluntas ex se est potentia cæca, adeóque indiga prævij luminis in ordine ad ponendos suos actus; hoc autem lumen est cognitio intellectûs directiva, illustrans, docens, instruens, & dictans bonitatem, vel malitiam actuum ponendorum: Ergo ut voluntas verè principiet, & producat actionem Ethicam, prærequirit hujusmodi cognitionem directivam intellectûs.

3. *Sed ut conditionem tantum.*

Prob. secunda pars: præfata cognitio directiva intellectûs non influit effectivè in ipsam actionem Ethicam voluntatis; Ergo est tantùm conditio sinè qua non. Prob. Ant. illud influit effectivè, quô positô sequitur effectus: sed positâ cognitione directivâ non sequitur semper actio Ethica; quia voluntas potest, & solet sæpe ob sui indifferentiam, suspendere suum actum: Ergo &c. Deinde ipsa voluntas est causa sufficienter effectiva actioins Ethicæ, utpote completâ activitate præditâ, & operans cum quodam pondere, & inclinatione: Ergo gratìs multiplicatur alia concausa effectivè influens in eandem. Circa alterum articulum quæstionis.

Nota primò: voluntatem humanam dici principium liberum agendi, ratione liberi arbitrij in homine residentis. Describitur autem liberum arbitrium juxta principia Scoti, *2. dist. 25. q. unica: quòd sit facultas activa cum indifferentia contradictionis, & contrarietatis, ad operandum, ita ut positis omnibus prærequisitis ad operandum possit agere, vel non agere; & hoc agere, vel agere oppositum.* Hujusmodi liberum arbitrium in anima hominis Viatoris negárunt in primis Stoici, Priscilianistæ: deinde hos secuti fuêre Abailardus, Wiclephus, & Hussius; demum his subscripserunt Lutherus, Calvinus, Bucerus, & alij Novatores: contra quos

4. *Extat liberum arbitrium in homine ethicè operandum.*

Dico tertiò: extat in quovis homine Viatore verum Liberum Arbitrium, in ordine ad actiones Ethicas eliciendas. Est communis Catholicorum.

Prob. primò authoritate S. Scripturæ; liberum arbitrium homini Viatori attribuentis: unde dicitur Num. 20. *in Arbitrio viri erit, sive faciat, sive non faciat.* Et Eccles. 15. *DEUS ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui.* Et paulò infrà, *apposui tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum,* ubi Liberi Arbitrij ratio clarè exprimitur in homine: Ergo &c.

Probatur secundò authoritate Conciliorum: nam opinionem negantem Liberum Arbitrium hominis damnavit Conc. Bracarense *I. Can. 10.* Et Constantiense *Sess. 8.* Et Arausicanum *Can. 25.* Et novissimum Tridentinum *Sess. 6. Can. 4.* ait: *Liberum Arbitrium cooperari assentiendo DEO excitanti, & posse dissentire, si velit*: Ergo extat in quovis homine Liberum Arbitrium.

Prob. tertiò authoritate SS. Patrum; eandem facultatem cum omnimoda indifferentia asserentium; ut videre est apud Damascenum, *lib. 2. de fide cap. 16.* Et apud S. Hieronymum, *Epist. ad Damas. de filio prodigo.* Et apud D. Augustinum *Epist. 46.* dicentem, *si non est DEI gratia, quomodo DEUS salvat mundum; & si non est Liberum Arbitrium, quomodo judicat mundum?*

Prob. quartò ratione: tum quia experimentô constat, quemvis nostrûm in se experiri voluntatem ad posse laudabiliter operari, vel non operari; sicut posse stare, vel sedere; quod experimẽtum si quis negaret, non verbis (inquit Scotus) sed verberibus esset arguendus quousque rogaret supplex ut ab ijs cesse-
tur;

tur; cui tūc meritò responderetur, in arbitrio nostro non esse, à verberibus desistere. Tum quia in homine est vis consultandi: Ergo & eligendi, quæ vocatur Liberum Arbitrium. Tum quia si in homine viatore non extaret Liberum Arbitrium, frustra ordinarentur pro eo passim tot leges à Deo, & potestatibus creatis; cùm eas defectu libertatis observare non posset; sicut frustra pro phreneticis ob similem causam conderentur aliqua præcepta. Unde rectè D. Aug. *lib. de fide contra Manich.* ait: *quis non clamat stultum esse, præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur, facere*: Ergo &c. Hæreticorū objectiones vide solutas *in Schola mea Theol. Tom. 2. Tract. 7. dist. 1. q. 4.*

5. *Liberum Arbitrium est formaliter ipsa voluntas.*

Dico quartò: Liberum Arbitrium est formaliter ipsamet potentia voluntatis hominis. Ita Scotus, *quodl. 18. n. 9.* & *in 2. dist. 15*, & cōmunior Scotistarum ac Thomistarum, contra P. Frassen, & quosdam alios Scotistas, qui illud formaliter distinguunt à potentia volitiva.

Prob. *primò* authoritate S. Scripturæ, quæ rationem Liberi Arbitrij attribuit voluntati, volens per hoc indigitare; quòd sit eadem formaliter facultas; unde dicitur *1. ad Cor. 7. non habens necessitatem, potestatem* (id est Liberum Arbitriū, seu indifferentiam ad operandum) *autem habens suæ voluntatis*: Ergo &c. *Secundò* authoritate Cōciliorum, & SS. PP. qui libertatem voluntatis vocant Liberum Arbitrium, atq; adeò unum pro altero tanquam synonimon usurpant; sic loquitur Conc. Arausicanum *II. Can. 3.* Et Damasc. *lib. 3. de fide c. 14.* ait: *Patres Liberum Arbitrium voluntatem esse definierunt*: Ergo &c. *Tertiò* ratione: nullum adest signū sufficiens distinctionis formalis, inter potentiam voluntatis, & Liberum Arbitrium: Ergo &c. Deinde solius potentiæ voluntatis est operari cum indifferentia contradictionis; & contrarietatis: ipsaq; habet in potestate, & dominatione actus suos sic, ut de ijs ad libitum possit disponere, quod propriū est Liberi Arbitrij: Ergo Liberum Arbitrium coincidit formaliter cum ipsa potentia voluntatis.

QUÆSTIO II.

Num, & qua ratione voluntas hominis ad operandū Ethicè moveatur ab appetitu sensitivo, Deo, Angelis, & astris.

1. *Voluntas humana movetur ab appetitu sensitivo.*

Dico: Voluntas hominis viatoris, aliquando movetur ab appetitu sensitivo, seu passionibus concupiscentiæ ad principiandū, & producendum Ethicas actiones; sed moraliter duntaxat. Ita Scotus *2. dist. 25.* & Scotistæ contra Thomistas, quoad secundam partem.

Prob. prima pars: Tum authoritate S. Scrip. ejusmodi motum passim asserentis, ut Jacobi 1. c. *unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* Tum ratione, quia experimentò quotidianò advertimus in nobis adhuc in via constitutis oriri rebellionem portionis inferioris adversùs superiorem, seu appetitûs sensitivi ad rationalem; similiter sentimus voluntatē motibus iræ, intemperantiæ, & libidinis subjacere; unde de his conqueritur D. Paulus ad Rom. 7. *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*: Ergo voluntas hominis viatoris, quandoq; movetur ab appetitu sensitivo ad principiandum Ethicas actiones, etsi malas in re.

2. *Sed moraliter duntaxat.*

Prob. secunda pars: motio, quam exercet appetitus sensitivus in voluntatem, consistit duntaxat in quadam allicitione, quæ oritur ex eo, quòd objectū conveniens appetitui sensitivo propter connexionem potentiarum fiat quoque conveniens voluntati, ita ut voluntas illud quoq; prosequatur, & in eo delectetur; sed ejusmodi allicitio est tantùm moralis: Ergo voluntas hominis viatotoris moraliter duntaxat movetur ab appetitu sensitivo ad principiandum actionem Ethicam.

3. *Huic motioni tamen potest resistere.*

Dico secundò: voluntas tamen hominis viatoris stante ejusmodi motione morali potest resistere passionibus præfati appetitûs, si velit. Ita communis Theologorum, contra Novatores, seu Recentiores Hæreticos.

Prob. Tum quia ita patet ex textibus S. Script. *priori quæst.* pro conclusione tertia allatis, probantibus quòd pro omni differentia temporis, & consequenter etiam stante illa motione morali appetitûs sensitivi voluntas adhuc gaudeat verô Liberô Arbitriô, de cujus ratione

tione est posse assentiri, vel dissentiri passionibus, ac motibus appetitus sensitivi: Ergo &c. Tum quia si voluntas mota ab appetitu sensitivo nō posset resistere, sequeretur, quòd operando illicitum, non peccaret; nam D. Aug. *lib. 3. de lib. arb. c. 3.* ait: *hoc brevissimum tene; quæcunque ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur, &c. quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest*: sed sequela est falsa: Ergo &c.

4. *Interpretatio super locum D. Augustini.*

Objicies cum hæreticis: S. August. apud D. Thomam *q. 4. de verit. art. 3.* dicit: *cogenti cupiditati* (id est concupiscentiæ, seu appetitui sensitivo) *voluntas resistere non potest*: Ergo &c. Resp. glossando D. Aug. & dico, ipsum solùm velle, quòd cum magna difficultate, & tantùm ex speciali gratia DEI resistatur cupiditati; simpliciter tamen posse resisti, fatetur idem S. Pater *lib. 2. de actis cum Felic. Manich. c. 4.* dum ait indefinitè; *habet unusquisq; in voluntate sua, aut eligere quæ bona sunt* (utique etiam in casu excitatæ cupiditatis) *& esse arbor bona; aut eligere mala, & esse arbor mala.*

5. *Voluntas viatoris etiam à DEO movetur physicè.*

Dico tertiò: voluntas hominis viatoris etiā movetur à DEO ad bene Ethicè operandum, tum physicè, tum moraliter. Ita Scotus *2. dist. 27.* & cōmunis.

Prob. *de physica motione* authoritate S. Scripturæ, nam de ejusmodi motione intelligitur illud Apostoli ad Philipp. 2. *qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Et illud Act. 17. *in ipso enim vivimus, movemur, & sumus.* Et est ratio, quia DEUS est causa prima, & universalis: Ergo influit physicè in omnes causas secundas particulares: & consequenter etiam in voluntatem hominis viatoris, ut bene Ethicè operetur.

6. *Et moraliter.*

Prob. etiam *de motione morali*: DEUS voluntatem hominis viatoris sæpè prævenit pijs inspirationibus, allicit, atque inflectit suaviter ad opera salutaria pœnitentiæ, & actus virtutum; unde dicitur Proverb. 21. *sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu DEI est, & quocunque voluerit, flectet illud*: sed hoc est moraliter movere: Ergo voluntas hominis viatoris movetur à DEO moraliter ad bene Ethicè operandum.

7. *Similiter ab Angelis est movibilis.*

Dico quartò: voluntas hominis viatoris pariter ab Angelis moveri potest ad ponendam operationem Ethicam. Ita communis Theologorum.

Prob. Angeli, maximè custodes, possunt, & solent illustrare hominum intellectus, & immutare phantasiam, manifestando scilicet evidentiùs objectū amabile, per specierum antiquarum excitationem, vel novarum productionem in intellectu, & commovendo, & commiscendo phantasmata recondita in phantasia, humores, & spiritus animales excitando, ex quarum commotione varia, multiplex rerum sensibilium repræsentatio oritur, & exinde varius affectus in appetitu sensitivo; quibus demum allicitur, & attrahitur voluntas ad consentiendum, & Ethicè operandum: Ergo revera voluntas hominis viatoris moveri potest ab Angelis ad ponendam Ethicam operationem.

8. *Et tandem etiam ab Astris.*

Dico quintò: voluntas hominis viatoris tandem etiam ab Astris, & alijs corporibus cœlestibus moveri potest ad agendum Ethicè. Ita quoque cōmunis Theologorum, & Philosophorum.

Prob. tum quia Planetæ, & Astra influunt indirectè, & mediatè saltèm in animam rationalem; uti ostendi in Physica, *Tract. de fabrica mundi, & cæli, dist. 1. q. 18.* quare immediatè alterare possunt sensus corporeos, cōmovendo spiritus vitales, & animales; ex quo deinde formantur varia phantasmata; quæ tandem intellectui & voluntati objecta illas potentias attrahunt ad inclinationem sensuum; atque ita voluntas hominis viatoris ab ijsdem Planetis, & Astris moveri potest ad agendum Ethicè.

DISTINCTIO IV.

De varijs Conditionibus, & Multiplicitate Actionum Ethicarum.

PRÆFATIO.

Posteaquam prioribus Distinctionibus actionum Ethicarum principia tum motiva, tum productiva discussi, recto ordine hic ventilabo varias conditiones

ditiones earundem cujusmodi sunt bonitas, malitia, ratio voluntarij, involuntarij, circumstantiæ, &c. simulq; diversitatem actuum Ethicorum prosequar. Quare sit

QUÆSTIO I.

De bonitate, & malitia actionum Ethicarum; ubi etiam de indifferentia actuum.

1. *Describitur bonitas moralis actionis Ethicæ.*

Dico primò: bene describitur *bonitas* moralis actionis Ethicæ, quòd *sit integritas, & aggregatio omniũ quæ recta ratio dictat actui inesse debere.* *Malitia* verò moralis, quòd *sit carentia eorum, quæ recta ratio dictat actui inesse debere.* Deducitur ex Scoto *2. dist. 40. q. 1.* & *1. dist. 17. q. 3.*

Explicantur hæ descriptiones: ly *aggregatio*, & *integitas* in prima descriptione habent rationem generis; reliqua statuuntur pro differentiâ: dicitur *aggregatio, & integritas omnium*, id est complexio istarum omnium rerum, quæ requiruntur ad rationem actionis Ethicæ bonæ, cujusmodi sunt potentia, objectum, tempus, locus, modus, finis & aliæ circumstantiæ, ut explicat *cit.* Doct. additur, *quæ recta ratio dictat actui inesse debere*, ut ostendatur, quòd actiones bonitate morali præditæ dicant habitudinem ad regulam rectam morum, quæ est recta ratio, dictans quô pactô actio sit elicienda, ut sit ethicè bona. In secunda descriptione ly *carentia* est genus; reliqua differentiæ locô ponuntur; *additur eorum quæ recta ratio &c.* ut detur intelligi, malitiam moralem ex opposito consistere in defectu eorum, quæ deberent actionem Ethicam circumstantionare, ut sit moraliter bona. Ex his

Infertur primò: illam actionem esse Ethicè bonam, quæ est affecta bonitate morali mox descriptâ: illa verò erit mala Ethicè, quæ est affecta illâ malitiâ morali, in conclusione expressâ: de existentia similium actionum, vide quæ dixi suprà *dist. 2. q. 1.*

2. *Bonitas, & malitia moralis nõ sunt differentiæ essentiales Ethicæ operum.*

Dico secundò bonitas, & malitia moralis non sunt differentiæ essentiales actionis Ethicæ comparatæ ad ipsum actũ. Ita Scotus *1. dist. 17. q. 3.* cum suis; contra Occamum, Capreolum, &c.

Prob. tum authoritate D. Aug. *l. 4. Hipagn. Resp. 4.* dicentis; *peccatum* (in quo est malitia moralis) *non est natura aliqua, sed actus incidens ex defectu boni*: quod autẽ est incidens, est aliquid accidentale, & non essentiale: Ergo &c. Tum ratione: bonitas, & malitia possunt separari ab actione Ethica, manente ipsa entitate physicâ; ut patet de actu comestionis carnium, inchoato ante mediam noctem diei Jovis, & continuatam post medium noctis, quo casu bonitas moralis, quæ priùs poterat inesse actui (suppositò quòd Religiosus v. g. ex obedientia illas carnes comedisset) separatur à tali actu, & succedit malitia moralis: Ergo bonitas, & malitia moralis nõ sunt differentiæ essentiales actionis Ethicæ. Consequentia tenet; quia formalitates essentiales rei non possunt separari à re, cujus sunt formalitates.

Dixi; *comparatæ ad ipsum actum*; quia si bonitas, & malitia moralis comparentur ad se invicem, sunt duæ species moralitatis ut sic, essentialiter sibi oppositæ, incompatibiles simul & semel in eodem actu.

3. *Actio Ethica sumit bonitatem vel malitiam ab objecto.*

Dico tertiò: quævis actio Ethica sumit bonitatem, vel malitiam moralem ab objecto, in quod tendit. Ita Scotus *quodl. 18. art. 1.* cum sua Schola.

Prob. *primò* authoritate S. Scripturæ; nam de malitia morali derivata ab objecto in actionem Ethicam intelligitur illud Oseæ 9. *facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.* Secundò ratione: quia secundùm Aristotelem *2. de anima* omnis actus specificatur ab objecto in genere naturæ: Ergo etiam omnis actio Ethica in genere moris; specificari autẽ ab objecto in genere moris, est sumere bonitatem, vel malitiam ab objecto: Ergo quævis actio Ethica sumit bonitatẽ, vel malitiam moralem ab objecto, in quod tendit.

4. *Alia & alia est bonitas vel malitia in actu interno, & externo.*

Dico quartò: in actione Ethica externa est distincta bonitas, vel malitia, à bonitate, vel malitia actûs interni. Ita Scotus *2. dist. 4. q. 4.* & Scotistæ, cum S. Bonav. Alensi, &c. contra Thomistas.

Prob. specialiter *de malitia* primò authori-

thoritate Scripturæ S.: In Scriptura Sac. actio Ethica externa, & actus internus prohibentur distinctis præceptis; ut patet de actione Ethica externa furti in Decalogo, illis verbis *non furtum facies*, & de actu interno illis alijs, *non concupisces rem proximi tui*: quod signum est in actione Ethica externa adesse distinctam malitiam ab illa, quæ est in actu interno. *Secundo* authoritate D. August. *lib. 13. de Trin. cap. 5.* dicentis; *malâ enim voluntate vel sola quisque miser efficitur, sed miserior potestate, quâ desiderium malæ voluntatis completur*; ubi per miseriam intelligitur malitia, & culpa alia in voluntatis actu interno residente, & alia in actu externo complente desiderium voluntatis: Ergo &c.

Prob. deinde utraque pars conclusionis simul: bonitas moralis, ut suprà dixi, est integritas omnium, quæ recta ratio dictat debere inesse actui; & malitia est carentia alicujus eorum: sed alia est integritas actionis externæ, & alia internæ; & alia carentia in hoc, & illo, quia actiones externæ sunt subordinatæ legi, & regulis morum, quibus conformari possunt, vel difformari, nó minùs, quam actus interni: Ergo actiones externæ habent distinctam bonitatem, vel malitiã à bonitate, vel malitia actûs interni. Vide plura fundamenta hujus Conclusionis, & objectiones adversariorum solutas *in Schola mea Theol. Scotist. Tom: 2. tr. de actib. hum. dist. 3. q. 4.* Circa ultimum punctum Quæstionis

5. *Dari possunt actiones indifferentes tam in specie, quam in individuo.*

Dico quartò: possunt dari actiones indifferentes, tam in specie, quàm in individuo; id est, quæ nec habent bonitatem formalem moralem, nec malitiam. Ita Scot. *in 2. dist. 4. q. 1. & quodl. 18.*

Prob. *primò* authoritate S. Hieronymi *Epist. 89. ad August.* dicentis; *bonum est continentia, malum est luxuria, inter utrumq; indifferens ambulatio &c.* Ubi ambulatio tam specifica, quàm individualis intelligitur: Ergo &c. *Secundo* ratione: possunt dari fricatio barbæ, & ambulatio tam in specie, quàm in individuo, præcisè propter naturæ indigentiam, vel aliquam delectationem non prohibitam; sed tales actiones nec sunt bonæ; quia carent honestate morali; neq; malæ; quia carent inhonestate morali: Ergo sunt indifferẽtes tam in specie, quàm in individuo. Objecta Thomistarum vide soluta in *Schola mea Theologica loc. cit. quæst. 5.*

QUÆSTIO II.

De voluntario, & involuntario actionum Ethicarũ.

1. *Quid sit voluntarium perfectum actionis Ethicæ.*

Dico primò: bene definitur voluntarium perfectum afficiens actiones Ethicas, quòd *sit id, quod per se procedit à voluntate cum prævia cogitatione intellectiva perfecta objecti, & finis.*

Explicatur: ly id, *quod procedit à voluntate*, indigitat naturam liberi in actibus Ethicis repertam indispensabiliter ortum ducere à voluntate, quæ sola est principium voluntariè operandi; quare à ratione voluntarij excluditur actus intellectûs, etiam judicij, & discursùs, actus phantasiæ, & appetitûs sensitivi: ly *cum prævia cogitatione intellectiva perfecta, objecti, & finis*, innuit, ad rationem voluntarij perfecti, & strictè sumpti prærequiri actum intellectûs perfectum, seu deliberatum, exercitum circa bonitatem, vel malitiam attractivam, vel repudiativam objecti, in quod tendit voluntas operans voluntariè; undè à ratione voluntarij perfecti excluduntur operationes brutorum, etsi illæ fiant ob aliquẽ finem, & ex prævia aliqua phantastica apprehensione ejusdem: item actus voluntatis primi, seu indeliberati; & actus externi inde orti; hæ enim omnes operationes non procedunt ex prævia cogitatione perfecta, seu deliberata; unde duntaxat imperfectè voluntariæ vocari possunt. Quare.

2. *Quid imperfectum, interpretativum, formale, directum, & indirectum.*

Nota primò: voluntarium aliud esse perfectum, aliud imperfectum. *Perfectum* est, quod in conclusione est definitum. *Imperfectum* est, quod procedit à voluntate ex prævia cogitatione imperfecta, seu confusa intellectús, vel sensitiva. Similiter aliud est interpretativum, aliud formale. *Voluntarium interpretativum* est omissio, quâ quis voluntariè omittit aliquid sinè actu positivo. *Formale* est actus positivus volitionis, aut noltitionis alicujus objecti. Item aliud directum, seu explicitum, & in se; aliud indirectum, seu in causa; & implicitum. *Voluntarium directum explicitum, & in se est* v.g. Ebrietas voluntaria

tia directè volita ; homicidium verò, & alia peccata ex ebrietate ſecuta, dicuntur voluntaria indirectè, implicitè, & in cauſa. Exiſtentia actionum Ethicarum perfectè voluntariarum patet ex dictis ſuprà *diſt. 2. q. 1.* ubi exiſtentia liberi arbitrij, quæ actuum voluntariorum principium eſt, expenditur.

3. *Quid involuntarium.*

Dico ſecundò : involuntarium benè deſcribitur, quòd *ſit id, quod procedit ab agente rationali contra voluntatis poſitivam inclinationem.* Hæc patet ex ſe.

4. *Et quotuplex.*

Nota ſecundò : involuntarium aliud eſſe ſimpliciter, aliud ſecundùm quid involuntarium. *Involuntarium ſimpliciter* habetur, quando aliquid agitur, quod eſt abſolutè pugnans cum inclinatione voluntatis, quòdque propterea voluntas abſolutè reſpuit. *Involuntariū ſecundùm quid* habetur, quando v.g. Plato projicit merces in mare, ad ſe ſalvandum à naufragio.

5. *Quid metus concuſſivus, impreſſivus, compulſivus, reverentialis, intrinſecus, & extrinſecus.*

Nota tertiò : involuntarium ſæpe cauſari in hominibus ex varijs capitibus, puta ex metu, ex concupiſcentia, ex ignorantia. Eſt autem metus multiplex; puta concuſſivus, impreſſivus, compulſivus, reverentialis, intrinſecus, extrinſecus & cadens in conſtantem virum. *Concuſſivus*, eſt qui ortum ducit ex ſolis minis. *Impreſſivus*, qui oritur ex malis actû inflictis v.g. ex verberibus. *Compulſivus*, qui reſultat in aliquo ob potentiam incutientis metum, v.g. regnantis vel gubernantis Rempublicam. *Reverentialis*, qui oritur in aliquo ex reſpectu erga Patrem, Matrem, maritum, &c. talis eſt in filijs, & uxore. *Intrinſecus* eſt, qui oritur à cauſa intrinſeca; talis eſt in illo, qui, ut mortem evadat, ſponſalia init cum filia lictoris. *Extrinſecus* eſt, qui oritur à cauſa extrinſeca; talis eſt ille, qui incutitur Paulo à Papa minante excommunicationem, niſi Petronillam jam ſibi deſponſatam ducat in uxorem.

6. *Actiones ethicæ à metu procedentes ſunt ſimpliciter voluntariæ.*

Dico tertiò actiones Ethicæ ex metu tam elicitæ quàm imperatæ ſunt per ſe ſimpliciter voluntariæ ; frequenter tamen ſecundùm quid involuntariæ. Ita S. Bonav. S. Thomas, & Scotiſtæ communiter.

Prob. prima pars : actiones Ethicæ ex metu factæ procedunt à voluntate cum prævia cogitatione finis: Ergo ſunt ſimpliciter voluntariæ. Prob. Ant. projiciens hic & nunc merces in mare metu naufragij, conſideratis omnibus conſultò eligit ſibi hìc, & nunc bonum, projicere illas merces in mare: Ergo illa actio Ethica projectionis ex metu facta procedit à voluntate cum prævia cogitatione finis.

7. *Et aliquando ſecundùm quid involuntariæ.*

Prob. ſecunda pars : actus ex metu facti, fiunt ſæpe cum diſplicentia, ita ut quis eos non poneret, niſi malum urgeret, v.g. projectionem mercium in mare, niſi naufragium urgeret : Ergo tales actus tunc ſecundum quid ſunt involuntarij.

Dico quartò : concupiſcentia antecedens regulariter non cauſat involuntarium ſimpliciter ; minuit tamen ejus rationem, & perfectionem. Ita S. Bonaventura, D. Thomas, & communis.

8. *Concupiſcentia antecedens non cauſat involuntarium ſimpliciter.*

Prob. prima pars ; tum authoritate Nyſſeni *lib. 5. phil. cap. 1. & 3.* tum Ariſt. *3. Ethic.* hanc concluſionis partem aſſerentis. Tum ratione : concupiſcentia antecedens per ſe inclinat, & invitat voluntatem ad idem objectum delectabile proſequendum; adeoque non impellit voluntatem ad aliquid triſte, aut voluntati averſum, cujuſmodi cenſetur eſſe omne involuntarium; ſed potiùs ad aliquid jucundum, & voluntati conveniens, quale eſt voluntarium: Ergo concupiſcentia antecedens regulariter non cauſat involuntarium ſimpliciter.

9. *Minuit tamen ejus rationem.*

Prob. ſecunda pars : perfectio voluntarij conſiſtit in hoc, ut voluntas cum omni promptitudine uti poſſit ſuâ indifferentiâ, atque ſe determinare à ſemetipſa ad intrinſeco ad operandum quodlibet; ſed exurgente vehementi aliqua paſſione concupiſcentiæ voluntas non poteſt cum illa promptitudine uti ſui indifferentiâ ; eò quòd vehementer in illud objectum delectabile rapiatur à tali paſſione, & quodammodo ab extrinſeco determinetur ad conſenſû circa tale objectum: Ergo concupiſcentia aliquomodo minuit perfectionem voluntarij.

10. *Ignorantia quid cauſet ethicè.*

Dico quintò : ignorantia antecedens privativa in actionibus Ethicis cauſat ſimpliciter involuntarium; concomitans, nec cauſat voluntarium, nec involuntarium, ſed non voluntarium; conſequens verò cauſat quandoq; voluntarium in cauſa, quandoque involuntarium ſecundùm quid. Ita Scotus *4. diſt. 24. q. 1.* S. Bonavent. S. Thomas, & communior DD.

No-

II. *Quid ignorantia antecedens, concomitans, & subsequens.*

Nota autem quartò; quòd *ignorantia antecedens privativa* sit carẽtia notitiæ debitæ, antecedens omnem actum, vel liberum consensum voluntatis; dicitur aliàs etiam *inculpata*, *& invincibilis*. *Ignorantia concomitans* est carentia cognitionis debitæ, simul naturâ coincidens cũ ipso actu: seu libero consensu voluntatis, & quâ non coincidente nihilominus operans id fecisset, quod ignoranter fecit: *Subsequens* est carentia notitæ debitæ, subsequens consensum voluntatis liberum. Hæc dicitur quoque *culpabilis*, & *vincibilis* Nunc.

Prob. prima pars Conclusionis: laborans ignorantiâ antecedente privativâ communiter censetur immunis à culpa, utpote nullam habens præviam cognitionem intellectualem malitiæ in actione sua resultantis; unde excusatur Jacob. (ut discurrit D. Bonavent.) cum ejusmodi ignorantia accedens ad Liam: Ergo talis ignorantia causat in actibus Ethicis simpliciter involuntarium.

Prob. secunda pars: causatum ab ignorantia concomitante non est præcognitum: Ergo nec voluntarium; quod præviæ cognitioni indispensabiliter innititur.

Prob. tertia, & quarta pars: factum cum ignorantia concomitante adhuc factum fuisset remotâ tali ignorantiâ: Ergo non est censendum involuntarium. Quare remanet, quòd sit solùm non voluntarium, id est hìc & nunc procedens ex non voluntate; tale enim defectu scientiæ præviæ voluntas nequit intendere, & ponere.

QUÆSTIO III.

De varijs circumstantijs; & multiplicitate actionum Ethicarum.

I. *Quid sit circumstantia; & quæ ejus species.*

Nota primò: nomine *circumstantiæ* intelligi id, *quod instar accidentis moralis circumstat objectum actionis Ethicæ, & actionem ipsam jam in suo esse specifico moris constitutam afficit.* Hujusmodi accidentia moralia, seu circumstantiæ sunt septem, complexæ hôc versu.

Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando: ab his sumunt actiones Ethicæ aliquam bonitatem, vel malitiam, diversam ab ea, quæ est in objecto; ut docet Scotus *2. dist. 7. q. unic.* quare ut Ethicè operans aliqualem earum habeat notitiam, singulas in sequẽtibus breviter explicabo; uberiorum earum elucidationem vide in *schola mea Theologica, Tom. 2. tract. de act. hum. distinct. 4.*

2. *Circumstantia quis explanatur.*

Nota secundò: per circumstantiam, *quis* significatur qualitas personæ operantis, v.g. dum Rex est deditus operibus humilitatis; Papa lacessitus injurijs, &c. Ex hac circumstantia crescit quandoque operis Ethici laudabilitas, uti patet in exemplis allatis; imò quandoque malitia specifica nova in idem opus inducitur; uti patet de fornicatione ligati cum ligata.

3. *Et circumstantia quid.*

Non tertiò: per circumstantiam *quid*, insinuari quandoque quantitatem notabilem materiæ malæ, circa quam versatur Ethica actio, v.g. dum furaris centum aureos, lædis graviter honorem proximi; quandoque per eam insinuatur etiam qualitas materiæ malæ, circa quam occupatur actio Ethica. v.g. dum furaris res sacras, vel occidis Clericum: ista circumstantia, tum ratione quantitatis, tum ratione qualitatis materiæ affert distinctam specificam malitiam actioni Ethicæ.

4. *Ubi.*

Nota quartò: per *Ubi* exprimi locum, in quo perficitur operatio Ethica v. g. furtum in Ecclesia; vel sacrificatio in loco profano. Hæc circumstantia, si cadat super locum DEO consecratum, affert actioni Ethicæ malæ novam malitiam specificam: similiter si cadat super locum profanum affert actioni aliàs bonæ malitiam; uti patet in mox allegatis exemplis.

5. *Quibus auxilijs.*

Nota quintò: per ly *quibus auxilijs* denotatur circumstantia mediorum, quæ Ethicè, seu moraliter operans applicat ad attingendum finem à se intentum v.g. applicatio sclopi, vel gladij ad occidendum Platonem: Hujusmodi media, si sint speciali lege vetita, afferunt actioni Ethicæ malæ distinctam malitiam à malitia finis; v. g. si mediantibus incantationibus, & præstigijs petimas Platonem. Si verò non sint speciali lege prohibita, non refundunt novam malitiam in operationem moralem malam, v.g. dum occidis Platonem baculô, vel petrâ.

6. *Cur.*

Nota ſextò: per circumſtantiam *Cur*, intelligitur finis operantis, in quem dirigitur actio Ethica, & refertur ab ipſo operante. Hæc circumſtantia addit actioni prætatæ ſpecialem malitiam, ſi finis intentus ſit pravus: v. g. ſi des ſtipem pauperi ob vanam gloriam; ſimiliter addit ei ſpecialem bonitatem, ſi finis ſit rectus, v. g. ſi des ſtipem egeno propter amorem DEI; de hac procedit illud Matth. 6. *ſi oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit*: ubi *oculus* ſignificat intentionem finis ſecundùm gloſſam, S. Auguſtini *lib. 4. contra Julian. c. 3.* & nomine *corporis* intelligitur operatio.

7. *Quomodo.*

Nota ſeptimò per ly *quomodo* deſignari modum, quô actio Ethica communiter elicitur; puta modus intenſionis, remiſſionis, vehementia, extenſio, & duratio ejuſdem. Hæc circumſtantia auget quidem bonitatem, vel malitiam actionis Ethicæ; non tamen affert novam ſpeciem bonitatis, vel malitiæ; v. g. in occiſione Platonis, magno conatu & vehementiâ exercitâ non eſt peculiaris nova malitia: bene tamen gradualiter intenſa ipſa malitia aliàs conveniens huic actioni.

8. *Quando.*

Nota octavò per ly, *quando* importari temporis differentiam, in qua elicitur actio Ethica. v. g. erogas eleemoſynam egeno die Dominico. Hæc circumſtantia ex ſe non addit actioni morali ſpecificam novam bonitatem, vel malitiam; unde ex hoc præcisè actus non eſt novâ malitiâ malus, ſi committas uſuram, vel calumniam die feſto, ſecluſô ſcandalô. Circa alterum articulum quæſtionis.

9. *Quid actio bona & mala Ethicè; elicita, & imperata.*

Nota nonò: actionem Ethicam primò dividi, in bonam, ſeu honeſtam, & vitioſam ſeu malam: quas vide deſcriptas ſuprà *q. 1. coroll. 2. poſt 1. concluſionem.* Secundò dividitur in Elicitam, & Imperatam; *Elicita* eſt quæ per ſe, & immediatè à voluntate libera operantis elicitur, ac procedit: talis eſt omnis volitio, & nolitio. *Imperata* eſt, quæ non immediatè à voluntate elicitur; ejus tamen ductu, motione, & imperiô ab alia potentia ponitur.

10. *Aliæ ſpecies actionis Ethicæ.*

Nota decimò: de numero actionum Elicitarum, *Primò* eſt *Volitio* generaliter accepta, quæ eſt actio, quâ operans ſibi complacet in aliquo bono ut bono abſolutè, & propter ſe amabili; & habet ſub ſe *volitionem efficacem*, quâ quis proſequitur objectum cū abſoluto ordine ad executionem; & *inefficacem*, quæ ècontra explicatur.

Secundò eſt *Nolitio*, quâ alicui diſplicet aliquod objectum. Hæc pariter eſt efficax, & inefficax; quarum intellectum quære ex jam dictis, de volitione efficaci, & inefficaci. *Tertiò* eſt *Intentio finis*, quâ quis proſequitur finem, ut per media acquirendum. *Quartò* eſt *Electio*, quâ quis in concurſu plurium mediorum, per hæc ſpecifica media eligit conſecutionem finis. *Quintò* eſt *Imperium*; quod eſt motio quædam efficax, quâ voluntas ſubditis ſibi facultatibus mandat poſitionem alicujus operationis. *Sextò* eſt *Conſenſus*, quô quis amplectitur ſibi proportionatum bonum. *Septimò Diſſenſus*; qui eſt actus refutans objectum. *Octavò Uſus*: qui eſt ipſa applicatio mediorum electorum, ad finem acquirendum. *Nonò* eſt *Fruitio*: quæ eſt amor efficax finis jam obtenti.

DISINCTIO V.

De Regulis actionum Ethicarum.

PRÆNOTATIO.

Ut actiones Ethicæ rectè eliciantur in genere moris, ordinari debent per certas regulas; cujuſmodi ſunt Conſcientia, & Leges tum divina, tum humana, & Habitus; de quibus in præſenti diſtinctione: prima regula dicitur regula interna, *&* innata; *ſecunda vocatur regula* externa, *&* propoſita; *tertia dicitur* acquiſita; *& ſunt illi habitus per frequentatos actus acquiſiti, qui dirigunt Ethicè operantem, adjuvant, & ordinant, ut expeditè eliciat ſuas actiones morales.*

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De Conscientia prima Regula actionum Ethicarũ.

1. Extat in homine conscientia.

Dico primò: extat in homine Conscientia veluti regula proxima actionum Ethicarum. Est communis Ethicorum.

Prob. *primò* authoritate S. Scripturæ; quæ passim meminit Conscientiæ; sic dicitur 2. ad Corinth. 1. *gloria nostra hæc est, testimonium Conscientiæ nostræ*: & sap. 17. ac alibi; *secundò* authoritate SS. Patrum eandem asserentium; ut videre est apud S. Basilium *initio com. in Prov.* Et D. Augustinum *contra Secundinum Manichæum cap. 1.* dicentem; *sentis de Augustino quodlibet; sola me Conscientia in oculis Dei non accuset.* Accedit tertiò ratio: decebat sapientiam Conditoris naturæ humanæ, ut implantaret homini à se condito regulam dirigentem, & ostendentem qualiter se gerere deberet in tot innumeris occurrentijs agibilium: sed hæc est Conscientia, seu ratio proponens nobis quid prosequendum, & quid fugiendum; de qua proinde procedit illud Scripturæ; *psal. 4. signatum est super nos lumen vultus tui Domine*: Ergo extat in homine Conscientia, velut regula proxima actionum Ethicarum.

2. Quid sit conscientia in se.

Dico secundò: bene describitur Conscientia, quòd *sit dictamen practicum intellectûs humani, quo intellectus judicat hunc actum Ethicum hic & nunc esse exercendum, vel omittendum.*

Explicatur: ly *dictamen* est genus; reliqua sunt pro differentia posita: dicitur *dictamen practicum intellectûs humani*; ut ostendatur Conscientiam esse operationem intellectûs, & ordinari ad praxes bonas, vel malas; non verò ad speculationes ponendas. Additur, quo *intellectus judicat hunc actum Ethicũ &c.* quia revera Conscientiã dictat actu judicativo quid licitum, & illicitum sit, faciendum, vel omittendum; unde D. Basilius eam appellat *rationale judicatorium*: insuper dictat hunc numerò actum esse eiiciendum, vel omittendum; in quo distinguitur à *synderesi*, quæ versatur solùm circa bonum prosequendum in communi, & malum in communi fugiendum, v. g. synderesis dictat hoc principium generale; *omne bonum semper est amplexandum*; deinde accedit Conscientia, & dictat sic; *sed temperantia est bona*: *Ergo semper est amplexanda.*

3. Quid recta, & recta.

Nota primò: Conscientiam dividi primò in Rectam, & Erroneam; *Conscientia recta* est, quæ dictat ex rectis, indubitatis, & infallibibibus principijs, puta ex honestate, vel turpitudine, prohibitione, vel nõ prohibitione objecti, sicut à parte rei est, actionem Ethicam esse ponendam, vel omittendam. Hãc tanquam securissimã regulã regulari possũt omnes actiones bonæ Ethicæ: talis est hoc dictamen; *Numen supremum est colendum. Conscientia Erronea* est, quæ ex principijs falsis, & erroneis apprehensis ut veris, practicè dictat malum bonum; aut bonum malum, verum falsum; aut è contra: talis est hoc dictamen; *fornicatio simplex non est peccatum mortale. Conscientia Erronea invincibilis* est illa, quæ ex ignorantia invincibili ortum ducit, est regula sufficiens actionum Ethicarum bonarum: unde secundùm eandem ut talem operans tenetur operari; ut habet Scotus *2. & in Report. dist. 39. ad tert. quæst.* nõ item Conscientia vincibilis, id est resultans ex ignorantia vincibili; quam proinde operans tenetur exuere tanquã regulam falsam, & contra eandem operari; ut habet idem Doctor *in cit. Rep.*

4. Quid Probabilis.

Nota secundò: Conscientiam dividi secundò, in Probabilem, Dubiam, Scrupulosam, & Fatuam. *Probabilis Conscientia* est judicium determinativum intellectûs de aliqua re in particulari agendi ex opinione probabili: est autem opinio illa verè probabilis, quæ nititur rationibus probabilibus, & authorum graviorum authoritate: porro probabiles rationes censentur istæ juxta Arist. *1. Top cap. 1. quæ videntur tales omnibus, aut plurimis, vel sapientibus omnibus, aut plurimis.* Conscientia verè probabilis, potest esse vera regula plurium actionum bonarũ Ethicarum; etsi non omnium; uti distinctè doceo in *Schola mea Theol. Tom. 2. Tract. de Act. hum. dist. 5. q. 3. Conc. 3.*

5. Dubia, scrupulosa & fatua.

Conscientia dubia est illa, quæ ex diverso dictamine practico ita suspensa, & fluctuans efficitur, ut in neutram partem sese determinate valeat. Hæc Conscientia non est regula sufficiens actionum Ethicarum bonarum; ut habet Scot. *q. 2. prol. Conscientia scrupulosa* est judicium intellectûs, quo ex frivola, & inani quadã ratione quis suspicatur hic, & nunc adesse malum, ubi revera nõ adest. Hæc pariter non est debita, & sufficiens regula ope-

operationis moralis; ut habet communis Moralistarum: uti nec *Conscientia Fatua*, seu *hypocondriaca*, quæ est illa, quæ mens delirijs & manijs innititur, ortum habens ex pravis dispositionibus corporalibus, puta ex humoribus melancholicis, ita perturbantibus mentem, ut nullis rationibus veris duci possit, sed obvijs phantasmatibus obruatur, ac proinde exeat in actiones stolidas, seu fatuas.

QUÆSTIO II.

De Legibus, altera Regula actionum Ethicarum.

1. *Descriptio Legis ut sic.*

Dico primò: Lex in genere bene describitur, quòd *sit regula justa, stabilis, communis, promulgata, lata ab eo qui potestatem habet, obligans naturam rationalem, ut illi se conformet.*

Explicatur. In *Regula* est genus: reliqua ponuntur pro differentia: dicitur *Regula justa*, ut ostendatur una conditio omnis legis obligantis, quæ est, ut justè sit lata; nam lex (inquit Isidorus *lib. 5. cap. 2.*) *erit omne, quod ratione constiterit, quod religioni congruat, quod disciplinæ conveniat.* Dicitur *stabilis*, quæ est altera conditio, id est tam diu durabilis, quàm diu manet communitas, cui fertur, & non mutatur causa, ob quam fertur; uti colligitur ex *cap. ult. de officio Legati*: & quia hujusmodi stabilitas cōgruit tranquillitati communitatis. Dicitur *communis*, quæ est tertia conditio, id est, communitatem respiciens; quia statuitur *lib. 1. ff. de Legibus, Legem esse præceptum commune, & communem Reip. sponsionem.* Dicitur *promulgata*, quæ est quarta conditio: quia dicitur *cap. 1. de concessione præbendæ in 6. Lex, constitutio, & mandatum, nullos adstringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorundem, nisi post tempus, infra quod ignorari non debuissent.* Dicitur, *Lata ab eo, qui potestatem habet*, quæ est quinta conditio, ut ostendatur Leges à determinatis personis (cujusmodi sunt supremi Principes, & eorum Ministri, specialiter ad hoc constituti, aut capita communitatum) non verò à quovis privato posse condi. Additur tandem *obligans naturam rationalem*, &c. ut ostendatur subjectum, supra quod cadit obligatio legum, quod est homo ratione utens.

2. *Quid Lex Divina, & humana.*

Nota primò: Lex primò dividitur in Divinam & humanam. *Prima* est, quæ fertur à supremo Numine DEO. *Secunda* est, quæ fertur ab homine v.g. Cæsare, Papa, Principe, &c. Lex Divina subdividitur in naturalem & positivam. *Lex Naturalis Divina* est illa regula directrix quam DEUS nostræ naturæ inseruit. *Positiva Divina* est illa, quam DEUS præscripsit hominibus per Moysen & Christum. Humana pariter subdividitur in Canonicam, & Civilem. *Prima* pendet à Papa, & Oecumœnicis Conciliis ut authoribus. *Secunda* ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, & Magistratibus ut conditoribus.

3. *Operans Ethicè tenetur se conformare legibus Divinis.*

Dico secundò: Ethicè operans tenetur actiones suas conformare justis legibus tum Divinis, tum humanis. Ita communis PP. contra quosdam Recentiores hæreticos, quoad secundam partem.

Prob. prima pars; *primò* de Lege Mosaica; quia de hac in Exodo, & alibi, extat frequens obligatio, se eidem conformandi pro illo tempore, quo vigebat. *Secundò* de Evangelica extat quoq; multiplex obligatio illam servandi expressa, tum in quatuor Evangelijs, tum in Epistolis D. Pauli, & alibi: Ergo &c.

4. *Et humanis.*

Prob. secunda pars: tum quia ita constat ex Sacra Scriptura ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (scilicet obediendo ejus legibus) *non enim est potestas, nisi à DEO: quæ autem sunt à DEO ordinata sunt; Itaque qui potestati resistit, resistit DEI ordinationi.* Tum quia Leges conduntur ad publicam tranquillitatem conservandam, vitia extirpanda, virtutes exercendas: Ergo ijsdem sese conformare debet Ethicè operans.

5. *Extat in Papa, & supremis Principibus potestas condendi leges.*

Dico tertiò: in Christianismo extat penes Papam, Imperatores, Reges, Principes supremos, Magistratus, & alios legitimos Gubernatores potestas cōdendi leges, directivas actionum Ethicarum. Ita communis Catholicorum.

Prob. de *Papis*: quia ita constat ex Sacra Scriptura Matth. 16. ubi datur Petro Summo Pontifici Ecclesiæ, & Successoribus ejus authoritas ligandi, & solvendi, utique per Leges veras: Ergo &c.

Prob. etiam de Imperatoribus, Regibus, & alijs; quia ita colligitur ex illo

prima Petri 2. subditi estote omni creaturæ (id est potestatem & regimen habenti) *sive Regi, quasi præcellenti; sive Ducibus tanquam ab eo missis*: quæ obedientia nequit adimpleri nisi obediendo Legibus justis conditis à Regibus, Ducibus, & alijs potestatibus: Ergo &c.

6. *Quæ opera Lege humana præcipi possint.*

Dico quartò: Lege humana graviter obligante præcipi possunt omnes illæ actiones externæ Ethicæ, quæ sunt moraliter necessariæ, aut utiles ad bonum commune alicujus communitatis, & similiter vetari illæ, quæ non sunt sic necessariæ, vel utiles. Ita communis Doctorum.

Prob. Legislatoria potestas est concessa ad felix, & quietum gubernium communitatis procurandum: sed ad hujusmodi gubernium conducunt actiones Ethicæ, & prohibitiones in Conclusione expressæ: Ergo illæ Lege humanâ possunt præcipi, & vetari.

7. *Leges humanæ licitè possunt interpretari.*

Dico quintò: Leges humanæ licitè possunt interpretari. Est communis.

Prob. Tum quia ita colligitur ex *L. unic. C. de possessionibus.* Tum quia ita patet ex praxi virorum Doctorum Theologorum, Canonistarum, & Jurisperitorum, facientium varias glossas, & interpretationes in leges Principum, quas tolerant Principes: Ergo &c.

8. *Leges humanæ aliquando intereunt.*

Dico sextò: Leges humanæ interire, & mutari possunt. Est communis.

Prob. Tum quia leges per successorem revocari possunt, juxta illud de *Regulis Juris in 6. Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Tum quia per consuetudinem contrariam tractu temporis enervari, & aboleri potest; uti constat ex *L. quibus ff. de Legibus.* Et *Cap. finali de consuetudine.* Tum quia potest cessare finis Legis, quo casu interit ipsa Lex, juxta argumentum *Cap. cum cessante, de Appellat.* ubi dicitur, quòd cessante causa, cesset effectus: Ergo Leges humanæ interire, & mutari possunt.

QUÆSTIO III.

De Habitibus directivis, ut sic, tertia Regula actionum Ethicarum.

1. *Quid habitus ut sic sit.*

Nota primò: In proposito secundùm Scotum *1. dist. 3. p. 3. q. 1.* nomine *Habitus* intelligi qualitatem aliquam adventitiam, difficulter a subjecto mobilem, quæ scilicet dirigendo, facilitando, determinando, & inclinando potentiam, concurrit ad eliciendas actiones Ethicas; uti patet tum ex doctrina Aristotelis *2. Ethic. 5.* tum experientiâ, quâ sentimus nos post frequens exercitium actuum temperantiæ v. g. vel justitiæ promptiores, faciliores que reddi ad alios actus temperantiæ, & justitiæ eliciendos: quare horum habituum ceu regularum quarundam regulatio consistit in præfata directione, facilitate, determinatione, & inclinatione, quam addit potentiæ illius, qui Ethicè operatur.

2. *Quid habitus virtuosus, & vitiosus.*

Nota secundò: præter alias divisiones habitus ut sic (de quibus in Logica) ad propositum, habitum alium esse virtuosum, alium esse vitiosum. *Virtuosus* est qualitas nata ex frequentatis actibus virtutum Ethicarum; talis est habitus temperantiæ, v. g. *Vitiosus* est qualitas nata ex repetitis actibus vitiorum; talis est intemperantia v. g.

3. *Dantur habitus in appetitu sensitivo.*

Dico primò: dantur tum in appetitu sensitivo, tum in intellectu, & voluntate Habitus actionum Ethicarum, aliquomodo directivi, & regulativi. Ita Scotus in *3. dist. 33. q. unica & alibi*: cum suis, contra Thomistas, Occam, Gabriel &c. Hujus Conclusionis Rationes ex professo datas vide suprà tract. 9. quæst. ult. Quibus adde sequentes.

Prob. prima pars; tum authoritate Arist. qui *1. Ethic. c. ult.* in parte irrationali, id est appetitu sensitivo, ut glossat Commentator, & alij, collocat habitus virtutum moralium fortitudinis, temperantiæ &c. Etsi hi propriè virtutes nõ sint, sed secundùm quid, & minus principaliter, ut cum Scoto advertit Bassol. noster: sed hujusmodi habitus sunt aliquomodo directivi, & regulativi actionum Ethicarum: Ergo in appetitu sensitivo dantur habitus, actionum Ethicarũ directivi, & regulativi. Tum quia appetitus sensitivus est indifferens ad objecta appetibilia, estque subijcibilis rationi, & consequenter regulabilis imperiõ voluntatis: Ergo assvefieri, & habituari potest per frequentationem actuum: & tandem ille inductus habitus poterit

poterit suò modò regulare ipsam potentiam appetitivam ad similes actus, à quibus genitus est, rursus eliciendos; unde experientiâ videmus quosdam viros Religiosos longis jejuniis ita temperantiæ habitu habituari, ut facillimè deinde actus Ethicos temperantiæ eliciant: Ergo &c.

4. *Similiter in intellectu.*

Prob. secunda pars: *primò* authoritate Aristotelis, qui *7. Ethic. cap. 4.* ponit quinque habitus intellectuales, seu in intellectu, qui utique facilitare, regulare, determinare, & inclinare poterunt eundem intellectum ad Ethice operandum ex imperio voluntatis: Ergo &c. *Secundo*: omnis potentia indifferens, & indeterminata potest determinari per aliquos habitus: sed intellectus est potentia indifferens, & indeterminata ad cognoscenda quæcunque objecta Ethica cognoscibilia: Ergo potest determinari per aliquos habitus ad ea cognoscenda: hi autem ex frequenti exercitio superadditi possunt deinde regulare, & inclinare intellectum ad actus similes imperatos Ethicos: Ergo in intellectu dari possunt (& non est ratio, cur de facto non dentur) habitus directivi, & regulativi actionum Ethicarum.

5. *Et voluntate.*

Prob. tertia pars: voluntas quoque est indifferens, & determinabilis per habitus bonos, vel malos in ordine ad actiones pravas, vel bonas Ethicas eliciendas. Præterea experientiâ compertum habemus nos post repetitos actus volitionis justitiæ v. g. promptos, faciles que reddi ad similes actus rursus eliciendos: Ergo in ea resident aliqui habitus regulates, dirigentes, facilitantes, & inclinantes ad actiones Ethicas. Circa naturam habituum virtuosorum.

6. *Descriptio habitûs virtuosi.*

Dico secundò: *Habitus* Ethicus virtuosus regulativus actionum Ethicarũ, bene describitur, quòd *sit habitus electivus actionis bonæ, in mediocritate consistens, quæ mediocritas à recta ratione definita sit.* Ita Philosophus *2. Ethic. cap. 6.* nec differt in re ab illa Divi Augustini *Lib. 83. quæstionum q. 31.* quòd *sit habitus animi, ratione consentaneus.*

Explicatur; ly *habitus* est genus; reliqua sunt pro differentia. Dicitur *habitus electivus actionis Ethicæ*, ad ostendendum habitum virtuosum in rigore, propriè, & principaliter pertinere ad voluntatem, cujus est propriè eligere, ac Ethicè operari, saltèm imperativè; si nõ semper elicitivè. Dicitur *in mediocritate consistens*, ut indicetur habitum virtuosum tenere mediũ, quatenus nec in excedens, nec in deficiens possit inclinare. Additur tandem *quæ mediocritas à recta ratione definita sit*, ut ostendatur habitum virtuosum debere esse regulatum à prudentia, quæ est recta ratio agibilium, juxta Aristotelem, *6. Ethic. c. 4.*

7. *Idem habitus vitiosus potest fieri virtuosus.*

Dico tertiò: habitus aliàs vitiosus Ethicus, potest in sua entitate invariatus fieri virtuosus. Ita Scotus *1. dist. 17. q. 3.* cum suis.

Prob. si contingat aliquem Ethnicũ acquisiisse habitum temperantiæ, ob frequentes actus temperantiæ in honorem sui idoli elicitos; si talis convertatur ad Fidem Christianam, sentiet eandem facilitatem abstinendi ob cultũ veri Dei; quo casu idem habitus in sua entitate invariatus ante conversionem vitiosus, post conversionẽ fit virtuosus: Ergo &c.

8. *Non omnes habitus virtuosi sunt connexi inter se.*

Dico quartò: non omnes habitus virtuosi Ethici sunt inter se connexi necessariò. Ita Scotus *3. dist. 36.* & Nominales; contra Thomistas.

Prob. Tum quia experientiâ cõnstat, posse exerceri unam virtutem actualem sine altera, v. g. Justitiam sine temperantia; liberalitatem sine fortitudine: Ergo neq; earum habitus resultantes ex exercitio. Tum quia objecta actionum habituum Christianorum Ethicorum sunt differentissima, & independentia à se invicem: Ergo & ipsi habitus omnes specificati ab objectis erunt independentes à se invicem, & non connexi necessariò.

QUÆSTIO IV.

De Habitibus directivis virtuosis in particulari.

1. *Habitus virtuosi dividuntur in 4. virtutes Cardinales.*

NOta primò: Habitum virtuosum ut sic, dividi in habitum prudentiæ, temperantiæ, justitiæ, & fortitudinis, quæ vocantur virtutes Cardinales; ad has reducuntur tanquam rivi ad suos fontes capitales reliqui omnes habitus virtutum Ethicarum seu moralium, propter quandam cum eis affinitatem, & connexionem.

2. *Definitur Prudentia.*

Dico primò: bene describitur *Prudentia*, quòd *sit habitus subjectatus in intellectu, inclinans eundem ad cognitionẽ actionum moraliter bonarum, & malarum.* In re con-

concordat cum illa Arist. *6. Ethic. cap. 6.* quòd *sit habitus cum recta ratione activus, circa ea quæ bona, vel mala sunt.*

Explicatur: ly *habitus* est genus; reliqua ponuntur pro differentia: dicitur *habitus subjectatus in intellectu*, ut distinguatur Prudentia ab alijs virtutibus, & habitibus Ethicis, subjectatis in voluntate, & alijs; & ut significetur, Prudentiam non esse in rigore habitum moralē virtutis, qui quà talis in sola voluntate subjectatur; sed in sensu laxo, quatenus Prudentia est directrix, regula, & norma actionum moralium: reliquæ particulæ exprimunt finem, & objectum, circa quæ versatur Prudentiæ habitus.

3. Officium prudentiæ.

Nota secundò: officium Prudentiæ esse, tum dictare media ad finem ordinata; tum ipsos fines in particulari præscribere; ut habet Scotus *3. dist. 36. q. unic.* unde omnis habitus virtuosus Ethicus, quà talis respicit Prudentiam, tanquam regulam, & mensuram sui.

4. Partes integrantes prudentiæ.

Nota tertiò: partes integrantes Prudentiæ numerari sequentes; quarum tamen aliquæ sunt impropriè partes ejus, quia etiam ad alias scientias necessariæ sunt; solummodo requiruntur ad Prudentiam ut præviæ quædam res necessariæ ad usum, & executionem Prudentiæ. Prima est *Memoria præteritorum*, hæc magnam opem affert ad rectè formandas deliberationes de fine, & medijs ad finē assequendum assumendis; quia ex ea nascitur *Experientia*, Prudentiæ Magistra. Secunda est *Intellectio*, seu *Intelligentia*; hæc est cognitio primorum principiorum practicorum. Tertia est *Docilitas*, hæc facilitat ad promptè acquiescendum monitis Prudentum, quibus rectè instruimur. Quarta est *Solertia*, quâ operans disponitur ad facilem, & subitam mediorum excogitationem. Quinta est *Ratio*, quâ quis promptus efficitur ad inferendum unum ex alio simili, vel applicandi principia generalia ad particulares Conclusiones. Hæ sunt impropriè partes Prudentiæ. Propriè autem partes Prudentiæ sunt, sexta *Circumspectio*, & est illa, quâ quis habilitatur ad rectè omnes circumstantias præsentes actionis moralis attendendas. Septima est *Providentia*, quâ rectè expenduntur futura agibilia moralia veluti jam connexa cum præsentibus. Octava est *Cautio*, quâ instruitur operans, qualiter declinare debeat impedimenta occurrentia, & ne sub specie boni malis applicetur voluntas.

5. Partes subjectivæ prudentiæ.

Nota quartò: partes subjectivæ Prudentiæ, seu species sunt multæ; insigniores recensentur hæ; *Prudentia solitaria*, seu personalis, quæ dictat, quô pactô quis prudenter se gerere debeat circa seipsum. *Oeconomica*, quæ dictat modum rectè gubernandi familiam. *Militaris*, quæ præscribit normam bene militandi: *Regalis*, quæ instruit suprema capita Regnorum & Provinciarum circa regimen publicum. *Politica*, quæ docet subditos, qualiter rectè se ordinare debeant ad recipiendū mandata Principis supremi in ordine ad stabiliendum comune bonum Reipublicæ. *Eubulia*, quæ est habitus facilitans ad rectè excogitanda media apta pro consecutione finis. *Synesis*, quæ est habitus disponens ad ferendum rectum judicium dè particularibus operabilibus consultatis lege communi definitis. *Gnomen* est habitus disponens ad probè determinandum aliqua, quæ practicanda occurrunt contra tenorem legis jam positæ, quod fit per Epikejam. Circa alteram speciem habitus virtuosi Ethici, qui dicitur Temperantia.

6. Describitur temperantia.

Dico secundò rectè describitur *Temperantia*, quòd *sit habitus virtutis moralis, versantis in moderandis voluptatibus corporis, præsertim ijs, quibus tactus, & gustus efficitur.*

Explicatur: ly *habitus virtutis moralis* est genus; reliqua statuuntur pro differentia; & denotant materiam Temperantiæ, quæ est appetitio esculentorum, poculentorum, & venereorum, ac delectatio inde resultans, ut habet Aristot. *3. Ethic. c. 10.* insuper eædem partes descriptionis insinuāt potentias externas, quibus refrænandis, & coordinandis adhibetur, puta sensum tactûs, & gustûs.

7. Quæ partes integrantes temperantiæ.

Nota quintò: partes integrantes Tēperantiæ assignantur hæ; *Verecundia*, hæc ad propositum, ut importat actum, est fuga actualis, & evitatio probri ex consideratione turpitudinis in eo relucentis. *Honestas*, hæc est perfectio quædam moralis, avertens operantem ab inhonestis voluptatibus, in escis, potibus, & veneri inservientibus; & inclinans ad decorem in abstinentia earum resplendentem.

8. Et quæ ejus species.

Nota sextò: partes subjectivæ, seu species Temperantiæ sunt *Castitas*, quæ est moderantia inordinati appetitûs, & usûs venereorum. *Pudicitia* hæc est moderantia circa oscula illicita, tactus impudicos, & similes lascivias; hæc redu-

reducitur ad castitatem. *Abstinentia*, hæc est moderantia appetitûs, usûsque esculentorum. *Sobrietas*, hæc est moderantia appetitus, usûsque potagiorum, vim inebriativam continentium.

9. *Quid Fortitudo.*

Dico tertiò: bene describitur *Fortitudo*, quòd *sit habitus virtutis moralis, moderativa motuum voluntatis, circa ferenda, & propulsanda terribilia mala ingruentia, ob honestatem, quæ in eis ferendis, vel propulsandis relucet.*

Explicatur: ly *habitus virtutis moralis*, est genus; ly *moderativa motuum voluntatis*, exhibet differentiam fortitudinis virtuosæ, à fortitudine corporis, quæ virtus non est; & simul ostendit suum subjectum, in quo est fortitudo. Reliquæ partes explicant materiam, circa quam versatur ipse habitus Fortitudinis, & formalem conceptum, sub quo Fortitudo attingit objectum suum materiale.

10. *Quæ ejus partes potentiales.*

Nota septimò: DD. passim Fortitudini concedunt solas partes potentiales, & sunt hæ; *Securitas*, quæ est quietatio voluntatis, orta ex fiducia eventûs mali terribilis tolerandi. *Magnanimitas*, est quæ inflectit voluntatem ad ardua, sublimia, & honorifica opera, rectæ rationi consentanea elicienda. *Magnificentia* est, quæ applicat notabiles sumptus, secundùm dictamen rectæ rationis, in ordine ad aliquod excellens, & laudabile opus externum consummandum. *Patientia*, hæc est moderantia mœroris animi, ne homo in adversis terribilibus præsẽtibus tolerãdis dejiciatur. *Longanimitas*, hæc est cõstans tolerantia præsentis molestiæ, quæ sentitur in dilatione notabili amolitionis præsentis mali, vel possessionis boni sperati. *Perseverantia*, hæc est stabilis continuatio cœpti operis excellentis usque ad ejus consummationem.

11. *Et qui actus ejusdem.*

Nota octavò: actus insigniores Fortitudinis Ethicæ sunt sequentes. *Primus*, in occursu terribilium malorum, significanter ingruentis mortis, juxta rationis præscriptum; non plus ea fugere, quàm appetere. *Secundus*; moderamen injicere interioribus timoris, audaciæ, & tristitiæ passionibus, plerumque consurgentibus ex consideratione terribilium malorum impendentium. *Tertius* est; temperare pariter exteriores actiones, & vultûs dispositionem, ne in eis relucere videatur aliqua exterior passio timoris, audaciæ, vel tristitiæ. *Quartus*; maximè recommendabilis est *martyrium*, quod sic bene describitur; *est tolerantia voluntaria tormentorum, & etiam ipsius mortis, ex odio fidei Catholicæ, vel alterius virtutis, inflictorum.*

12. *Describitur Justitia.*

Dico quartò: bene describitur *Justitia*, quòd *sit habitus constantis perpetuæque voluntatis, jus suum cuique tribuendi.*

Explicatur: ly *habitus* est genus; reliqua habent rationem differentiæ; dicitur *habitus constantis perpetuæque voluntatis*, ut ostendatur potentia, in qua residet hic habitus Ethicus, scilicet voluntas; & actus ad quem inclinat, qui est operatio voluntatis, tribuens alteri jus suum. Additur, *jus suum cuique tribuendi*; ut monstretur objectum, circa quod versatur Justitia, quod est jus, seu debitum reddendum cuique.

13. *Quid Justitia commutativa, & distributiva.*

Nota nonò: Justitiam primò dividi in Commutativam, & Distributivam. *Prima* est habitus inclinans ad servandam æqualitatem debitam secundùm proportionem arithmeticam inter res, seu datum, & acceptum in commutationibus privatis, à quo & denominationem Commutativæ accepit. *Secunda* est habitus inclinans ad servandam æqualitatem secundùm proportionem geometricam, in distributionibus bonorum, pecuniarum, præmiorum, & pœnarum, inter membra plura constituentia aliquod corpus politicum. *Proportio arithmetica* in hoc consistit, ut quantùm acceptum est, tantùm reddatur: v. g. data sunt mutuò sex talenta auri, rursus debent reddi sex. *Proportio Geometrica* consistit in similitudine inter ipsas proportiones, ita ut qualis est proportio inter merita personarum plurium inter se in eadem Republica ex una parte, talis sit proportio inter dignitates conferendas illis personis ex alia parte: unde prima dicitur respicere res; secunda verò ipsas personas.

14. *Quid generalis & particularis.*

Nota decimò: Justitia secundò discriminatur in Legalem, seu generalem; & particularem. *Prima* est habitus inclinans ad reddendum jus Legale Reipublicæ. *Secunda* est habitus inclinans ad reddendum jus suum cuique particulari homini. De his quatuor habitibus virtuosis quatuor virtutum Cardinalium; & eorum oppositis habitibus, & actibus Ethicis vitiosis, vide plura, quæ dico in *Schola mea Theolog. Tom. 4. tract. de virt. Card.* per totum.

✠✠✠

DI-

DISTINCTIO VI.
De Passionibus.
PROLOQUIUM.

Quoniam à Passionibus plurimùm dependent actiones Ethicæ bonæ, vel malæ; Unde in omni ætate, in omni opere, & in omni prorsus conditione, ac statu hominum reperiuntur; quare de iisdem pro Complemento Ethices nonnulla differenda veniunt. sit.

QUÆSTIO I.
De Passionibus in Communi.

1. *Quid Passio Ethica sit.*

Dico primò: Passio, ut ab Ethico consideratur, bene describitur, quòd *sit motus potentiæ appetentis, causatus ex apprehensione boni, vel mali, cum aliqua corporis, & cordis mutatione non naturali.*

Explicatur ly, *motus*, est genus; reliqua sunt differentiæ locó: nomine *motus* intelligitur commotio quædam, perturbatio, & affectio potentiæ appetentis, de qua D. August. *Tract. 46. in Joan.* Dicitur *motus potentiæ appetentis*, ut denotetur origo passionum, & subjectum, quod est appetitus tam irascibilis, quàm concupiscibilis; in utroque enim resident passiones. Dicitur *causatus ex apprehensione boni, vel mali*, ut monstrentur passionum objecta, circa quæ feruntur, quæ sunt bonum, vel malum. Dicitur *cum aliqua corporis mutatione*, quia proprium est passionum corpus nostrum commovere per excitationem spirituum vitalium, & animalium. Additur *& cordis mutatione non naturali*; nam cor humanum, quam diu vivit homo, continuo motu dilatationis, & contractionis movetur, qui tunc vocatur *naturalis*, quando cor nec nimis dilatatur, nec nimis restringitur, sed solito movetur: tunc verò dicitur *non naturalis*, quando ab ea proportione deflectit, puta si exuberet, vel deficiat: illis ergo particulis, *cum aliqua cordis mutatione non naturali*, indicatur, omnem passionem inducere mutationem, & quandam irregularitatem in motu cordis, sic v. g. gaudium inducit exuberantiam, & nimiam dilatationem; quia ea stante fit ebullitio sangvinis circa cor: tristitia verò inducit constrictionem; quia ea stante sangvis in extremis corporis partibus existens ad cor confluit, ut illud confirmet, ac roboret.

2. *Et quæ ejus species.*

Nota primò: appetitus concupiscibilis Passiones recenseri sex; puta amor, desiderium, & gaudium, quæ versantur circa bonum: odium: fuga, & tristitia, quæ versantur circa malum. Appetitus verò irascibilis quinque afferuntur species; scilicet spes, desperatio, audacia, timor, ira, quæ omnes inferiùs explanabuntur.

3. *Inordinatæ passiones sunt comprimendæ.*

Dico secundò: bonus Ethicus, debet comprimere Passiones inordinatè exurgentes: ordinatè verò circa objectum naturale egredientes possunt retineri.

Prob. prima pars; tum authoritate SS. PP. nam. D. Basilius *hom. 10.* ait; *si forte ira* (quæ est una ex vehementibus Passionibus) *in cogitationem veniat, aut cadat, eam statim retineamus, ut equum jugalem nobis ratione aut fræno quodam obtemperantem.* Et S. Chrysost. *hom. 10. ad populum,* dicit; *Canis est impudens ira, sed legem audire discat:* quâ videlicet ligetur, & comprimatur: Ergo &c. Tum ratione, quia propterea virtutes morales constitutæ sunt, ut ijs mediantibus frœnum coërcens injiciatur Passionibus, inordinatè exurgentibus &c.

4. *Ordinatæ verò possunt retineri.*

Prob. secunda pars; Tum quia Passiones ordinatè consurgentes implantatæ sunt ab Authore naturæ, dicente S. Damasceno *Orat. de duabus Christi voluntat. Ingeneravit homini has commotiones, ut posset capere virtutem, sicut terra culturam, posuitq; materiam vitiorum in affectibus virtutum.* Ergo hujusmodi passionum motus possunt retineri. Tum quia Passiones

nes moderatæ ex se sunt indifferentes, & non malæ; unde à S. Scriptura permittuntur, juxta illud; *irascimini, & nolite peccare*: & illud; *iniquos odio habui*: & S. Augustinus 14. civ. cap. 12. ait; *cum rectam rationem sequuntur affectiones, quando, & ubi oportet adhibentur, nullus eas tunc morbos, aut vitiosas passiones audeat appellare; quamobrem ipse dominus adhibuit eas, ubi adhibendas esse judicavit*: Ergo &c. Tum tandem, quia passiones moderatæ multum prosunt; sic ira fortitudinem adjuvat; timor est utilis ad pericula vitanda; amor, & odium civili vitæ multùm prosunt; nam bonus Ethicus Cives amandos debet amare; & sceleratos odio habere: Ergo Passiones circa objectum naturale ordinatè egredientes possunt retineri.

Nota secundò: passiones appetitûs concupiscibilis ordine naturæ seu generationis, præire passiones appetitûs irascibilis. Ratio est; quia objecta passionũ appetitûs concupiscibilis præcedũt objecta irascibilis; illa enim sunt bona simpliciter, & primario cõvenientia, vel discõvenitia; hæc verò sunt bona secũdariò & contracta. Similiter ob majorẽ nobilitatem objectorum digniores sunt passiones concupiscibilis, quàm irascibilis. Inter passiones autem concupiscibilis primum locum occupat Amor; unde D. August. *14. Civit. cap. 5. amor est causa omnium aliarum affectionum voluntatis.*

QUÆSTIO II.
De Passionibus in particulari.

1. *Quid sit passio Amoris, & ejus effectus.*

NOta primò; quòd *Amor*, quæ est principalis passio hominis, bene describatur dicendo; *est passio potentiæ appetentis, quâ homo in bonum sibi conveniens, ratione, aut imaginatione apprehensum fertur.* Ejus effectus sunt, *Unio* cum re amata, sive realis, qualis est unio Beatorum cum DEO; sive per affectum, qualis est unio Petri cum eo, quem diligit. *Extasis*, sive secessus, quô amans quasi extra se transiens fertur in rem amatam, in eámque ita affectus, & cogitationes dirigit, ut eam semper ob oculos positam velut inspiciat. *Imbecillitas*, seu languor, est infirmitas corporis, proveniens ex vehementia amoris sensitivi, spiritus animales, & vitales consumentis, nimio calore ad cerebrũ ascendente, & partes inferiores deserente.

Zelus, qui est ingens ardor amoris, quô quis à re amata expellit quodcũq; quod posset ipsum impedire à possessione, & fruitione ejusdem.

2. *Quid Gaudium, & desiderium.*

Nota secundò: Gaudium reςtè describitur; *est passio potentiæ appetitivæ, circa bonum adeptum, & possessum.* Ejus effectus sunt excitare risum, cor dilatare, sanitatem conservare, sollicitudinem pellere, mœstitiam fugare, anxietatem tollere. *Desiderium*; quod *sit passio potentiæ appetativæ circa bonum absens.*

3. *Odium, fuga & tristitia.*

Nota tertiò: *Odium* sic bene describitur, *est passio appetitûs concupiscibilis, ex malo absolutè spectato proveniens. Fuga* verò, *est passio appetitûs concupiscibilis, ex malo ut absente apprehenso absolutè proveniens. Tristitia* tandem, *est passio appetitûs concupiscibilis, ex malo apprehenso ut præsente proveniens.*

4. *Quid spes, desperatio, audacia, timor, & ira.*

Nota quartò: *Spes*, bene sic describitur *est passio appetitûs irascibilis ex bono apprehenso ut acquisitu possibili proveniens. Desperatio*, sic explicatur, *est passio appetitûs irascibilis, proveniens ex malo apprehenso ut vitatu impossibili.* Audaciam ita circumscribe, *est passio potentiæ appetitivæ irascibilis, consequens actum audendi, consistens in alacri, & animoso aggressu rerum difficilium, graviúmque periculorum.* Timorem, enuclea sic, *est perturbatio futuri, & imminentis mali, ex apprehensione futuri mali causata.* Iram, tandem quòd *sit passio potentiæ appetentis, consequens actum ulciscendi offensam, sibi aut alteri illatam.*

5. *Quid zelotipia, æmulatio, admiratio, invidia, pudor &c.*

Notà quintò; reperiri quoq; quasdam passiones mixtas, cõalescentes ex simplicibus, & sunt sequentes. *Zelotipia*, quæ est passio proveniens ex vehementi amore alicujus, & odio alterius, idem nobiscum amantis, ex cujus amore timemus, ne rem à nobis amatam solus ipse possideat. *Æmulatio*, quæ est passio resultans ex dolore carendi perfectionibus alterius, unà cum spe eas acquirendi. *Admiratio*, est passio mixta ex amore alicujus operis, & desperatione idem præstandi. *Indignatio*, est passio consurgens ex dolore de bono, vel malo indignis collato, & ex ira concitata adversùs inferentem. *Invidia*, est passio proveniens ex dolore de bono alieno, & timore illud amittendi. *Pudor*, est passio mixta ex dolore alicujus mali præsentis, & timore decoris ab eo provenientis. *Impudentia*, est passio exurgens ex voluptate

rerum

rerum inhonestarum, & audacia illas perpetrandi. *Pœnitentia*, est passio orta ex dolore de malo à nobis perpetrato, & spe veniam impetrandi.

6. *Qua ratione memoratæ passiones moderandæ.* Nota sextò: Probus Ethicus omnium harum Passionum motus inordinatos erumpentes moderari poterit his, & similibus remedijs, ne in pravas actiones Ethicas degenerent. *Amorem* intemperatum moderatur *primò*, resistendo principijs, & truncando occasiones: *Secundo*, exactè considerando mala plurima, quæ pullulant ex amore perverso: *Tertio*, convertendo cogitatus, & dilectionis actûs in objectum summè amabile DEUM. *Odium* temperet, avertendo memoriam rei odio habitæ, & revoluẽdo mala oritura ex odio: ac distinguendo variá in homine, quorum aliqua quidem odiô haberi possunt; reliqua verò amari; ad prima conducit cogitare, quòd sit imago DEI, aliàs sapiens, virtuosus, &c. *Desiderium* imperfectum moderetur considerando, quàm futile sit illud, & inconstans, quod desideratur; quantæ sint pœnæ, ut illud obtineatur, quam citò evanescet, & auferetur à nobis objectum desideratum. *Fuga* moderari potest, si consideres, quàm brevis sit pœna; & leve malum quod fugimus: quantum sit dedecus in levitate, & inconstantia; quanta sit gloria in animi firmitate. *Gaudium* moderaberis, considerando, esse valde momentaneum, quod lætificat; & attendendo superesse majora bona, quibus alij fruuntur feliciores nobis. *Tristitiam* lenies amicorum consolatione; & compassione; avocatione mentis à malo proposito ad aliud longè graviùs, quod nobis contingere poterat, ob nostras imperfectiones, comtemplatione pœnarum, quas majores alij patiuntur. *Spes*, moderari potest, expendendo bona, quæ ordinatè sperari possunt; & inquirendo media quibus bona ordinatè acquiri possunt. *Desperatio*, expendendo mala, de quibus desperare licet, quæ nimirum nec nos decent, nec viribus nostris conveniunt, nec DEUS se ea nobis daturum repromisit.

Audacia temperari potest, cognoscendo bona, propter quæ difficultates vincendas aggredimur, an scilicet boni assecutio promereatur tot pœnas assumendas; & considerando quasnam difficultates aggredi debeamus. *Timor* attendendo mala, quæ justè timenda sunt; & ponderando difficultates subeundas; sæpe namque tantæ non sunt, quantæ nobis videntur. *Iram* moderaberis, avertendo cogitationem mali, & personæ vos offendentis; item perpendendo mala, quæ ex ira nascuntur. *Mixtas* tandem passiones moderari poteris medicando ipsas simplices modis præfatis; cùm mixtæ ex simplicibus componantur, & misceantur.

FINIS.

IN-

INDEX

Rerum & Verborum, quæ in hoc primo Tomo continentur.

P. paginam, n. numerum marginalem significat.

A.

B.

C.

E.

F.

I.

sta-

L.

vera

O.

P.

can-

Q.

Per-

R.

T.

U.

Ver-